6.45,5,10

9


NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V.E. II
M 8
43 B
20
ROMA







Conciones triginta
DE
IVDÆ PRODITORIS APOSTASIA,
SIVE TRIPLICI EIVS DEFECTV;


A FIDE, GRATIA, ET APOSTOLATV, } per quem omnes reprobi figurantur.

AVTHORE
F. NICOLAO ORANO *Ordinis S. Francisci regularis obseruantiæ, Prouinciæ Flandriæ Theologo Prædicatore, necnon Conuentus Auesnensis humili Gardiano.*

IOANNIS 17.
Pater quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis.

ANTVERPIÆ.
Apud GASPAREM BELLERVM sub Aquilâ aurea. Anno 1611.



AMPLISSIMO VIRO, GENEROSISSIMOQVE HEROI, D. ANTHONIO DE LA COQVELLE, EQVITI AVRATO, A CONSILIIS MILITARIBVS BELGICIS, vnius legionis Vualo-Burgundionum Tribubuno, Hesdiniensis oppidi inuictissimi, Castrique, ac totius circumadiacentis districtus Gubernatori, legibus, & armis valentissimo, precatur id agere quod agit.



Ræter cætera, quatuor sunt (vir Amplissime) *quæ præsens vt hoc opusculum tuo nomine nuncuparem, me mouerunt.* Primum *virtuti tuæ deferimus. Nam cum de virtutibus vitijsque sermo fit, non est qui æquius verba suspiciat quam qui virtuti fert obsequium. Vti enim si ferro sigillum imprimere coneris, nibil efficias: sic nec cum de virtutibus apud vitiosum egeris. Habet quippe quan-* Simile.

dam energiam verbum Dei in eorum mentibus, quibus æquitas & iustitia pro lege & rege est; ut etiam Saluatoris Syngrapho predestinationis quoddam sit pignus Dei verbis cor & aurem cedere.

Ioannis 8. & 9. *Inter eos verò qui militare studium perperam non sunt amplexati, tu mihi visus es is qui virtutem ita coniunxit armis, ut vim nullam habere arma, vel militares conatus nisi ex virtute fatearis. Hinc probandus mihi non venit qui affirmat in bellica præfectura maiorem aspectum habendum esse militiæ, quam virtutis aut morū. Illam verò sic tibi conciliasti ut omnes unico nexu tibi sociaris, quæ domi forisq́ statui tuo conueniunt. Pietate semper in religionem (quod summum est) tum amore in tuos Principes multum valuisti, quibus ciues & milites tibi subditos ad æquale viuendi desiderium, quasi calcaribus accenderes.*

Aristoteles. 5. Polit.

In castris constat te nunquam adeò securum ad arma ex hostium aduerso processisse, quam cum teipsum, tuosque scires ad mortem iustam paratos. Quoties etenim grauis tibi cum illis conflictus instabat, primum de domesticis rebus, bonis, uxore ac liberis

liberis disposuisse, vt tu te magis paratum morti quam mortem tibi certò scires.

Quin & illud de te promulgatum exijt, te cum Traiecto Rheno copias in Frisiã deduceres, decreto classico cauisse, ne quis miles vel vnam pellicem vltra flumen traduceret, ratum fore sat incommodò tuis simul ad arma concurrere, & meretricum blandicijs ad voluptates vocari.

Inde passim illa tuis in militibus eluxit non vulgaris modestia, quæ tuis exemplis eò deducta est, vt vel nunquam esset qui blasphemia Dei nomen temeraret, nisi paratũ sibi certò crederet à te suppliciũ linguæ terebrandæ eliminato, quod tritum est elogio:

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

Veruntamen quia virtus cum ingenio permaximo partim tibi fuit innata, partim exercitijs acquisita, ex hac, tua tam spectabilis illa inter tuos auctoritas & verenda maiestas prodijt, quæ præmium quoddam virtutis est.

Hanc grauitatem Tacitus *ad regimen necessariam dicebat, si tamen (quod agis) tristitiam vel arrogantiam exueret. Hanc ipsam tibi conciliauit ingens, vtcunque cor-* *Tacitus in Agricolao.*

 poris

poris à natura moles, quæ veterem Germaniæ nobilitatem moribus verbisque grauem apprime refert.

Ab arte tibi quædam maiestas superuenit, qua tam dextrè familiarē te præbes ōnibus, vt familiaritas grauitatem nō imminuat, nec familiaritatem grauitas impediat.

Et hoc sanè vicinum stratagemati extra vitium politico apud Magnates esse reor, sic oportunè subditis se socium exhibere, vt societas minoris cum maiore paritatē non inueniat, ita suis innotescere, vt cū omnes nouerint ipsi, tamen nō nisi ex parte noti fiāt. Omne ignotū *.n.* pro magnifico est.

Tacitus in Agric. *Accessit ad hæc corporis & ingenij vigor tum experientia: qua longo vsu tibi militaris scientia parta est, vt vel alter Scipio aut Hannibal in exercitu habereris, qua te principibus amabilem, ciuibus honorandum, militibus metuendū, formidabilem hostibus reddidisti.*

Dixerit ille Tullius & verè militarem præfectum illum esse debere; In quo nullū genus belli sit in quo illum nō exercuit fortuna. *Ego nullum stratagematis genus fuisse comperio, in quo te exercendo fortuna deluserit, imo in quo tu fortunæ nō illu-*

Pro lege Manil.

illuseris, vt tibi magis fortuna cedere videretur, quam tu fortunæ. Ita vt aduersa non tibi minus accepta forent quam prospera, nec confidentius victorijs vtereris, quam euentibus fortuitis.

Post experientiam te callidum fecit astutia, astutumque calliditas, vt cum exteris ita verseris vt non conuerseris. Scis equidē quod Nihil tā firmum est, cui periculum non sit etiam ab inualido. *Curtius l. 7.*

His meritis clauum Hesdinij tenes in totius ne dicam Arthesiæ, sed orbis Belgici munitissimo propugnaculo, vbi quantum valeat in diuos pietas, fides in Principem, obsequium in patriam, amor in subditos, pax in omnes, elucescere facis. Non possum ea quæ vidi in laudem tuam non loqui. *Epanimādas*

Aiunt, *vulgò*, metuendam esse fortunæ mutuationem, *veruntamen in hoc tuo gradu dignitatis ita stas, vt non euectus sed ad illum euehendus videaris, vt etsi te tua virtus magnum fecerit, alium tamen te tua non fecerit opinio, illud Salustianum non admittens:* Contemptor animus & superbia commune nobilitatis malum. *Ita cum omnibus omnis es, vt singuli tibi sint omnes & omnia. Sicq; illos* *Salustius in Ingurt*

illos ex te humiles & bonos fecisti, vt cum illo: Malis videri inuenisse bonos quã fecisse. *Atque vt sicut res se habet fatear, sic imperas vt parere videaris, quod alias exactè fecisti.*

Tacitus in Agric.

Qui bene imperat, (enim) paruerit aliquando necesse est, & qui modestè paret videtur qui aliquando imperet dignus esse.

Cic. 3. de legibus.

Dicam amplius. In hac tua præfectura illud apud ciues & milites conaris, vt religionem quam in Castris totis animi & corporis viribus tuitus es, hanc ad instar tuiipsius omnes manuteneant. Sic primus operi manum adhibes, vt tibi modo tam grata sint delubra, quantum alias acies castrorum placuerunt, vt nemo sic non certet tuam pietatem imitari, quin gaudeat se à tua pietate superari. Tua facta videntur quædam ad bene agendum tuis subditis esse præcepta. Verè enim dicitur.

Rectè facere Princeps suos faciendo docet. *Dicámne tuos Hesdinios tali Gubernatore fælices? Ita est. Dicam vicissim te fortunatum talibus ciuibus, tali magistratu, tali Pastore. Hoc namque præ cæteris vrbibus habet Hesdinium vt prædestinato quodam euentu, vt à Gubernatoribus*

Velleius l. 2.

bus Catholicæ & auitæ fidei zelantissimis prosperè regatur, à Pastoribus sapientissimis fæliciter instruatur, à Concionatoribus exquisitis & selectis à vitijs deterreatur, à viris probis ad bene agendum stimuletur. Habet enim vicinos duos Patrũ Franciscanorum Conuentus, quorum vterque sedulam huic vrbi nauat operam, in qua catholicæ religionis prima iecit fundamenta post recenter extructa mænia piæ memoriæ V. P. Iacobus l'Escaillette totius populi acclamatione in numerum sanctorum propter admirabilem pietatẽ canonicè referendus quondã Biezensis cõuentus prouinciæ Flandriæ Gardianus. Hinc illa apud vos templorum Sacramentorumq; frequentatio, apparatus altarium, ornatus imaginum & reliquiarum, celebres ceremoniarum ritus & sacrarum rerum obseruationes. Hinc illa pax inter ciues & Præsidiarios milites, quos ita regis vt ciuibus nihil derogent milites, neque militibus obsint ciues.

Quod ad Oppidanum belli regimen, ita te contines in oppido vt in castris videaris, vt ille sis de quo Tacitus: Qui exerceat etiam legiones sine bello, cura, prouisu perinde ac si hostis ingruat. *Tacit. l. 13 Annal.*

Ex

Ex hac prodeunt politia, quotidianæ munitiones vallorum, congeries aggerum, platearum pauimentum, ædificiorum noua structura, pontes, aquæductus, semilunares circuli, mercimonia, commeatus, & totius vrbis incrementũ. Vis paucis dicam? industria tua celebrius factũ est antiquo nouum Hesdinium, propagatum dexteritate, cõseruatũ iustitia, tuarumque virtutum fauore.

Secundum *autem quo me moueri fateor, vt nomen tuum tam illustre lucubratiunculis istis præfigam, est admirabilis iudicij tui valor, quo facilè discernere nosti, tum ab arte tum à natura quid vnaquæque res valeat, quid ponderet.*

Natalis Comes de Pallade.

Noctuam maiores, armorum Deæ Palladi sacram esse voluerunt, quæ dicitur eadẽ inuentrix esse & artium. Hoc symbolo satis innuerunt virum sapientem circumspectũque militem, vt noctuam visum iacere, & ita in tenebris quæque perspicere, vt etiam diiudicet quæ cæteris obscura videantur. Quæ res iure merito tibi conuenit, vtpotè qui tam perspicaces habeas mentis oculos, vt vel vix semel hominẽ videas, quin subinde iudices in homine quid siet.

Cum hoc iudicio tibi quædam vis

inest

ineſt memoratiua, qua nominatim ſingulos ciues ac milites cum Xerxe, quales, quidue ſint recenſes,

Acceſſit & Idiomatum diuerſitas, vltra vulgarem Hiſpanica, Germanica, Flādrica & Latina cum Iuriſprudentiæ peritia, quam olim in Academia Louanienſi adoleſcens cum humanioribus literis imbibiſti. Quam ob rem non minoris tuum de meis iudicium facio quam quorundam ſciolorum cenſurā. Et ſanè: Adijcit laudum dignitati honor laudantis. *Audiſti lubenter me quotidie de reprobo Iuda perorantē, audita ſæpiuſcule clāculum nobisq; præsētibus approbaſti, digna prælo cenſuiſti, opemque tuam vltro liberaliter contuliſti.* *Mamer. in Pane. Iuliani*

Tertiū *obtinet ſingularis in me, ſicut & in cæteros omnes, Clericalis aut religioſæ dignitatis viros, fauor: qui non eorum dumtaxat fautorem, ſed omnium te quaſi parētem videri facit. Ita proborum huius ſortis tibi placet ſocietas, vt militarem togam ſi exuas, inter eos non niſi vnus ex eis iudiceris. Tam ſcitè de rebus ſacris verba proponis, vt vel ſacras à puero ſcripturas delibaſſe credaris. Eam ob rem tam frequens in penetralibus domus tuæ togatorum ſacri, profani-*

que

que ordinis aduentatio, religiosorum Patrum tum Societatis Iesu, tum Franciscanorum concursus, tum quotidianum cum eiusmodi doctis ac probatis viris mensale colloquium, ita vt vix vllus palato tuo cibus arrideat nisi talium præsentia condiatur. Occursus enim sapientum iuuat & est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. *Isthic vero tuas censes bene locatas opes, vbi illarum vsus nullum parit fastidium, delectamenti plurimũ, nihil detrimenti.* Deinde *quod non omittendum duxi (quo etiam ferè cæteros tua generositate superas) vix in conuiuijs (vel non nisi egrè) sacerdotibus etiam infimi ordinis summos magnates præferas, ita dignitatis illorum religiosus es æmulator, ita sedulus honoris conseruator. Eorum vita si bona est (maximè vicinorum) tantum tibi placet, vt maior animo tuo dolor insidere nequeat, quam qui ex illorum oriri potest offendiculo: Si quem deuiasse videris, amicè hortaris, mones suauiter, allicis confidenter. Dehinc si quid instent pro templi structura vel incremento piè erogandum, tu primus es, qui tua munificentia cæteros cohortando ad liberalitatem antecedis, illud Chrisostomi*

Cic. lib. 2. de legib.

stomi satis edoctus: Pietatis opus est pro pietate sumptus facere. Chrisost.

Postremum *me induxit spes patrocinij. Nam etsi res quæ ex se bona est satis in tuto sit non desunt quandoque superuacanei, circumforaneique censores in obliquum quæ recta sunt retorquentes, qui vel antequam librorum editores nouerint, vel dicentes audierint, aut eorum scripta percurrerint subinde non sanum iudicium ferant; vt hinc suam inscitiam propalent, maleuolentiam testentur, inuidiam detegãt.* Adeò (*inquit Seneca*) in contrarium itur vt quosdam habeamus infestissimos, non post beneficia, sed propter beneficia. *Illud enim vsu ab inuidis euenire solet vt quos habueris intimè familiares antequam aliquid edideris, illud si in lucem exeat, habeas tanquam aduersarios. Veruntamen non metuimus æquos censores, sed ignaros iudices. Nam:* multis placuisse sapientibus displicuisse est: *Tu igitur (Amplissime vir) ea qua vales tum apud eruditos, tum apud vulgares beneuolentia & authoritate iudicium ferto, quo vel arceri possint maleuolorum oblocutiones, Sciolorum dicteria, tumiditates inuidentium.*

Senec. l. 3 de benefic. c. 1.

Iamblychus.

Lauda-

Symmac. in auctu. epist. 6. Laudari (*enim*) à laudato viro rara merces ingenij est. *Feci vt hæc bonis in lucem prodirent æquo animo, quo velim ab illis excipi. Interea mercedem ferat, qui tanquam tota merces* futurus est in omnibus omnia. *Et* tibi, Anthoni,

1. Cor. 15. Dent ętatem Dij quam mereris, seruentque animum quem dederunt: *Vt post fæliciter expletos huius inferioris militiæ labores, tanquam victor, cũ beatis per Christum eterniter triumphes.* Plinius in paneg. Traiani

Datum Calendis Decembris 1610.

Tibi humilibus obsequijs deuinctissimus

F. NICOLAVS ORANVS.

LICENTIA SVPERIORIS.

FRater Hieronymus Fostier Ordinis Minorum Regularis obseruantiæ, Prouinciȩ Flandriȩ minister, dilecto sibi in Christo ac Venerando Patri F. Nicolao Drano, Sacerdoti, Prȩdicatori & Confessori Secretario nostro salutem: Cum Sacri Concilij Tridentini decreto (quod sanctē veneramur) cautum sit, ne quis absq; suorū Prȩlatorum licentia libros typis mandari curet, hinc est quod cū benedictione Dei licentiam tibi facio Conciones illas in lucē emittendi, quas de Iudȩ proditoris Apostasia, in suggestu ad populum habuisti, & in ordinem redegisti, ad Dei honorem, & animarum salutem. Datum in Conuentu nostro Niuellensi, sub nostro cyrographo, & officij nostri sigillo hac tertia mensis Februarij. Anno 1610.

F. HIERONYMVS FOSTIER
qui supra propria manu.

APPROBATIO.

Hæ triginta Conciones de Iuda Proditore R. P. Fr. Nicolai Orani piæ ſunt & doctæ, & proinde prelo dignę. Actum Duaci 4. Auguſti. Anno 1610.

Georgius Coluenerius S. T. Doctor & Profeſſor, ac librorũ in academia Duacena viſitator & cenſor.

Anagrammatismus Authoris.


F. NICOLAVS ORANVS.

SALVVS IN CORONA.

DVm prodit precio leui Magistrum;
Iudas fænore perdidit seipsum:
Vitæ perdidit & simul coronam.
O Iuda! nihil es tui misertus;
Sic, Christus nihil est tui misertus!
Præstarat tibi te nihil fuisse,
Quàm tortore tua manu perire.
Hoc crimen, docet hic liber cauere:
Quis? cuius liber hæc docens? Orani.
Quæ merces tua Nicolae frater?
Vt sis numine *Saluus in corona*,
Quod versum tibi nomen ominatur.
Sim Frater tibi *Saluus in corona*,
Sis Frater mihi *Saluus in corona*.

F. Franciscus Oranus
*authoris Frater eius-
dem Ordinis.*

*2 A b




Ad librum V. P. F. Nicolai Orani de Juda Traditore.

Iudæo (Iuda) ſis lux (Orance) fideli
Dux, Iudex monachis, omnibus omne quod es.
Auribus eſto quod es: cordi quod voce fuiſti
Calcar eris Patri, fratribus inſtar equi.

D. Anthonius Martini Decanus & Paſtor Heſdinienſis Eccleſiæ.

Argu-




Argumentum totius libri, versibus triginta seriem & ordinem concionum cõplectens.

VT somnianti, somnium somnũ eripit,
Cum quis beatum se putat pro somnio;
Sic alta quisquis eleuatus in loca
Repentè, nec casus futuros respicit,
Nec præscios rerum timet Diuos ab alto,
Subinde præceps in ruinam vortitur.
En ipse ab imo Iudam in altum Christus eleuat
Facitque, fiat vt Deo vicinus ipsi
Virtute spiritus, Apostolus, Sacerdos.
Quid plura quæris? in domesticis iubet
Marsupium vt ferat, magistro, non sibi.
Quis altiore constitisset in gradu?
Eheu! sed ecce deijcit miserrimum
Amor, suique obliuio, rapina, fraudes.
Inde hæresis, murmur, vel inuidentia.

Seductio, recessus, à suis, heroque.
Quàm longè abiuit qui Deum reliquerat!
Vt crimen illud criminum fastigium,
Patraret, auctor funeris crudelioris.
O Proditor Iuda quid inscius patrasti?
Dum credis ipsum prodidisse te IESVM
Vitæ parentem, perdidisti te. Nec illuc
Fatum, sed ipsa te voluntas impulit.
Hinc dum nefandum crimen in mentem reducis,
Mens ipsa pertæsam sui se confitetur
Scelusque ponderans iniquo pondere
Spem proijcis, metumque præponis spei:
Credensque diuino fauore fortius scelus
In propriam ruis necem vitam perosus.
Fælix erit qui huius malo malum cauebit.

ORDO



ORDO CONCIONVM IN VITAM PRODITORIS IVDÆ.

PRima Concio velut præludium cæterarum, aget de causis infœlicis ortus ipsius Iudę. 2. Qua ratione melius sit non esse quam esse peccatorem & pro peccatis damnari. 3. De multiplici significatione eius quod nō est, & eorum quæ actu existunt.

Thema.

Bonum ei erat si natus non fuisset homo ille. Matth. 26.

Secunda concio declarat quod melius fuisset Iudæ in matris vtero mori quam nasci. 2. vel bestiam nasci. 3. Quam nasci talem qualem se fecit per peccatum. 4. Cur natus fuit qui damnandus erat.

Thema.

Bonum ei erat si natus non fuisset homo ille. ibidem.

Tertia concio, aget de electione Iudæ in Apostolum. 1. Quod non fuerit error Christo Iudam eligere. 2. De duplici electione. 3. Quod inter bonos semper sint mali.

Thema.

Exijt Iesus in montem orare & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis quos & Apostolos nominauit Symonem &c. & postquam binos & binos nominauit, tandem dicit: Et Iudam Iscariothem qui fuit Traditor. Luc. 6.

Quarta concio tractabit ad idem. Cur elegerit

eum quem peruertendum sciebat. 2. Et quare talem diu tolerauerit. 3. Cur inter Apostolos vltimo loco recenseatur. 4. Cur vbique Traditoris epitheto nuncupetur.

Thema.

Elegit & Iudam Iscariothem qui fuit Traditor. Luc. 6.

Quinta concio inuestigabit 1. an bonus fuerit Iudas in electione. 2. An verè fuerit Apostolus. 3. An miracula fecerit. 4. An possint impij signa facere.

Thema.

Elegit duodecim quos & Apostolos nominauit. Et Iudam Iscariothem &c. Luc. 6.

Sexta concio disquiret 1. Quod fuerit probabiliter primum Iudæ peccatum post electionem, per quod à gratia cecidit. 2. Cur præcognito furi commissi denarij. 3. Iterum cur postremus sit in ordine Apostolorum. 4. Cur illum in furto Christus non corripuerit. Et hæc est prima eius Apostasia siue defectus à gratia.

Thema.

Iudas fur erat & ea quæ mittebantur portabat loculos haben. Ioannis 12. Ille versus satis indicat Iudam prius in furtum quam in hæresim cecidisse, quia mox ab Apostolatu siue à vocatione marsupium tractauit.

Septima concio aperiet Iudę defectionem à fide per hæresim. 2. Quantum fuerit illi malum in hęresim cadere. 3. Quod Iudas Caluinistarum & cæterorum Sacramentariorum in sua hæresi sit primas & Antesignanus. 4. Quod & Arrianismum inchoauerit pro 2. Apostasia.

Thema.

Ex Ioannis cap. 6. *Verba quæ ego locutus sum vobis Spiritus & vita sunt, sed sunt quidam ex vobis qui non credunt, Sciebat enim Iesus ab initio*

qui

qui eſſent non credentes, & quis eſſet eum traditurus.

Octaua concio rationes adferet cur à Chriſto diabolus ſit appellatus poſt hæreſim. 2. Quod omnes Hæretici ab ipſo poſſint diaboli nomine nuncupari, aut alijs nominibus idem ſignificantibus. 3. Cur diabolum illum in genere, non in ſpecie nominarit.

Thema.

Nonne duodecim vos elegi & vnus ex vobis diabolus eſt? Dicebat autem Iudam Symonis Iſcariothem, hic enim erat traditurus eum cum eſſet vnus è duodecim. Ioannis 6.

Nona concio cauſas vnctionis Chriſti per Magdalenam recenſebit. 2. Quod inde calumniandi Chriſtum Iudas anſam quæſierit & proindè quod verè diabolus. j. calumniator ſit dictus. 3. Quod exemplo illius omnes hæretici ceremoniarum noſtratum (tanquam ſpiritualium vnctionum) ſint calumniatores.

Thema.

Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariothes qui erat eum traditurus: Quare vnguentum hoc non venijt trecentis denarijs & datum eſt egenis? Ioannis 12.

Decima concio docebit quomodo factus hæreticus magiſtrum ſuum eius auaritiæ renitentem contempſerit. 2. Quod ſeditiones mouerit inter Apoſtolos. 3. An cũ ipſo & propter ipſum Apoſtoli Chriſto obmurmurauerint. 4. Quod fuerit temerarius Iudex & hypocrita.

Themata.

Dixit Iudas &c. Quare vnguentum hoc &c. Ioannis 12. *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes, vt quid perditio hæc.* Matth. 26. *Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos & dicentes: vt quid perditio iſta vnguenti*

facta est. Marci 14.

Vndecima concio qua aperitur Iudæ in pauperes crudelitas. 2. Quibus causis adduci debuit ne in pauperes esset immisericors. 3. De inuidentia fraternæ charitatis ratione cuius impedire volebat pium opus quod in Christum exercebat Magdalena.

Themata.

Non quia de egenis pertinebat ad eum sed quia fur erat, & ea quæ mittebantur portabat. Ioannis 12. Vel illud *Sine illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum me autem non semper habebitis.* Ibidem.

Duodecima concio explicabit quibus suggestionibus diabolus in Iudam intrauerit vt Christum traderet. 2. De primo eius ab Apostolis discessu qui fuit biduo ante Pascha, vt cum Principibus Sacerdotum ageret de Christo tradendo. 3. Quod auaritia causa fuerit discessus illius, ratione deperditi lucri quod ex denarijs 300. redire poterat, si vnguentum venale factum fuisset.

Thema.

Intrauit autem Sathanas in Iudam &c. & abijt & locutus est cum Principibus Sacerdotum & Magistratibus quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit. Luc. 22. *Miserat diabolus in cor vt traderet eum Iudas.* Ioannis 13.

Decima tertia concio deducet per puncta, quod venditio Ioseph per suos fratres fuerit figura proditionis & venditionis Christi. 2. Quam vili fecerit venale Iudas precium redemptionis humanæ. 3. Quod in hoc auari & Symoniaci Iudam sequantur.

Themata.

Et Iudas Iscariothes vnus de 12. abijt ad summos Sacerdotes vt proderet eum illis, qui audientes gauisi

gauisi sunt & promiserunt pecuniam illi dare. Marc. 14. *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam. At illi constituerunt triginta argenteos.* Matth. 26.

Decima quarta concio de sollicitudine Iudę pro reperiendo tempore id exequendi quod Iudæis promiserat de Christo tradendo. 2. An tenebatur promissis stare. 3. Cur metueret turbas.

Thema.

Ex eo tempore quærebat oportunitatem vt illum traderet. Matth. 26. Addit Lucas. *Sine turbis* Luc. 22.

Decima quinta concio deducet cur Christus peccaturum Iudam non pręseruarit à peccato. 2. Quod Iudam Christus satis seruare conatus sit, sed quod ipse se non satis seruarit. 3. Cur Spiritu turbatur Christus cum Iudam se traditurum denunciat.

Thema.

Cum hæc dixisset turbatus est spiritu & protestatus est & dixit: Amen Amen dico vobis vnus ex vobis tradet me. Ioannis 13.

Decima sexta concio in qua agitur de mærore discipulorum Christi qui eis ex prænunciata traditione sui ipsius contigit 2. Deducuntur rationes cur sese inuicem aspicerent. 3. Cur intincto pane voluit Iudam Ioanni designare. 4. Cur ipsemet Christus porrexit Iudæ panem & inde documenta.

Thema.

Aspiciebāt ergo ad inuicem discipuli hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Symon Petrus. Et dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dixit ei: Domine quis est? Respondit Iesus:

Ille

Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem dedit Iudæ Symonis Iscariotha. Ioannis 13.

Decimaseptima concio referet differentias inter vitam Iudę Thaddæi & Iudæ Traditoris. 2. Quod ad maledictionem Iudæ concurrat maledictio Caini, Chore, & Balaam, quorum vitia Iudas Thaddęus in Epistola sua canonica condemnat. 3. Item rationes cur ei maledixerit Christus.

Thema.

Filius hominis vadit sicut scriptum est de eo; Veruntamen væ homini per quem filius hominis tradetur. Matth. 26.

Decima octaua concio iterum aget de Iudæ maledictione per Christum. 2. Quod Iudas peccato suo non natura maledictum incurrerit. 3. Non licere maledictis vti. 4. Quo genere maledictionis Iudas fuerit per psal. 108. condemnatus.

Thema.

Væ per quem filius hominis tradetur. Matth. 26.

Decimanona concio perquirit qua ratione Iudas fuerit iterum à Sathana ad male agendum possessus. 2. De abusu Sacramentorum. 3. An Christi corpori & sanguini communicauerit. 4. An eius pedes Christus ante alios lauarit.

Thema.

Cum intinxisset panem dedit Iudæ Symonis Iscariotha & post buccellam introiuit in eam Sathanas. Ioannis 13.

Vigesima concio. Quod Deus non sit causa malorum quæ Iudas aut alij fecerunt. 2. De eorum Hæresi qui Iudam bene fecisse credunt tradendo Christum. 3. Quod diuina sit permissio non diuinum mandatum.

Thema.

Quod facis fac citius. Ioannis 13.

Vigesimaprima concio tertiam cæteris grauiorem

rem Iudæ Traditoris Apostasiam ab Apostolatu considerat. 2. Quanta cum inciuilitate & ingratitudine recesserit. 3. De corporali & spirituali obsessione per Sathanam. Et hic agitur de 3. eius Apostasia ab Apostolatu.

Thema.

Cum ergo Iudas accepisset buccellam exiuit continuo. Ioannis 13.

Vigesima secunda concio proponit causas cur Iudas cum Anti-Christo filius perditionis nuncupetur. 2. Quod sit vnus ex his qui præcursores acturi sunt Anti-Christi.

Thema.

Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi ego custodiui & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. Ioannis 17.

Vigesima tertia concio causas allegat cur Iudas osculo Christum sit adortus, vt illum traderet. 2. Et eo quidem vt signaculo. 3. Cur cautè duci voluerit.

Thema.

Qui autem tradidit eum dedit eis signum dicens: Iste est tenete eum. Matth. *26. Marcus dicit. Et ducite cautè.* Marci 14.

Vigesima quarta concio. Qua depingitur quid fecerit post Apostasiam ab Apostolatu. 2. De eius damnabili cautela in electione loci & temporis quo Christum traderet. 3. Item de illius famulitio & comitatu.

Thema.

Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Cum ergo accepisset cohortem & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, facibus & armis. Ioannis 18.

Vigesima quinta concio. De Occursu Christi

cum

cum Iuda tempore traditionis. 2. Quod fuerit similis obuiationi Iacob cum Esau. 3. Et de septem vijs quibus Iudam Christus sibi reconciliare conatus est, ad instar Iacob cum fratre suo occurrentis.

Thema.

Et qui vocabatur Iudas vnus de duodecim appropinquauit Iesu vt oscularetur eum. Et cum venisset statim accedens ad Iesum dixit: Aue Rabbi, & osculatus est eum. Iesus autem dixit illi: Amice ad quid huc venisti? Iuda osculo filium hominis tradis. Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioannis 14.

Vigesima sexta concio de Iudæ resipiscentia siue synderesi & cõsciẽtiæ verme. 2. De eius animi deiectione. 3. Et de coacta eius emendatione siue pœnitentia quæ nec virtus fuit nec sacramentum, sed primus Iudę infernus.

Thema.

Videns Iudas quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit 30. argenteos. Matth. 26.

Vigesima septima concio de Iudæ confessione quod omni ex parte fuerit inutilis. 2. Et de frustratione remedij quod accepturum à Sacerdotibus se sperabat proijciendo denarios. 3. Quod merces proditorum sit ab eis relinqui, qui proditionis complices fuerunt.

Thema.

Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Matth. 27.

Vigesima octaua concio de desperatione Iudæ. 2. De causis eius. 3. De tempore quo sibi manus iniecit. 4. Et de modo & causis huius mortis. 5. An fuerit actus fortitudinis seipsum interimere?

Thema.

Et proiectis argenteis in templo recessit & abiens laqueo se suspendit. Matth. 27. *Et hic possedit agrũ de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius*

& effu-

In vitam proditoris Iudæ.

& effusa sunt omnia viscera eius. Act. 1.

Vigesima nona concio de grauitate peccati Iudæ ex circumstantijs. 2. De conferentia illius cum peccato Pilati. 3. Luciferi & aliorum.

Thema.

Non haberes potestatem aduersum me vllam nisi datum tibi esset desuper, propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Ioannis 19.

Trigesima & vltima concio. 1. de damnatione æterna siue secundo inferno ipsius Iudæ. 2. Qui colligitur qualis quantusque sit ex grauitate peccati præcedentis. 3. Quis locus sit in quem Iudas abijt.

Thema.

Prauaricatus est Iudas vt abiret in locum suum. Act. 1.

Hic etiam exponitur quod de Iuda dicitur. Ioannis 13. *Qui manducat panem meum leuabit contra me calcaneum.* Ex ps. 40.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO POTISSIMVMQVE CONCIONATORI CATHOLICO.



Vod fælix faustumq́; sit: Primos domestici nostri laboris fœtus in opus publicũ emittimus, Paraphrasticas triginta Conciones in vitam Pseudo-Apostoli, filij perditionis Iudæ, triginta denarijs, quibus venale fecit precium nostræ redemptionis, ex aduerso respondentes. Pro titulo Iudę Proditoris Apostasia *est. Hunc enim tanquam reproborum omnium Idæam depingimus, per triplicem illius Apostasiam. Per primam quæ fuit defectus à gratia post vocationem, omnes post baptismi gratiã in peccata relapsos præfigurat. Per secundam quæ fuit defectus à fide, rebelles hæreticos, proteruos, & contumaces Ecclesiæ hostes & schismaticos significat. Per tertiã quę defectus est ab Apostolatu.*


Cle-

Clericos, Sacerdotes, Religiosos, & omnes in dignitate quauis indignè viuentes demonstrat. Si quæris huius operis scopum, Deus est, & eius honor, nostra salus, tuus vsus. Præter citatas Patrum sententias nostra qualiscunque inuentio est, noster stylus, familiaris ille quidem non sublimis, spontaneus non coactus. Concionatorem hic agimus, non causidicum Rhetorem: instructorem morum non aulicum Oratorem. Elegantiore quidem poterant hæc qua dicta sunt methodo, gallicè tropis ac figuris ornari, veruntamen prolixitas ab hoc dicendi genere me deterruit. Satis est nobis concepisse quod de Iuda dicas, tu qualiter & qua dicas industria, videto. Subministramus dicendi materiam, nonnihil etiam adaptamus. Latinis verò hæc & latinè scribimus, non vt latinè dicantur, sed vt idiomate populari pro tuo Marte proponantur, præsertim cum latinè scripta pluribus prosint quam quæ vernaculè. Vix enim laudi duco quod passim omnia Gallicè prodeant in lucem mox lippis tonsoribusque (ne dicam colo-baiulis) communia vt fiant. Quoniam ea res & sacrarum rerum paulatim fastidium parit, & otio facit torpere

verbi Dei Præcones: Necnon id causæ est cur hi qui etiã vix sacras literas vel Scholasticam degustarant, psitacos magis & scænicos actores referant in cathedra, quam zelosos concionatores, aut vt melius verbis
1. Cor. 13. *Pauli loquar, sint:* velut æs sonans aut cymbalum tinniens. *Velim autem Patrum sententias non fastidiosè sed attentè ponderes; in quibus paulatim facilitatem sensus reperies. Et si quæ sunt à nobis in tuã rem non satis digesta, pro tuo captu digere, sic vt quò nostra non potuit, vlterius tua procedat industria. Laboribus nostris ijsque fideliter & ex fonte naturæ, Patrum mente, scripturæque ratione reportatis, gratus esto, feliciter vtere.*

Qui dedit hæc potuisse Deus tibi plura mihique Suggerat. Omnis enim nostra sufficientia ex Deo est. Vale.

CON-



Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Psal. 118.

CONCIO
PRIMA
IN VITAM IVDÆ,
Quasi Præludium cæterarum.

In hac agetur de causis infœlicis ortus ipsius Iudæ: Qua ratione melius sit non esse quam esse peccatoré, & pro peccatis damnari: De multiplici significatione rei quæ nihil est, & rerum quæ sunt in actu.

THEMA.

Bonum ei erat si natus non fuisset homo ille. Matthæi 26. *v.* 24.



OX vt in lucem prodijt Redemptoris ille nostri Præcursor D. Ioannes Baptista, miris vocibus eius natiuitatem extulerunt, quotquot ad eius incunabula parentes, & exteri superuenerant, quodam omine fausto magna de puero concipientes, & sese inuicem admirando rogitantes: *Quis putas puer iste erit?* &c. q.d. Pro- *Luc. 2.* culdubio

culdubio magnus ille inter natos mulierum futurus, quo nascente tot signa contingunt, & prodigia &c. Veruntamen hoc inter homines & Christum futura prophetantem interest; quod hic vt omniscius prædicat, tãquam in speculo diuinitatis suæ futura cernens vt præsentia: Illi verò, ex coniecturis solis non ipsius rei certitudine. Illi apud
Luc. 2. Lucam, ex concurrentibus miraculis, de futuris rebus hæc opinabantur. In Christo verò quod illis erat opinio, hoc infallibilis erat scientia. Sic & cum de D. Petro loquitur dicit. *Beatus es Symon*
Ioãnis 6. *Bariona quia caro & sanguis* &c. De Nathanaële:
Ioãnis 1. *Ecce vere Israëlita in quo dolus non est*. Sic in hac locutione Christus intelligendus, vbi futura longè prospiciens, & ea quæ reprobo Iudæ, tum temporaliter tum æternaliter euentura erant, sic quasi gemebundus infallibilem sententiam veraciter pronunciat. *Bonum ei erat si natus* &c. & Petro. *Beatus es Symon.* &c.

Luc. 8. Atque hæc forsitan ipsa est ratio, cur Euangelista cum Apostolorum nomina singulatim recenset primo loco nominat eum cui dictũ est, *Beatus es Symon*: & hunc vltimo cui dicitur, *Bonum erat ei* &c. Quia prædestinatorum totius Ecclesiæ typum Petrus gerebat, sicut hic reproborum omnium Antesignanus futurus erat.

Petrus est quasi caput bonorũ Iudas malorũ.

Hoc videtur innuere D. August. in hæc verba Ioannis 12. *Pauperes semper habebitis* &c. vbi dicit Iudæ Christum esse in plurali numero locutum *(habebitis)* quia vnus malus Iudas corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, imo corpus Ecclesiæ, ideo illi dicitur, *Tibi dabo claues regni cælorum* &c.

August. Tract. 50 *in Ioannem.*

Primus igitur nostrorum conceptuum discursus in ea versabitur, vt intelligatis vnius Iudæ reprobi malum, nostrum fore commodum si eius infælicem ortum contemplemur, & melius agendo detestemur, quale bonum sit non esse peccatorem

torem & propter peccata non damnari. Atque vt felicem exitum nostra sortiatur concio pro more diuinum numen precibus Virginis Matris implorabimus dicendo. *Aue Maria.*

Bonum erat ei. Matth. 26.

NOn abs re, quinimo sapienter mihi locuti videntur, qui dignitatem hominis propius intuẽtes Μικρόκοσμον eum appellarunt. In hoc enim quasi cætera videntur conspirasse, vt aliquid quod in se esset supremæ dignitatis in hominem referrent, vt in eo tanquam in totius huius vniuersi quodam Epilogo, diuinæ sapientiæ fastigium specularentur. Ita censet D. Greg. in hæc verba. *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ*, vbi per omnem creaturam hominẽ intelligit, eo quod habeat esse cum lapidibus & cæteris inanimatis, viuere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.

Homo Paruus mundus.

Greg. in hæc verba Marc vlt

Hinc etiam D. Basilius hæc verba Dauidis interpretans, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*: Sic exclamat: Artis tuæ solertiam Deus quę in me conspicitur, simul atque sum contemplatus, nimirum quanta sapientia corpus ipse meum compegeris, ex istius qualiscunque opificij perpensa consideratione Opificem te eximium agnoui, & prorsus admirabilem. Hæc ille.

Basil. hom. 10. in hexa. Psal. 138.

Quod autem scientia hęc quæ ex hominis consideratione nasci potest sit admirabilis, satis ex eo liquet quod subiungit propheta: *Non potero ad eam*, quasi fateretur se ad eius dignã explicationẽ pertingere non valere. Vt quid ita? nisi quia *Omnis gloria filiæ regis ab intus*? &c. Quæ verba sacri scriptores de pulchritudine tum quadam ipsius animi venustate (quæ corpori præeminens est) exponunt. Nam si dumtaxat ea quæ foris in

Psal. 44.

homine patent intuemur, etsi miranda sint illa, & conditore suo digna, tamen illud ipsum, quod in animo est, non ad instar apparentium exteriorum fugax ac labile, nec ipsius temporis decursu periturum; sed immortale ac æterno simile est; ac proinde summè admirandum.

Plato in Charmenide. Socrates quoque apud Platonē in Charmenide Principe laudat & admiratur Charmenidem qui adolescens seu iuuenis erat vultu pulcherrimus, illius ætatis & corporis proceritate & indole ac virtute egregia mirandus, ita vt omnes capti eius amore viderentur, & illum vnum cuncti tanquam imaginem quandam pulcherrimam contemplarentur, quia videlicet non solum corpore extrinsecus, sed etiam animi virtutibus formosissimus esset. Sic enim ibi inter cætera Cherephontem de Charmenide loquentē inducit: Atqui si nudare se ille vellet, vultum præ illa quæ intus latet forma deformem diceres. Cui respondet Socrates in hūc modum: Quid igitur non nudamus animū prius, interioremque formam potius contemplamur?

D. Greg. Mag. in hæc verba Cant. quibus *Cant. 4.* sponsus dotes sponsæ corporeas enarrat: *Oculi tui* *Idem etiā hom. 16. in Ezech.* *columbarum absq; eo quod intrinsecus latet*: sic loquitur. Ea quidem quæ in te non latent magna sunt valde ineffabilia, & præstantiora quæ latent.

Anima pulchritudo. Quibus verbis sponsus ipse Christus animæ fidelis suæ sponsæ prærogatiuas & dotes siue interius latitantes, siue exterius apparentes, tātas esse docet, ac præsertim animæ sanctæ virtutes, vt ob egregiam præstantiam opus sit magis silentio, quam verbis ad eas celebrandas, quasi innueret non posse fieri vt speculum aliquod lucidius in vniuerso detur, quam anima illa quæ in Dei gratia constituta est, quam si liceret oculis mentalibus intueri, sicut Angeli illam contemplantur, profectò illinc tanquam ex imagine typus quidam & exemplar ad bene viuendum prodiret, quo specu-

lantis

lantis animus ad imitandum raperetur. Atque verum illud liquidò comprobaretur quod dictum est: *Animam iusti sedem esse sapientiæ.* *Sap. 7.*

Et sicut suapte natura magnes etiam quodlibet ferri pondus ad se rapit, ita viri iusti benè cognitus animus & mens propè perspecta, quosuis etiam feroces à suis deprauatis moribus ad meliorem viuendi methodum solet inuitare.

Lucius Annæus Seneca, vicinus Apostolicis temporibus, homo secundum solas naturæ leges absque fide quasi inculpatè viuens, Lucilium sibi familiarẽ & amicum his verbis hortabatur: Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mihi Lucili Epicurus præcepit, custodem nobis, & pædagogum dedit nec immerito. *Magna pars peccatorum tollitur si peccaturis testis assistat:* Aliquem habeat animus quem vereatur, cuius authoritate etiam secretum suum sanctiùs faciat. O fælicem illum qui non actus solum, sed cogitatus emendat! ô fælicem qui sic aliquem vereri potest: vt ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet! Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri seipsi erigant. Nisi ad regulam praua non corriges. Hæc ille & plura ibi.

Sen. l. 1. Epistol. Epist. 11. Vir bonus ante oculos habẽdus. Seneca.

Quasi velit dicere quod viri alicuius perfecti vita sit intuentibus bene viuendi regula & disciplina. In eo quippe seriem virtutum contemplamur, & admiramur, nunc animi modestiam, nunc dexteritatem & in agendis rebus prudentiam, nũc in consilijs dandis maturitatem, in cibo potuque temperantiam; in aduersis fortitudinem; in prosperis humilitatem; in amicos liberalitatem, in inimicos beneuolentiam, in omnes iustitiam & cęterarum virtutum ordinem, quæ omnia non aliam ob rem inspicimus, quam vt æmulemur.

Quæ quidem cùm vera sint de probati alicuius

viri consideratione cum oppositorum eadem sit scientia, necessario sequi videbitur, vt qui hominē ex omni parte improbum fuerit ex aduerso contemplatus, satis habeat vnde vitiorum monstra declinet. Nam vt ipsa virtus animos ad sui trahit æmulationem, sic & ad fugam suadet impietas, quia quantum in ea est decoris, tantum in hac restat turpitudinis.

Aug. ser. 44. de sanctis. D. August. de Martyrum passionibus loquens dicebat: De Martyribus duo nobis sunt consideranda, sæuitia tortoris vt eam detestemur, patientia martyris vt eam imitemur.

Scopus dicendorum. Hæc igitur nostri res erit instituti, vt ob oculos vobis proponam hominis pestiferi vitam, cuius vnius consideratione mores illi contrarios sequi gestiatis. Nam qui tenebras diuturnas expertus tædio tenebrarum afficitur, sese ad lucem paulatim accelerat reducere, sic & qui in scelerato & facinoroso aliquo vitiorum omnium aliquod fuerit exemplar contemplatus, & eius exitium attenderit facilè virtutis iter aggredietur, & huius horrore, si male prius vixerit, fastidium vitę prioris sibi maturè ingenerabit. Iudam insignem illum ac perduellem proditorem vobis in theatrum producam, vt eius tragedicam vitam concionibus aliquot succinctis depingam. Filium, inquam, perditionis, AnteChristi præcursorem, supremum cacodæmonis ministrum. In illo primum licebit infælix natiuitatis omnen speculari, quam ob rem etiam non nasci satius fuisset, eius ad Apostolatus fastiguum vocationem, eius in faciendis miraculis potestatem, qua tame fuit indignus; & proinde quam indignè se suo in statu gesserit, quam sinistrè & fraudulenter loculos tractarit, quam beneficiorum immemor in stupendam declinarit auaritiam, quam crudelis in pauperes fuerit, quam miserè à fide defecerit, Arrianismum & nostri temporis hæreses inchoauerit, quam hypocrysim,

pocrysim, exercuerit, quas seditiones mouerit, & obmurmurationes: sed & in inuidentiam fraternę charitatis, alienarum conscientiarum scrutationem, in horrendam magistri sui Christi venditionem, in rerum sacrarum indignam administrationem & abusum in maledictionem, in desperationem demum in æternam dānationem tanquam locum sibi destinatum, inciderit. Hic habebunt quod detestentur sacerdotes & clerici, quod speculentur hæretici, quod abhorreant omnes fideles catholici, quod declinent omnes religiosi. Sic vt in hoc tāquam receptaculo & sentina scelerum omnium facilè sit videre quid vnicuique fugiendum, quidue sequēdum, vt de illo quod de doloso illo & proditore Synone dictum est dici possit ex Virg. 2. Aeneid. *Virg. 2. Aeneid.*

Aspice nunc Danaum insidias & crimine ab Vno
Disce omnes.

Atque vt ab hoc infausto sumamus exordium huius nostri instituti; paradoxum ne forsitan vobis videbitur quod Saluator ait: *Bonum ei erat si natus non fuisset*, &c. Et certè satis incautè dictum videretur nisi ab eo diceretur sine quo res nulla vera esse probaretur. Quam admiranda Dei sint opera (inter quæ Iudas vnum est) etsi rerum ipsa maiestas satis inspicientibus innotescere faciat; tamen si Creatoris ipsius celsitudinem contemplemur, rerum creatarum superexcellentiam & dignitatem magis admirari licebit. Id serio faciebat qui dicebat: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum* &c. Et illud: *Quid est homo quod memor es eius* &c. *Quam magnificata sunt opera tua Domine* &c. Nam si verum est quod à Philosophis conformitatem quandam effectus ad causam reperiri; necesse est vt si quæ bonitas in Deo reperitur etiam quædam in ipsis Dei creaturis reperiatur. *Ex bonis enim nil nisi bonum.*

Introductio Thematis. *Psal. 8.* *Psal. 103* *Axioma.*

Geneſ. 1. in Geneſ. *Et ea quæ fecerat erant valdè bona.* Marc.
Marc. 7. 7. *Bene omnia fecit.* Quod ita eſſe comperies ſi
ad amuſſim Creationis, Gubernationis, Conſer-
Omnes uationis, Redemptionis, & futuræ Glorificatio-
creaturæ nis opera recenſeas. Quinimò, hoc ita verum eſſe
bonæ sũt. conſtat, vt ſi vicinius rem attendamus in omnibus
diuinis affectibus aliquid communicatæ diuinita-
tis reperiemus. Nam ſi ſoli Deo rebus ipſis intimè
illabi pertineat liquidò patebit, eatenus qua Deo
plena ſunt omnia quidpiam diuinitatis vnũquod-
Hier. 23. que in ſe comprehendere. Hinc illæ voces: *Cælum*
Pſal. 23. *& terram ego impleo.* Et; *Domini eſt terra, & ple-
nitudo eius,* &c. Et mille aliæ ſimiles ſententiæ
quæ Deum ſua potentia, præſentia, iuſtitia, tamen
miſericordia creaturas omnes implere teſtifican-
tur, adeò vt ipſis rebus, magis ipſa ſit præſens di-
uinitas, quam ſibi ipſis res ipſæ. *In ipſo* (enim)
Act. 17. *viuimus & mouemur & ſumus.* Res ipſa fiet cla-
Aug. l. 7. rior ex B. Auguſt. qui dicit: Inſpexi cætera infra
Confeſſ. c. 11. te & vidi ea nec omnino eſſe, nec omnino nõ eſſe;
eſſe quidem, quoniam abs te ſunt, non eſſe, quo-
niam id quod es non ſunt.

His ita poſitis quomodo ſubſiſtit bonum fu-
turum fuiſſe non eſſe Iudam? Ex hoc fundamento
enim cogimur fateri, quod ea quæ vitam ac ra-
tionis vſum ab ipſo ſibi vendicant, diuinæ magis
conſortes eſſe naturæ quam ea quæ nec ſunt, nec
futura ſunt. Nam ſi de viuentibus tantum agatur,
ipſa viuentia magis per vitam Deo ſunt vicina
quàm quæ vitam non habent. Hic ſit igitur rerum
gradus, atque Hierarchia vniuerſalis qua ad
Deum referantur vt ad principium; vt dicamus id
quod eſt ſimpliciter, eo quod eſt, aliquid eſſe Dei
Ens & bo- ipſius & proinde aliquid boni: Nam *Ens & bonum*
num ſunt *conuertuntur,* iuxta Metaphyſicos. Deinde, magis
idem. accedit ad Deum quod eſt & viuit, quàm quod eſt
ſimpliciter ratione vitæ eſſentialis quæ in Deo
Ioãnis 14 eſt, & ad creaturas gratis deriuatur. *Ego ſum vita;*

Ea verò

Ea verò viuentia quæ vegetantur minus diuinam vitam referunt quam quæ sentiunt. Minus inquam, plantæ quam animalia bruta; Quæ verò cum sensu & vegetatione rationis habent discursum, magis vitæ cœlestis quandam participant similitudinem vt sunt homines, & hi minus quam Angeli, quibus competit post Deum vitam maximè viuentem habere propter naturæ suæ spiritualis dignitatem, qua cæteris viuentibus supereminent. *Minoratus est enim homo paulo minus ab Angelis.* *Psal. 8.*

Vt res exemplo fiat clarior: Si vitam respicis, immunda quæque animalia nobiliora sunt ipso sole, homines animantibus, plantis & sole, Angeli his omnibus magis aliquid diuinum superaddunt. Ipsum verò quod est, tot parasangis excedit id quod non est, quot sunt à cælo ad terras vsque dissidentia locorum spacia. Huius enim ad hoc nulla est proportio.

Et hæc eò dicta sunt vt verborum Christi quæ pro primo themate sumpsimus rationem exponamus. Si hoc ipso quo Iudas erat, aliquid boni erat; eo quo viuens melior erat, eo quo rationis particeps Deo similis erat & Angelis, ac proinde omni ente & animante melior, vt quid Saluator dicit: *Bonum erat ei*, &c. Quomodo id quod non erat, bonum esse poterat, cum bonum esse, prius esse requirat? An forsitam erat antequam erat? Minimè sanè. Nam idipsum explicans hæc verba negabit V. Beda, dicens: Non adeò putandus est, ante fuisse quam nasceretur, quia nulli potest esse bene, nisi ei qui fuerit, sed simpliciter dictum est: Multò melius esse Iudæ non subsistere, quam subsistere malè, id est, miserè. *Beda in c. 26. Matth.*

Ex hac Bedæ sententia patebit facilis intelligentia versus istius ex Apoc. desumpti vbi de damnatis dicitur: *In diebus illis quærent mortem & non inuenient, desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* *Apoc. 9.*

Thom. 22 q. 76. art. 1. 2. 3. *ab eis.* In quæ verba D. Thomas dicit: quod damnati non appetunt ſimpliciter non eſſe & ſecundum ſe: nam non eſſe nullo modo eſt appetibile, cum ſit priuatio & nullam habeat rationem boni, ſed appetunt non eſſe in miſeria pœnæ. Idem ferè dicit clarius alibi: Non eſſe, inquit, non eſt appetibile ſecundum ſe, ſed per accidens, in quantum ablatio alicuius mali eſt appetibilis, quod quidem malum aufertur per non eſſe: ablatio verò mali niſi in quantum per malum priuatur quoddam eſſe. Illud igitur quod per ſe eſt appetibile, eſt eſſe, non eſſe verò per accidens. Et hæc eſt prima cauſa.

1. p. q. 5. a. 2.

Alia expoſitio Lirani.

2 Aliter, & ad hoc conformiter Lyranus hoc noſtrum thema exponit de Iuda & cæteris reprobis dicens: quod ratione culpæ mortalis quæ inſeparabiliter adhæret damnatis & priuat bono infinito, quod ſic ſit eſſe pœnis quā eſſe ſimpliciter.

Geneſ. 6. Eodem pariter modo accipienda ſunt verba ex ore ipſius ſummi Dei dicentis: *Pœnitet me feciſſe hominem.* q. d. Etſi in homine per naturam imaginem meam agnoſcam, tamen propter peccatum video meam imaginem deturpari, ac in eo meam ſimilitudinem deperdi.

Peccator quaſi nihil eſt.

Ex hoc colligitur quod eſſe peccatorem & ſine gratia ſit quoddam hominis non eſſe, & quidem maius quam non eſſe omnino. Peccatum enim quoddam nihil eſt, vt interpretatur hæc verba S. Auguſt. *Sine ipſo factum eſt nihil,* quod eſt peccatum. Hoc ita videtur, aſtruere D. Paulus. *Si habuero omnem fidem vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum.* Id eſt mereor priuari non ſolum illa fide, ſed etiam ipſa natura qua ſubſiſto ſi Deum & proximum non dilexero.

1. Cor. 13

Ex hac ſecunda ſententiæ iſtius expoſitione manat hic noſter conceptus ex ipſo ſacræ ſcripturæ ſenſu elicitus. *Bonum erat ei* &c. 1. Satius fuiſſet hunc hominem non eſſe, quam exiſtendo

tot ma-

tot malis exemplis aliorum vitam destruere, & deprauatis suis moribus tot miryades corrumpere, quod factum est cum Iudæis dedit occasionem Christum capiendi, & tot in illum enormia peccata præter cætera scandala commitendi, quasi futurus fuisset Iudas duplo maiore pæna puniendus, hic. & in inferno, in eo quod scandalum multis daturus erat si superuiueret. Hinc cum vehementer maledixisset & comminatus fuisset Iudæis scandalosè prohibentibus ne quis Christi fidem amplecteretur, subiunxit: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui, in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola Asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Quamdiu enim durat eorum culpa quibus scandalum datum est, aggrauatur eorum pœna si in inferno sint qui per scandalum huius culpæ promotores fuerunt. O Iuda bonum tibi fuisset non esse, potius quam damnari propter tua scandala, & in aliorum culpa tuas pœnas vsque ad iudicij finem per singulos dies augeri. Non statim enim vbi morieris iudicium in te consummabitur donec tua sint consummata scandala, donec futuri fuerint Iudæi qui Christum proditur i sunt, deinde licet corpore moriaris, viues in filijs & vxore, qui tantam subibūt animarum suarum ruinam propter tuam proditionem. Viuent etiam tuorum malorū operum effectus in multis alijs tui similibus quos exemplo tuo perdideris. O te Infælicem & miserum qui tot ad incommoda natus es. &c. *Mat. 18.*

CONCLVSIO.

Cura igitur ô homo vt tibi sit bene per bonam vitam, ne per malam vitam fuisse pœniteat. Præuide quanta sint reprobis seruata & coaceruata tormenta, præsertim his qui vt aquam bibunt iniquitates, qui quauis vel minima recurrente occasione

Thom.22 q.76.art. 1.2.3. *ab eis.* In quæ verba D. Thomas dicit: quod damnati non appetunt simpliciter non esse & secundum se: nam non esse nullo modo est appetibile, cum sit priuatio & nullam habeat rationem boni, sed appetunt non esse in miseria pœnæ. Idem ferè dicit clarius alibi: Non esse, inquit, non est appetibile secundum se, sed per accidens, in quantum ablatio alicuius mali est appetibilis, quod quidem malum aufertur per non esse: ablatio verò mali nisi in quantum per malum priuatur quoddam esse. Illud igitur quod per se est appetibile, est esse, non esse verò per accidens. Et hæc est prima causa.

1.p.q.5.a.2.

Alia expositio Lirani. 2 Aliter, & ad hoc conformiter Lyranus hoc nostrum thema exponit de Iuda & cæteris reprobis dicens: quod ratione culpæ mortalis quæ inseparabiliter adhæret damnatis & priuat bono infinito, quod sic sit esse pœnis quā esse simpliciter.

Eodem pariter modo accipienda sunt verba ex ore ipsius summi Dei dicentis: *Pœnitet me fecisse hominem.* q. d. Etsi in homine per naturam imaginem meam agnoscam, tamen propter peccatum video meam imaginem deturpari, ac in eo meam similitudinem deperdi. *Genes. 6.*

Peccator quasi nihil est. Ex hoc colligitur quod esse peccatorem & sine gratia sit quoddam hominis non esse, & quidem maius quam non esse omnino. Peccatum enim quoddam nihil est, vt interpretatur hæc verba S. August. *Sine ipso factum est nihil,* quod est peccatum. Hoc ita videtur, astruere D. Paulus. *Si habuero omnem fidem vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum.* Id est mereor priuari non solum illa fide, sed etiam ipsa natura qua subsisto si Deum & proximum non dilexero. *1.Cor. 13*

Ex hac secunda sententiæ istius expositione manat hic noster conceptus ex ipso sacræ scripturæ sensu elicitus. *Bonum erat ei* &c. 1. Satius fuisset hunc hominem non esse, quiam existendo tot ma-


tot malis exemplis aliorum vitam destruere, & deprauatis suis moribus tot miryades corrumpere, quod factum est cum Iudæis dedit occasionem Christum capiendi, & tot in illum enormia peccata præter cætera scandala commitendi, quasi futurus fuisset Iudas duplo maiore pæna puniendus, hic, & in inferno, in eo quod scandalum multis daturus erat si superuiueret. Hinc cum vehementer maledixisset & comminatus fuisset Iudæis scandalosè prohibentibus ne quis Christi fidem amplecteretur, subiunxit: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui, in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola Asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Quamdiu enim durat eorum culpa quibus scandalum datum est, aggrauatur eorum pœna si in inferno sint qui per scandalum huius culpæ promotores fuerunt. O Iuda bonum tibi fuisset non esse, potius quam damnari propter tua scandala, & in aliorum culpa tuas pœnas vsque ad iudicij finem per singulos dies augeri. Non statim enim vbi morieris iudicium in te consummabitur donec tua sint consummata scandala, donec futuri fuerint Iudæi qui Christum prodituri sunt, deinde licet corpore moriaris, viues in filijs & vxore, qui tantam subibũt animarum suarum ruinam propter tuam proditionem. Viuent etiam tuorum malorũ operum effectus in multis alijs tui similibus quos exemplo tuo perdideris. O te Infælicem & miserum qui tot ad incommoda natus es. &c. *Mat. 18.*

CONCLVSIO.

Cura igitur ô homo vt tibi sit bene per bonam vitam, ne per malam vitam fuisse pœniteat. Præuide quanta sint reprobis seruata & coaceruata tormenta, præsertim his qui vt aquam bibunt iniquitates, qui quauis vel minima recurrente occasione

ſione ſcandaloſis ſuis moribus & exemplis, alio-rum probos mores deſtruunt, qui nec ad iudicia diuina, nec ad temporaneas culpæ miſerias, nec ad æterna pęnè tormenta ſuos erigunt oculos. Dic potius cum propheta Iob 10. Dimitte vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam, &c.
Eſa. 38. Et illud Ezechiæ Regis: *Si in talibus vita ſpiritus*
Pſal. 84. *mei corripies me* &c. *ecce in pace amaritudo mea.* Item illud: *Nunquid enim vanè conſtituiſti filios hominum?* &c. Quæ pro ſuo captu quis congeret. Amen.


SECVNDA



SECVNDA CONCIO,

Qua declaratur eadem ſententia quod fuiſſet Iudæ melius in vtero matris mori, 2. vel beſtiam naſci, 3. quam naſci talem qualem ſe fecit per peccatum. Cur natus fuit qui damnandus erat?

Bonum ei erat ſi natus non fuiſſet homo ille. Matt. 26.



SEmi-Chriſtianus ille Seneca naturam ſic hominibus dicebat à Deo comparatam eſſe vt ſi vitam bene cognoſcentibus, & ratione præditis dediſſet non naſci potius quam viuere tam miſera fallacique vita deligerent. Nihil eſt, inquit, tam fallax quam vita humana, nihil tam inſidioſum, non me hercule quiſquam accepiſſet niſi daretur inſcijs. Itaq; fæliciſſimum eſt non naſci, proximum puto breuitate vitæ defunctos, cito in integrum reſtitui. *Senec. l. de conſolatione ad Martiā c. 22.*

Non abſimile eſt illud quod diuinæ nobis tradunt literæ: *Melior eſt dies mortis, quam natiuitatis*, & hę voces. *Pereat dies in qua natus ſum* &c. *Homo natus de muliere*, &c. Hinc Salomon etſi communibus vitæ miſerijs leuamen attuliſſet Regia dignitas, diuitiæ, tum omnis generis voluptates & deliciæ non veretur dicere: *Laudaui mortuos magis quam viuentes, & fæliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiant.* *Eccleſ. 7. Iob 14. Eccleſ. 2.*

Miſeria vitæ.

Et harum quidẽ miſeriarum pręuiſio quoſdam

mouit

mouit vt dicerent nihil adeo solidæ iucunditatis in hac vita posse reperiri, quod ab huius mortalitatis angustijs non obliteretur. *Quomodo cantabimus canticum nouum in terra aliena.* Suspensos enim reddit animos & depressos terrena corporis habitatio, quę aliena est ab illa cœlesti Hierusalem, quæ nostra mater & patria est, ita vt nec Canticum voluptatis alicuius (nisi forsitan momentaneæ) liceat decantare.

Cur Infans ploret dum nascitur.

Quærentibus itaque cur præ cæteris animalibus homo solus nascendo plorat, & suis eiulatibus continuis recens natus matrem salutat: respondendum est id non aliter fieri quam instigante contra naturam peccato, & natura contra peccatum, quod causa sit ęrumnarum quas in hac vita patimur. Videt enim se progenitum & in vsuales has auras traductum per parentes & proauos Deo rebelles, & proteruos qui se tradiderunt peccato, & proditoriè fecerunt extorrem regni cælestis, & ipsius Dei iuratum hostem. Si vero homini recenter nato cum natura, ratio daretur qua miserias præuideret in quas præceps datus est, indesinenter flendo, vitam perosus, mortem accelerari sibi cuperet. Diceretque cum Aristide Philosopho, qui ob peculiares virtutes iustus appellatus est, interrogatus quantum deceat hominem viuere? Tantisper, ait, dum deprehendat emori præstare quam in tot calamitatibus viuere.

Stobæus de Aristide.

Cum die quadā rogata, cur quædam Phytonissa siue venefica mulier aut sortilega, per Saulem regem suis importunis incantationibus Samuelem prophetam vel eius vmbram suscitasset, sic Samuel illam interpellauit, *Quare inquietasti me, vt vt suscitarer*? q. d. Etsi me carceribus infernalis lymbi, & caligine quadam sentiam occultari, vbi neque damnationem neque pænam patior, & hoc mihi maximè tædiosum sit quod in medijs hisce tenebris. Non liceat diuina visione frui, etsi etiam

1. Reg. 28

modo

modo nō liceat illos honores experiri quibus me Reges olim & Monarchæ prosequebantur, quāuis lucentes solis radios non intuear, à quibus vel lucem vel calorem possim emendicare; veruntamen neque priuatio tanti luminis, aut densitas tenebrarum, aut diuinæ faciei carentia pro tempore tantum me torquent, quantum mihi pœnarum superimpendentium metuo, si cogar ad vsuram huius miseræ vitæ remigrare. Somnus mihi meus dulcior est quam indefessus viuentium labor, gratiores mihi tenebræ quam iterata malorum experientia, quam parit huius vitę mortalis incommoda calamitas, & incommoditas calamitosa & fastidiosa senectus.

D. Hieronymus in epistola qua solari conatur familiarem amicum quendam nomine Tyrasium super obitum filiæ, causam affert cur Saluator Lazarum suscitaturus ad preces vtriusque sororis tam amicè fleuerit, & dicit pro ratione: Doluit Lazarum non mortuum, sed potius resurgentem, & flebat quem cogebatur propter saluandos alios ad sæculum reuocare: Hanc vitam dans Dominus ingemiscebat. Hęc ille. Ea fuit causa cur postmodum dicatur continuo fleuisse Lazarus, quia scilicet illi peius erat quam fuerat. *Hieronymus ad Tyrasiū.*

Eo sensu possumus dicere Saluatorem esse locutum cum dixit, *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Præter expositionem compositi sensus huius sententiæ adferemus interpretationem eiusdem in sensu quodam diuiso per partes, ita vt Bonum ad omnes partes referatur. Primo igitur sic diuide. *Bonum erat ei si natus non fuisset.* Nō dicit omni sed ei scilicet Iudæ fuisse futurum bonum si non fuisset natus. Quid est homo non natus? & vbi est? & quomodo illi bene est vbi est? Homo non natus est, saltem conceptus. Homo non natus est, adhuc in matris vtero clausus. Illi vero bonum est, quia non natus est ad miserias. *Alia expositio.*

Sed

Sed bonum erat, ſcilicet, Iudæ,& conceptum potius quàm natum, & in vtero potius eſſe quam in ſæculo. Et bonum ei ſi natus non fuiſſet, ſed in vtero mortuus fuiſſet. Tale bonum ſibi contigiſſe optabat qui dicebat: *Quare de vulua eduxiſti me? Qui vtinam conſumptus eſſem ne oculus me videret?* Non deflebat ſuam damnationem, ſed vitæ præſentis miſeriam quam incomparabiliter maiorem illa credebat eſſe, quam paſſus fuerat inter medias ſordes & excrementa materni vteri, quod quam miſerum ſit & horrendum non eſt, qui non ſatis intelligat. In hoc enim pati non cenſetur infantulus quia neſcit quid patitur. Non agnoſcit tenebras, quia neſcit quam incommodæ ſint tenebræ. Atque ſi Iudas in vtero matris periјſſet, minus illi malum fuiſſet, ſi malum miſeriæ ſeu pœnæ temporalis attendamus, & minus culpæ malum,& minus malum pœnæ æternæ, nec fuiſſet quidem renatus nec circunciſus, ſed nec ob id ita damnatus ſicut fuit quia magis primorum parentum peccato originis, quam propriæ ſuæ actualitatis damnatus fuiſſet. Prius igitur ſe mortuum ſentiret & ſciret quam conceptum. Ex quo licet colligere maiorem damnationem illis contingere qui poſt Baptiſmum peccatis iterum ſe coinquinant quam ijs qui ſine Baptiſmo mortui diuina viſione per originale peccatum in æternum priuantur, quamuis non videantur propter hoc tantum paſſuri, præſertim quia cum non habuerint contra vitium originale requiſitum remedium, agnoſcunt ſe diuinæ viſionis pro tali ſtatu fuiſſe incapaces.

Plutar. l. de Amore parẽtum dicit, canes marinas in vtero parere & ſuos fœtus cum volunt ad paſtum mittere, & iterum in vuluã recipere. Fuiſſet talis. Iob. 10.

Secundo verò ſic huiuſmodi ſententiæ ſenſum partimur & exponimus: *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo.* j. Bonum fuiſſet illi ſi cum natus eſt, fuiſſet natus non homo. Quid igitur? Beſtia. q. d. Melius fuiſſet Iudæ fuiſſe beſtiam quã naſci hominem, quid ita? quia pluſquam beſtiales ſuos

2. Expoſitio. Præſtitiſſet eſſe beſtiã

motus secuturus erat. Pro cuius intelligentia notandum est, quod in homine duplices sunt motus, vnus animalis, alter rationalis; Ille impetuosus est, hic deliberatus, ille bestialis est, hic humanus? Qui cum homo sit nō refrenat bestiales suos motus, peior est bestia, quia facit in se rationem esse superfluam, & bestia vocatur atq; animalis, idest, 1. *Cor.* 3. *Animalis homo nō percipit ea, quæ Dei sunt.* 1. *Reg.* 3.
De quibus dixit Iudas Apost. tales Apostatas futuros: *In nouissimo tempore venient illusores secundum desideria ambulantes. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes?* Nonne videtur hic graphicè Iudam tibi depingere; An non ille fuit illusor Christi actionum? Nonne secundùm sua desideria ambulauit, & vt voluit in impietatibus? Nonne semetipsam propria sponte segregauit, vt Apostataret? Nonne fuit animalis, & spiritum Christi, & rationem ipsam nō sequens? Si totum vitæ illius decursum attendimus, totus fuit bestialis, sensualis, magis cum impetu quam deliberatè sua per rationem aut consilium faciens. Bonum ei fuisset igitur si natus fuisset bestia, quia ratione non fuisset malè vsus, quam non erat habiturus, qui ratione tantùm abusus est, vt bestia fuerit peior. *Cognouit enim bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui.* Quod non fecit Iudas. applica. Si canis fuisset, quandoque fuisset abblanditus hero suo, &c.

Iudæ epistola.

Esa. 1.

3. *Expositio.*

Tertiò sic omnia coniūgimus vt pronomen denotet demonstratione, & indicationem conditionis ipsius Iudæ. *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille* .i. talis. Non decebat nasci tam impudentē proditorē: Bonum fuisset Iudæ si natus non fuisset proditor. Vox igitur Christi est, quędam proditionis detestatio. Talis erat vox Dauidis mortuum, & iam fortè damnatum Absalonē deflentis? *Absalon fili mi Absalon.* Si Iudas non fuisset ille, idest, tam malæ vitæ, fuisset alter, idest, alterius 2. *Reg.* 19.

vitæ. Quasi vellet insinuare Christus, quod nulla vita poterat esse peior vita Iudæ. Quod nemo alius peior esse poterat, & quod quiuis alius esset minus malus. His igitur verbis Christus facit illum omnium reproborum Antesignanum, qualem ipsum reuera fuisse deinceps probabitur.

Ex huius sententiæ interpretatione videtis, quam infęlix fuerit huius perfidi hominis in mundum introitus, progressus, & exitus. Videtur enim hic Christus omnium, qui vnquam fuerunt, & futuri, confusiones in vnum reprobum congerere tanquam si totius nequitiæ caput esset. Bonum fuisset Iudæ esse Canium, Ismaëlem, Esau, vel alium sceleratum, sed non esse, quod fuit. Minus ergo fuit aliquod aliud, quodcunque malum, quam hoc malum.

Cur voluit nasci Iudam? Quod si ita est, & si hæc præuidit Christus, huius inquam infortunium æternum pœnæ, & culpæ tum etiam ipsius miseriæ temporalis. Cur illum omniscius nasci voluit hanc quæstionem mouet D. Chrisost. dicens: Si bonum erat Iudam non fuisse natum, quare illum produxit? quare autem cæteros prauos? & sic respondet: Ita cùm te oporteat improbos redarguere, qui poterant improbitatem negligere hoc derelicto curiosè, & temerariè opera Dei scrutaris, quamuis scias nullum necessitate cogi, vt improbitatem sequatur. Ita inquies: Sed bonos natos esse solum oportebat, nec iehenna acutis supplicijs opus erat, cùm nullum malignitatis extaret vestigium: improbos autem, aut nunquam natos, aut natos continuò decedere. Nos verò (respondet Chrisost.) illud Apostolicum dicendum arbitramur: *Atqui homo tu quis es, qui ex aduerso respondes* Deo? *Num figmentum dicet ei, qui se finxit cur me ita formasti?*

Chrysost. in hæc verba.

Rom. 9.

Illud ipsum est, quod Scholastici respondēt. Esse insipientis quærere causam vbi causa non est. An non stultum est, quærere cur Deus sit Deus? cur

Franc. de Mayr in 1. d. 40. & seq.

cur homo sit animal rationale. Nam si in omni genere causæ inuenire est aliquid primum in quo oporteat sistere in naturalibus, quanto magis in supernaturalibus? Alioquin in infinitum procedendum esset, quod est contra Philosophum dic. *Qui infinitum faciunt, auferunt naturam boni.* Sic & Aug. Si causa diuinæ voluntatis quæratur non inuenitur. Nam diuina voluntas est prima regula in omnibus contingentibus. *Aug. l. 21. de ciuit. c. 4. & 5.*

2. Quia occulta Dei iudicia nostri debilis intellectus facultatem excedunt, ideo ea inuestigare vt superfluum est, sic & stultum. *O altitudo diuitiarum*, &c. Non secus is igitur laborat, qui quęrit huiusmodi, quam qui superuacuis impendijs contendit facibus solem adiuuare. *Rom. 11.*

3. Quod si enim non possunt fugaces hominum animi rerum creatarum, & naturalium causas ad amussim recensere, quomodo scrutabuntur ea, quæ diuinam solum voluntatem attingunt? Vnde est, inquit, Aug. quod argentum quanto est candidius, tantò nigriores facit lineas, & paleæ cur tantæ caliditatis vt in hyeme poma, & oua à frigoribus conseruent ne gelu constringantur in æstate tantæ frigiditatis vt glacies conseruent? Item cur Adamas nec ferro frangitur, nec igne consumitur, & tamen hyrcino sanguine frangitur? Calcem viuam accendit aqua, oleum extinguit? Quod si horum non reddis rationem quæ naturalia, quomodo scrutaberis, quæ à diuina dependent ratione, &c. *Aug. ibid.*

Veruntamen si quærere curiosius persistis. En tibi causas cur hunc cæterosque quamuis damnandos crearit. Primò, quod eò tendat ipsius Dei creantis beneuolentia, vt in salutem non in ruinam tendant animæ. *Vult omnes saluos fieri*, 1. ad Timot. 2. vult etiam vt habeant esse naturæ pro quo (etsi tantillum videatur) honorandus, & gratiarum actione recognoscendus etiam ab ipsis *Causa creationis Iudæ. Beneuolentia Dei. Esse natura,*

 damnatis

damnatis. Quod vero talis vel talis anima decidat, & damnetur, ex accidenti fit ex parte deficientis animæ, quod latiùs alias prosequar. Magnum quidem illud beneficium, quo naturam in sua essentia, & existentia, posuit, in causa fuit cur
Luc. 19. hominem creare voluerit, etsi perdendũ. *Quod si hi tacuerint lapides clamabunt*, inquit, Christus, idest, ea quæ solum habent existentiam, & esse suo modo, Deo gratias habebunt pro suo esse naturæ. Res exemplo patebit. Rex quispiam sibi castrum extrui iubet ad inhabitandum, quod tamen scit aliquo infortunio cõburendum: Et si sciret, quod
Simile. in tali combustione castrum non deficeret, Imò quod eius potentia, sapientia, & iustitia, ex huiusmodi castri constructione reluceret? abstineretne talis Rex à castro construendo? Nequaquam. Sic nec Deus abstinet à creatione talis animæ quam præuidet comburendam, sed non consumendam, imò eius æquitatis, & iustitiæ, &c. mirabiles effectus declaraturam.

2. Iustitia Dei. 2. In horum creatione relucet diuina iustitia per quam totius vniuersi ordo conseruatur, in quo particulari præfertur bonum commune. Sicut enim ad ornamentum Ciuitatis sunt præmia bonis constituta, sic tormenta sunt impijs decreta, cruces, carceres equilei, &c. ad iustitiæ decorem.

3. Prouidentia Dei. 3. Forsitan etiam in hoc tacitè cæteros in dignitate status Apostolici constitutos, voluit ex Iudæ creatione commouere, vt omnem arrogantiæ viam præscindãt. Nam si neq; hunc neq; reprobos creasset Deus, dicerent vtiq; nihil contingere diuinitus, sed omnia fortuitò. vix quicquã à gratia, sed à natura, vel proprijs meritis, cùm tamẽ di-
Tit. 3. ctũ sit, *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos &c.* An nõ etiam diceres hanc fuisse rationem cur permiserit Adamum protoparentem, à primo felicitatis gradu decidere, ne sibi nimium applauderet? ne me-

e meritis aut naturæ propriæ aliquid tribueret? ut propria iustitia videretur fælicitatis gradum depturus? huius arrogantiæ scintilla quædã videur suscitata, cum callide querẽtis Sathanę consilijs cquiesceret, *Cur præcepit vobis Deus? &c.* Vobis]. d. vobis, qui proprijs meritis vel natura fęicitatem hanc estis consecuti.

Demum in Iudæ creatione non minus diuinæ sapientiæ, quam cæterarum virtutum resplenduit. Quoniam sicuti nihil ex omni parte bonum in creaturis, sic nec ex omni parte malum, & ita malum vt ex eo nihil boni liceat conficere. Theriaca ex Serpentum, viperarum, & aliorum venenosorum animalium confecta sunt, & interim sunt singulare remedium, & antidotum contra acointa. Aqua maris salsa est, sed & præter hoc nauigio satis accommoda est, & piscium nutritioni, & vehendis mercibus non sine magno totius vniuersi commodo. Sic & in Apibus vltra aculeum mel reperitur. Sic Plinius tradidit ex omnibus penè mulierum excrementis etiam quam efficacissima hauriri pharmaca ad hominum sanitatem, sic & ex spinis rosas colligimus, & ex fætentibus herbis sua colligunt apes mella. Quis enim Iuda reprobisque cæteris non nascentibus supplicio martyres adegisset? Nonne Iudæorum sæuitia nobis omnibus admirandam, & necessariam Christi passionem reddidit?

4. Sapientia.

Plin. l. 28. c. 27.

Addo super hæc quod ex reprobis tot sanctorum prodiere myriades. Ex tot retrocensitis in Genealogia Saluatoris reprobis, aut pro tunc peruersis regibus, & mulieribus Christus ipsemet Saluator, vt verum esse probaretur Abrahæ compromissum de eius semine ex quo Messias nasciturus erat, ob quod non est permissus Isaac mortis supplicum pati, ex quo tanquam radice suum captura erat incrementum

Christi genealogia. Quamobrem à Zacharia rectè
Luc. 2. dicitur: *Salutem ex inimicis nostris*, & illud salus ex Iudæis est.

Ad huius diuinæ sapientiæ contemplationem collimare videbatur Regius Propheta dicens:
Psal. 50. *Ecce enim veritatē dilexisti, &c. Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi.* q. d. Hoc tua diuina sapientia reuelante didici credere me non meis meritis, sed solius tuæ prouidentiæ nutu, in regem assumptum, & hoc quia ex illo semine progenitum me sciebam, vnde tuam veritatem, idest, teipsum in carne oriri oportebat. Non igitur attendisti ad iniquitates meas, & tam insolentes carnis corruptiones, tam fædam & adulterinam viuendi rationem quo minus ex semine nostro semen tuum propagares.

Illud ipsum si placet alio capietis exemplo. Meministis si quidem ad quas ille angustias deuenerat Ezechias Rex Iuda cum illud triste nuncium
Esa. 38. illi ab Esaia allatum est. *Dispone Domui tuæ*
4.Reg.20. *quia*, &c. Scitis quod tunc ex se natum filium non haberet. Hinc verso ad parietem vultu ingemiscens dicebat: *Generatio mea ablata est & conuoluta est à me*. Videbat quippe se moriturum absque prole, nisi diuinam gemitibus iram placaret. Ex aduerso verò certa fide tenebat se vnum esse ex cuius stirpe Christus nasceretur. In hac fide impetrat vitæ dilationem ad quindecim annos, vt in recta linea & progenie Dauidis Manasses indignus tali Patre filius ei nasceretur, qui & ei in regnum successit, & aliam, ex quo Christus successu temporis natus est, prolem genuit, vt promissio facta per Iusiurandum Abrahæ comprobaretur, & sic sapientia diuina ex malis bona deriuari faceret. Quamuis illa ratio non cogat nos fateri necessariò Deum malos debuisse creare propter bonorum propagationem. Potuit enim illos ex bonis ordine eiusdem sapientiæ nasci facere,

prout

proutmelius expedijsse sciuisset.

Quærunt enim quidam *An Adamo non peccante,* natus fuisset Iudas non enim erat necessarius ex quo bonum fuisset eum non nasci? Quod quidem dubium tractatur à Doct. Scotus ex Gregorio negantem partem tenet, qui dicit: Si parentem primum nulla peccati putrido corrumperet, nequaquam ex se filios ichénæ procrearet. Hæc ille.

An Adamo non peccante natus fuisset Iudas?

Scot. 2. sent. d. 20. Greg. l. 4. c. 28.

Hinc primum ab Adam admisso peccato, Deus quodam quasi dialogismo serpentem & mulierem conuenit; Serpenti sic dicens: *Inimicitias ponam inter te & mulierem & semen tuum & semen illius.* Translatio Chaldaica pro semine habet filium, inter filium tuum, & filium illius, & ipse scilicet, *Filius conteret caput tuum.* q. d. sic virum & mulierem tibi per amicitiam deuicisti, vt tibi quam mihi parere magis elegerint, veruntamen ego hanc improbam societatem dirimam, inimicitias inter filios tuos & filias eius commouendo. At verò, qui sunt filij serpentis? Sunt omnes peccatores, & qui à Deo sunt reprobati, quasi diaboli semen. Hinc illud ad Iudæos, *Vos ex Patre diabolo estis.* Iusti autem sunt filij mulieris. Sed quid? Nonne reprobi etiam vt cæteri ex muliere nati sunt? Ita est, sed quasi in vanum & superuacaneè. Dicitur enim eodem loco mulieri in peccati sui pœnam: *Multiplicabo conceptus tuos.* Ex quo colligunt nonnulli quod in statu innocentiæ non peperissent mulieres nisi filios prædestinatos, & si nunc mali inter bonos nascantur hoc videtur esse pœnam peccati.

Genes. 3.

Ioan. 8.

D. Eucherius in Genesim. & Hugo.

Quidni etiam dicere liceat quod Christus eam ob rem *filius hominis* dicitur, non hominum ne videatur aliquid habere commune cum reprobis, omnes enim hominum filij in Adam peccauerunt non filius hominis qui conceptus est de Spiritu Sancto & natus ex Maria virgine.

Cur Christus vocetur filius hominis.

Et hæc forsitan vna est ex causis, cur continentiæ

nentiæ status virginalis, matrimonio sit præferendus; quia si quotquot fuere & sunt in mundo virgines aut continentes nupsissent, filios absque dubio procreassent, plerosque reprobos; Nec forsitan tot genuissent prædestinatos, quot poterunt eligi ex numero eorum qui extra matrimonium se continent. Ac proinde videntur Religiosi, & continentes futuri causa, cur citius numerus electorum adimpleatur.

Vna causa cur sit filius perditionis Iudas.
Nec mirum igitur quod sicut Christus filius hominis, sic Iudas *Filius perditionis vocetur*. Ille enim: *prædestinatus erat filius* Dei *in virtute*, teste Apostolo. hic vero non solum: *Quia natura sumus filij iræ*, Non quia, *In iniquitatibus concepti sumus*. Sed quia post naturam corruptam voluntaria perditio tanquam mater illum in filium genuerat reprobandum. Et ideo *filius perditionis*. Videbis postmodum alias causas.

Rom. 1. Ephes. 2. Psal. 50.

Ioan. 17. Cōclusio.
Contendendum igitur nobis est, vt quas in hac vita patimur calamitates & incommoda non sint nobis aliquod initium æternæ damnationis. Excogitemus inquam media quibus in sacrificium, & in debitam de peccatis nostris satisfactionem æternæ maiestati lubenter offeramus: quicquid aduersi nobis in hac vita contingit, faciamus, vt in honorem Dei non in detrimentum animarum nostrarum ex earum creatione elucescat diuina bonitas, prouidentia, sapientia, & opus iustitiæ, faciamus vt per peccati totalem miseriam non efficiamur diaboli semen. Sed prout in adoptionem filiorum assumpti sumus ita in eadem permaneamus, cohæredes cum Christo æternæ vitæ futuri, ad quam nos perducat SS. Trinitas.

CONCIO TERTIA

super illud Thema.

Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit, Symonem &c. Et sub finem postquam binos & binos nominauit, dicit: Et Iudam Iscariotem qui fuit traditor. *Luc. 6.*

n hæc verba dicemus, Quod non fuerit error ex parte Christi Iudam in Apostolum eligentis. De duplici electione. Quod inter bonos sunt mali, vt per eos probentur. Cur nomina Apostolorum recensentur.

IVstinus & eloquentia & historiæ veritate cæteros fere sui temporis antecellens, de Alexandro Monarcha tradit, quod in strato decumbens quærentibus quem eligerent regni successorem respondit dignissimum. Et quamuis haberet fratrem filium neutrum nominauit, ita virtutis scilicet mator erat vt censeret honoribus maximè proquendos, qui illã veræ nobilitatis comitem sibi nciliarent, nullo ad amicos, aut sanguine sibi uinctissimos habito respectu. *Iustinus.*

Seneca

Seneca diuinus ille ſcriptor non abs re fatebatur. Quod tunc maximè reſpublica bene regebatur, quando non poterat eſſe maior niſi qui melior.

Illud etiam ſatis conſonum eſt ſacrarum literarum veritati hinc illud 4. Reg. 10. *Eligite meliorem de filijs Domini veſtri, & eum qui vobis placuerit*, & ponite eum ſuper ſolium Patris ſui. Numerorum 16. ſatis inſinuatur qualis is eſſe debeat,
Exod. 18. qui in ſuperiorem eligitur: *Quemcumque elegerit Dominus erit ſanctus*. Illud ipſum ſerio & ad amuſſim ſeruari conſulebat Socer ille Moyſi Iethro, qui conſpiciens quanta cum difficultate multitudini filiorum Iſraël præeſſet & vnicuique ſatisfaceret, conſuluit, vt Iudices eligerentur, qui ſolamen Moyſi laboribus adferrent. *Prouide, inquit, viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios & decanos qui iudicent populum, omni tempore.* O conſilium conſultore ſuo dignum! & ætati ſenili conſentaneum!

Quod ſi igitur in rebus quæ regiminis ſunt externi talis eſt adhibenda hierarchia, ſi tam circumſpecta Iudicum præſidentium electio, quid dicam in rebus diuinis, & ad internum totius vniuerſi non politicum regimen pertinentibus fieri debere fatebimur. An non Apoſtolorum electio, erat ad totius vniuerſitatis animarum adminiſtrationem vocatio? An non futuri erant hi de quibus dicitur: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem ter-*
Pſal. 44. *ram?* Cur igitur ad animarum regimen Iudam reprobum, non dicam admiſit, ſed elegit? Neq; ipſe ſeſe ingeſſit, nam & quomodo Apoſtolus eſſet niſi mitteretur, niſi rogaretur, niſi ad id ordinaretur?

Refert Plinius Ceruos dum tranſuadare flumen aliquod rapaciſſimum volunt, ſolere ex ſeipſis validiorem

validiorem eligere, & præmittere, sic vt primo secundus innitatur, & tertius secundo &c. applica.

Forsitan id allegoricè significatum est in ædificatione veteris arcæ, nec non altaris thymiamatis, quorum materia ex lignis Sethim esse iubebatur imputribilibus scilicet & incremabilibus. An non tacitè insinuatur quod hi qui in tabernaculo Ecclesiæ debēt Arcæ vices gerere, (per quam diuina assistentia significabatur) debeant ita se habere, vt virgā correctionis & Manna spiritualis nutritionis & compassionis, & tabulas scriptas scientię & discretionis in se contineant. An non more cuiusdam altaris thymiama deuotionis & orationis habere debent. Sed quomodo istius arcæ compositionem habebunt, nisi sint imputribilia ligna & incremabilia, scilicet nisi sint per luxuriam imputribiles, & per auaritiam incremabiles, ita vt de his dicatur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* *Exod.25.* *Psal. 28.*

Et certè mirari forsitan poterit, qui Dei secreta minus intellexerit, quî fieri potuerit, vt qui non homo dumtaxat, sed & qui verè Deus erat Christus, ac proinde suæ æternitatis mensura futura tanquam præsentia comprehendebat, & vt omniscius præuidebat Iudam male donis vsurum, & ad primos mores suum in Apostolatu breue tempus impensurum, voluerit ad huiusmodi statum eligere? Nam quod homines quandoque sua in opinione & electione fallantur, testis est Sapiens hic: *Est via quæ videtur homini recta nouissima autem eius*, &c. Et idem alibi: Via *stulti recta in oculis eius*. De Maria virgine dicitur: *Optimam partem elegit*. Quidni Christus qui Mariæ non est conferendus, vel cui Maria non est conferenda, si diuinitatem respexeris. Neque enim aliàs solet diuina maiestas populorū in fidei veritate instructorū deesse regimini. Sicut videre est in Saule de quo dicitur: *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cæpisset.* id est, tantæ bonitatis quantæ puer innocens *Tractatio Thematis.* *Prou. 16.* *1. Reg. 13.*

Psal. 88. innocens vnius anni. Sic & de Dauide: *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum, manus enim mea* &c. Vt quid igitur ad Ecclesię clauum tam sceleratũ si non cum electus est saltẽ futurum? An dicemus deceptum Saluatorem? Pro responsione ad hanc quęstionẽ. Notandum duobus modis ad aliquid aliquem eligi. Vna electio est ad ęternã beatitudinem quæ est occultæ cuiusdam prædestinationis quę nec falli nec hominem fallere potest.
Ephes. 1. De hac loquuntur sacrę literę dũ dicunt: *Elegit nos*
Act. 9. *in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus sancti.*
Ioan. 13. Et de D. Paulo: *Vas electionis est mihi iste &c.* Et
Matth. 20. illud. *Ego scio quos elegerim*: excludens Iudam. Et illud. *Multi sunt vocati pauci vero electi*. Omnes quippe sunt ad fidem vocati, sed ex ijs quia pauci sunt qui fidei fundamento superædificant opera bona. hinc est quod pauci electi.

Est & altera electio ad Prælaturam. Ad hanc fuit nudè vocatus, & electus Iudas non ad vitam
Rom. 8. æternam prędestinatus. Nam Quos præsciuit, &c. *prædestinauit conformes fieri*, &c. *Quos prædestinauit hos & vocauit, &c.* q.d. Paulus, quod electĩ ad vitam à Dei sapientia præordinantur, à Dei sapientia illuminantur, virtutum opulentia cumulantur, constanti firmitate fortificantur, cælorum præeminentia beatificantur. Iudas igitur ad vitam vocatus, per fidem in Prælatura proficere noluit, hinc nec inter electos electus est.

Videamus Patrum hac de re sententiam. Et
Aug. in q. 127. in Gen. 35. primus prodeat Augustinus: qui dum hæc verba 35. Geneseos explanat: *Hi sunt filij Iacob qui facti sunt ei in Mesopotamia*, ibi dicit adferri duodecim nomina filiorum Israël, & inter cæteros recenseri Beniamin qui non fuit ibi natus, dici autem illud per Synecdochen, vbi enim, inquit, pars maior est aut potior, solet eius nomine etiam illud quod ad illud nomen non pertinet comprehendi. Sicut ad duodecim Apostolos iam non

pertinebat,

ertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit cum
)ominus surrexit à mortuis, & tamen ipsius duo-
cnarij numeri nomen Apostolus in Epistola
ıa recensuit, dicens illum apparuisse illis duo- *1.Cor. 15. 5.*
ecim. Hi non possunt intelligi quicumque duo-
ecim, sed illi in eo numero insignes. Eo modo
)cutionis puto & à Domino dictum: *Nonne ego* *Ioan. 6.*
os duodecim elegi? Vt non ad electionem etiam
)se pertinere videretur. Non enim facile ele-
torum nomen in malum inuenitur, nisi quando
ıali eliguntur à malis. Id etiam patet ex eo quod
icit: *Non de omnibus vobis dico, scio quos elegi:* vbi *Ioan. 13. v. 18.*
eclarat ad electionem non pertinere nisi bonos.
)uodecim elegi ergo per Synecdochem dictum
st. Hæc ad verbum August.

Idem alibi dicit in eadem postrema verba. *Aug. tra. 59. in Ioannem. Vide Textum Ioan.*
Ion de omnibus, &c. Sed vt impleatur scriptura:
Qui manducat panem meum leuabit super me cal-
aneum suum. Hoc (inquit) quid est aliud nisi
onculcabit me; Ergo ipsum non elegerat, vnde
lum ab eis quos elegit isto sermone secernit.
Quod ergo dico, inquit, *Beati eritis si feceritis*
a. Non de omnibus dico. Est inter vos qui non
rit beatus, neque faciet ea: Et post pauca Aug. *Nota.*
ın & ipse ad aliquid est electus ad quod vtique
rat necessarius? Non autem ad beatitudinem de
ua modo ait. Beati eritis, &c. hoc non de om-
ibus dicit. Scit enim quos ad societatem huius
eatitudinis elegerat. Non est ex eis iste qui
anem illius sic edebat vt super eum leuaret cal-
aneum. Illi manducabant panem Dominum, ille
anem Domini contra Dominum, illi vitam, ille
ænam. Hæc ille.

2. Deinde possumus dicere quod quando elegit
uodecim Apostolos, si electio ad vitam intelli-
atur, per duodecimum vult Matthiam intelligere
ıccessorem Iudæ: sic enim testatur August. vbi
ıprà super eadem verba quod commendaret

Iudam

Aug. tract. 27. in Ioannē Ioan. 11. v. 9.

Iudam & idem alio loco dicens. Quo ergo pertinet. *Nonne hora 12. sunt diei?* quia vt diem se esse ostenderet duodecim discipulos elegit. Si ergo sum, inquit, dies, & vos horæ nonne horæ diei consilium dant? horæ diem sequuntur, non dies horas. Si ergo illi horæ quid ibi Iudas, & ipse inter duodecim horas? Si hora erat, lucebat, Si lucebat quomodo diem ad mortem tradebat. Sed Dominus in hoc verbo non ipsum Iudam, sed successorem ipsius præuidebat. Vide locum.

Cur ergo ad Apostolatum electus, si non ad beatitudinem?

August. tract. 28. in Ioannem. t. 9.

NOnnullas rationes ex Patribus audite. Primam dat August. dicens quod propter commodum aliquod, scilicet, vt Christus eo bene vteretur. Hæc sunt eius verba: Electi in laude solent dici. An electus est & iste de quo nolente & nesciente magnum aliquid boni fieret? hoc est proprium Dei contrarium iniquis. Sicut enim iniqui male vtuntur operibus Dei, sic è contra Deus bene vtitur malis operibus hominum iniquorum. Quam bonum est membra corporis ita esse, quemadmodum disponi non possint, nisi ab artifice Deo? Petulantia tamen, quàm male vtitur oculis? fallacia quam male vtitur lingua? falsus testis nonne linguam suam, & animam suam, prius trucidat, & alterum prius se perempto ledere conatur? Malè vtitur lingua, nec ideo malum est lingua, sed bono opere Dei male vtitur illa nequitia: quomodo vtuntur pedibus qui currunt ad scelera, quomodo vtuntur manibus homicidæ, & illis quam malè vtuntur: Mali auro iudicia corrumpunt, innocentes opprimunt. Luce ista mali male vtuntur. Male viuendo, enim etiam lucem ipsam quam vident ad ministerium suorum scelerum

rum vsurpant. Iens enim vt faciat aliquid mali
alus lucere sibi vult, ne offendat qui iam intus
fendit & cecidit. Quod timet in corpore iam
currit in corde. Omnibus ergo bonis Dei, ne per
gula longum sit currere malè vtitur malus,
ntra autem malis hominum malorum bene vti-
r bonus. Et quid tam bonum quam vnus Deus?
uanto ergo melior tanto melius vtitur malis
stris. Quid Iuda peius? Inter omnes adhęrentes
agistro &c. Tandem dicit postquam Iudæ mala
rrauit: Malo hoc bene vsus est Dominus, tradi
pertulit vt nos redimeret. Et Sathanas quantos
rtyres persecutus est. Si Sathanas malus non
sset persequendo, hodie tam gloriosam coro-
m Laurentij non celebraremus. Si ergo ipsius
iboli malis operibus bene vtitur Deus, quod
it malus malè vtendo sibi nocet, non bonitati
i contradicit. Artifex illo vtitur, & magnus ar-
ex si illo vti non posset, nec illum esse permit-
et, hæc ille quam egregiè.

2. Aliam rationem adfert Chrisost. ex diui- *Tom. 5. serm. 1. de ieiunio.*
misericordia depromptam. Sic igitur quærit,
re Iudam cum talem sciret, elegit? & quare
scius Adamum in paradiso collocauit? Resp.
commendaret excellentem misericordiam,
si dicat, Quod in me est, & Apostolus es, &
discipulis te numero. Quod si indignum te
larraueris, conspicua quidem erit excellens
misericordia, sed & manifesta erit prodigio-
a malicia. Hæc ille.

Dionysius Carthusianus idem fere astruit in *Dion. in c. 6. Matth.*
thæum. dic. Ego puto quod Christus elegit
am, vt videns tantam pietatem, pæniteret, &
stolicum officium dignè persequeretur.

t. certe si rem omnem propiùs inspexerimus
ntis beneficij specimen erat, omnes Aposto-
homines tam viles, inermes, detritos, igna-
impotentes, egenos, vix alicuius artis me-
chanicæ

chanicæ peritos, contemptos, hominibus incognitos, Iudæis despectos, ad Apostolatus culmen conuocari? sed inenarrabilis prorsus pietatis genus fuit, hunc impium Iudam cæteris annumerari, præsertim qui tot scelera commiserat & commissurus erat. O quantum huius intuitu pietatis Deo se placentem efficere, & suæ vocationi respondere debuerat.

Enimuero quis non sperasset se miram in hoc impio Iuda sanctitatem visurum, quem ad tales honores indignum eleuari videbant, quem tot antea horrendis criminibus irretitum vel cognouerant vel quem ipse Christus cognouerat?

Quidni verò fuisset Apostolis tunc cognitis, & mundo, qui postmodum D. Augustino satis notus fuit, qui hoc modo ipsi exprobrat ingratitudinem de beneficijs antea à Christo se eligente receptis? O Iuda quid facis, attende antequam facias? Multa tibi peccata pepercit, Te post Petrum plurimum honorauit, patrem tuum nunquid tui amore sanauit à lepra? Et matrem tuam cum qua concubueras à paralysi etiam liberauit. Hęc ille.

Aug. ser. 28. de cæna Domini. tom. 10.

An non igitur Iudas attento suæ vocationis gratuitæ liberali beneficio debebat id efficere, vt membra quæ seruierant iniquitati ad iniquitatem, seruirent iustitiæ ad sanctificationem? An non illud graue peccatum erat, cum matre concubuisse?

Vt igitur muneris agnosceret magnitudinē electus est ad Apostolici culminis dignitatem. Vt qui iam vitijs animum imbuerat, pietatis diuinæ intuitu sese à vitijs & præterita sæculi conuersatione subtraheret. Et sic quo maiora fuere beneficia, eo sibi maiora cumulauit supplicia.


Vide Ambros. rationes l. de Parad. c. 8. vbi cōparat primos parentes cum Iuda.

CONCLVSIO.

Discamus nos ab hoc scelerato diuina vocatione

tione nunquam abuti, imo per bona opera iuxta Petri consilium satagamus vocationem nostram certam facere. Discamus Dominum nihil absque sui ineffabilis & æterni consilij prouidentia permittere, quod ei possit in errorem vel specimen ignorantiæ verti. Discamus etiam inter spem metuere, ne nimium euadentes securi defectu timoris Domini eius benignitate nimium abutamur. Sic fiet vt nec Iudam in hac sui obliuione, imitemur, neque cum illo & sequacibus eius damnemur. Sed vt quoniam ad fidem sumus vocati, tandem aliquando ad gloriam sumus electi.

AMEN.



CONCIO QVARTA

Qua rationes aliæ deducentur ob quas elegerit illum quem peruerſum fore ſciebat, quæ reſpondebunt cauſis prius in concione poſtrema allatis ſuper verba:

Elegit duodecim ex eis quos & Apoſtolos nominauit, Petrum, &c. Et Iudam Iſcariotem qui fuit traditor.

LVCÆ 6.

Num. 33.



ESTIS eſt ſacra Numerorum hiſtoria, quod vbi iam propè introduxiſſet Iſraëliticum populum Dominus in terram Chanaam, præcepit illis, vt tranſito Iordane cunctos iſtius terræ habitatores diſperderent, confringerent titulos, ſtatuas comminuerent, atque omnia excelſa vaſtarent, mundantes terram, & habitantes in ea. Et rationem præcepti ſui ſubiungit, dicens: *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ.*

Quid aliud ex hoc præcepto colligitis (Auditores) quam quod in antiqua lege cum electo ſibi populo noluerit Idololatras & alienigenas conuerſari? imò ne viuere quidem: Cur idem non præcepit Chriſtus, cum ipſe per Apoſtolos ſuos fideles in terram promiſſionis gratiæ conatus eſt intro-

introducere? Cur internecioni potius mandandos non curauit omnes & Apostatas, & à fidei veritate dissidentes? Imo quid in Apostolum elegit eum, per quem etiam ministerium salutis fidelibus communicare volebat? Cur eum in suorum familiarium numerum admittebat? In hoc sanè liquidò patet quod maioris charitatis sit gratiæ lex quam illa vetus quæ tam terrendum ferebat edictum in eos, qui illi aduersarentur? O quanta cum clementia dicebat olim Saluator: *Audistis quia dictum est antiquis : Diliges amicum!* *&c.* Verum en tibi specimen vtriusque legis, hic vides Christum non duntaxat ad se vocare Iudam, sed vt eum patiatur in Apostolum eligere. Non aliam ob rem quam vt præ oculis tanquam suæ vitæ haberet æmulatorem, spectatorem, suarumque rerum oculatum exploratorem, & omnium suarum actionum diligentem inquisitorem, suorum vero Apostolorum tentatorem. Quod vt verbo dicam illum habiturus erat Christus cum Apostolis vt clauum in oculis, & lanceam in lateribus.

Matth. 5. *Nisi abūdauerit iustitia vestra, &c.*

Et hæc est opinio D. August. dicentis in hæc verba: *Quoniam gratis absconderunt superbi laqueum mihi.* Ille videbat traditorem suum, & elegit illum ad opus magis necessarium. Illius malo magnum bonum operatus est, & tamen inter duodecim electus est ne ipse duodenarius numerus, tam exiguus esset sine malo. Hoc ad exemplum nostræ patientiæ, quoniam necesse erat vt inter malos viueremus. Et quia necesse erat vt malos siue scientes, siue nescientes toleraremus. Exemplum patientiæ præbuit, ne deficias cum cæperis inter malos viuere. Et quia illa schola Christi in duodecim non defecit; quanto magis nos firmi esse debemus cum implentur in Ecclesia magna quæ de malorum societate prædicta sunt? Hæc ille.

Aug. in Ps. 34.

1. *Ratio.*

Hinc quia mortalium vita inter cælum, terramque media versatur, diuinitus ita factum est, vt quia in inferno soli essent reprobi, & in empyreo cælo soli boni, hic essent vtrimque permixti boni & mali.

Matt.25. Atque ideo, teste Gregorio, regnum cælorum quod præsentis temporis est Ecclesia, decem virginibus comparatur, inter quas quædam prudentes, quædam fatuæ sunt, quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt. Nam etsi Paterfamilias bonum semen spargat in agro suo, non deest inimicus qui superseminet zizania, quæ tamen vtraque vsque ad messem vult crescere.

Greg. homil.12 in Euang.

Matt. 13

Chrysost. hom.82 in cap.26 Matth. Quinimo, teste Chrysostomo, maiori admirationi sunt boni cum inter improbos viuunt, & eo magis eorum virtus, animique generositas comprobatur. Hinc cum sacra scriptura meritum B. Iob vult commendare, dicit quod *fuit vir in terra Hus*, id est, inter Gentiles & Idololatras Dei sui cognitione non caruerit. Dicat, inquit Greg. vbi habitauerit vt hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse. Hæc ille. Et sanè hoc ipsum videre licuit in Apostolis vndecim cum Iuda, quamuis deprauato homine, conuersantibus, quod à vocatione sua nunquam ita aberrarunt vt in via deficerent, nunquam ita ceciderunt, vt omnem resurgendi spem amitterent, etsi cadere permitterentur, casus eis non esset ad ruinam, sed in maiorem deinceps peccati vitandi cautelam. *Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

Iob 1

Greg. l.1. moral.c.1

Rom.8

Rectè igitur dicit iterum Augustinus de hac Iudæ

Iudæ electione: Electi sunt vndecim ad opus probationis, electus vnus ad opus tentationis: vnde posset tibi exemplum dare nescituro, quos deuites malos, quos caueas falsos, & fictos, nisi vt dicat tibi: Ecce ego mecum habui vnum ipsorum, præcessit exemplum, toleraui, perferre volui, quod sciebam vt tibi nescienti præberem solatium. Quod mihi fecit, hoc faciet & tibi. Hæc ille. Vide locum. *Aug. in Psal. 55*

Quod ad Christi personam verò. D. Ambrosius dicit magnum indicium fuisse probatæ conscientiæ in Christo, quod eum semper haberet sibi præsentem, & intimis eius consilijs communicantem, qui nihil aliud quam eum calumniari, & in mortem tradere per insidias quærebat. Erat quippe Christus is in quem perbellè cadere poterat hoc sinceræ mentis elogium: *Ambr. in c. 6. Luc.*

Aut appare quod es,
Aut esto quod appares,

Erat velut sol inter lucida sidera, qui nec sordidis lumen denegat, nec largiendo sordescit.

Ægyptij (teste Pierio Valeriano in Hieroglyphicis) securitatem serenæ mentis figuris & ænigmatibus describentes, gallinam pingebant, ad cuius alas rutæ ramusculus dependebat. Siquidem à felibus tutam esse aiebant, si rutæ syluestris fasciculum ipsis alis supponerent. Idem alibi dicit à serpentibus quemcunque securum fore qui rutam gestarit; quod illam sentire non valeant. Præclarum sanè symbolum, & securitati Christi rite conueniens. An non ipse est qui sibi ipsi gallinæ nomen tribuit? *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Sed quæ fuit illi ruta proximior & coniunctior nisi suaueolentissimus boni nominis odor, quo semper serpentinos maleuolorum dentes retunderet? Hinc eorum contumelias, & improperia non verebatur. *Pierius l. 23 tit. Securitas.* *Idē l. 58 de ruta et castimonia.* *Matt. 23*

rebatur. An non securum satis à serpente Saluatorem fuisse credendum est: *Qui serpentes caput contriuit?* An alius ab ipso potuit securè Iudæ proditori in faciem dicere, quod calumniantibus
Ioan.8. Iudæis dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* qui de se dicere poterat quod de Spiritu sancto
Ioan.16. prædicebat: *Ille arguet mundum de peccato?* Erat quædam veluti Salamandra, quæ etiam inter me-
Simile. dios reproborum ignes deficere nec vel tantillum peccati flammis potuit lædi. Erat vt silex & Adamas, qui percuti possunt non concuti. De qui-
Ezech. 3. bus Propheta sic loquitur: *Posui te vt adamantem & silicem.* Talis igitur erat Christus qualis omnibus apparebat, & talis apparebat qualis in ipsa re erat, ita vt nec Iudam spectatorem, neque Iudæorum aut quorumcumque societatem reformidaret. Hinc frustra iaciebantur illæ vo-
Luc.14. ces: *Quare cum peccatoribus manducat magister vester?* Illius igitur obliquos mores, rectitudo vitæ Redemptoris nostri redarguebat, qui in obliquum ipsius peccati cadere non poterat, etsi se tam improbo & scelerato familiarem præbebat.

Deinde hoc facto nobis insinuatur quod inter cæteros Iudas pro indigno, & inglorio, dicam etiam pro nihilo reputabatur, quasi eius præsentia nulli Apostolorum vel Christo posset esse nociua, vtpote qui homo nullius esset ponderis aut valoris, sed totus feculentus, sordidus, & infamis. Pro confirmatione istius nostræ opinionis
Theop. in c.3. Mar. dicit Theophylactus Apostolorum nomina, & quorundam cognomina recenseri, vt appareat inde cum honore magno & primo loco recenseri, vt distinguantur à falsis, qualis erat Iudas. Et hoc sanè rectè, nam hoc merebantur vndecim, vt ab omnibus tanquam illustres viri cognoscerentur.

Vnius igitur tam infamis consortio, non poterat tam celebris fœdari sanctorum societas, in

qua

qua Christus vt Sol medius inter Planetas reside-
bat, qui nec patitur illos extraneis impressioni-
bus labefactari. Poterant quidem tentari, sed ten-
tatione non poterant à vocatione sua deturbari,
quamdiu se sub Christi Saluatoris alis tanquam
securos, & immunes sentiebant custodiri. Ra-
tione horum omnium duo habebimus docu-
menta.

Primum, existimemus nos non esse melio-
res Christo vel Apostolis, qui nihil velimus inter
malos mali pati, præsertim cum tam execrandum
hominem ad suam societatem admiserit, quo se-
ipsum & cæteros in passionibus exerceret. Tale
erat documentum quod dicebat Christus: *Nolite* 1 *Ioan.* 3.
mirari si odit vos mundus, &c. *Mitto vos sicut* *Matt.* 10.
agnos in medio, &c.

Secundum, ne propter vnius hominis delictum
integram communitatem cõtemnamus, aut dam-
nemus, aut eius exterminum procuremus vel op-
temus. Qui hoc faciunt ipsi se Dei gratia stare
non sentiunt, sed proprijs plerumque meritis.
Verè beatus ille parens Franciscus, imò Religio-
sorum omnium ac maximè pauperum exemplar
dicere solebat se fateri inter impios impijssimum
esse, nisi gratia Dei suffultus, à peccato sibi caue-
ret. Id ipsum dicebat exhortans: *Tu quis es qui* *Rom.* 14.
iudicas, &c. Et idem: *Qui stat, videat ne cadat*, *Rom.* 11.
&c. Idem, sed: *Neque meipsum iudico.* 1 *Cor.* 4.

Ex his documentis etiam damnantur, qui loco
reformationis, ratione criminis vnius ab vno so-
lo commissi, destructionem Conuentuum procu-
rant, vt eorum prouentus in suos vsus, imo abu-
sus conuertant; contra mentem testatorum, etiam
præter mentem eorum ad quos bona pertinent
vniuersalis Ecclesiæ, quos sæpe contingit male
informari de defectibus in Conuentibus & com-
munitatibus commissis, quas satius esset cum bo-
na reformatione manu tenere, quam cum publico

ſcandalo penitus ad alios vſus conuertere, niſi vtiliores forent.

Quæ maior in mundo dignitas? vel perfectio potuit quam in Apoſtolorum ſocietate reperiri? Tamen quis neſcit quot in tam paucis fuere deformitates? Inter eos etenim duo fuerunt quærentes vindictam de Samaritanis, qui Chriſtum non receperant tanquam imperfecti. Fuerunt & honorum cupidi: *Cum facta eſt contentio quis eorum videretur eſſe maior.* Fuerunt & murmuratores: *Vt quid perditio hæc?* Et inter diſcipulos ante Apoſtolorum electionem, fuerunt & ſchiſmata & apoſtaſiæ, & multi qui abierunt retrorſum poſtquam manum ad aratrum miſiſſent, dicentes: *Quis poteſt eum audire, durus eſt hic ſermo?* dum loqueretur Chriſtus de manducatione corporis & ſanguinis ſui. Fuerunt & pœnitentes, Iudas in perditionem, Petrus in ſalutem. Fuerunt & increduli Apoſtoli, vt Thomas, aut ſemiincreduli diſcipuli: *Putabamus quia redempturus eſſet Iſraël,* &c. Luc. 24. An non & in Angelis reperit Deus prauitatem? quos pro tertia parte traxit in infernum cauda draconis? An propterea damnandi Angeli, qui in gratia permanſerunt?

Iacobus & Joãnes. *Luc. 9* *Luc. 22* *Ioan. 12.* *Ioan. 6.* *Apoc. 12*

Sunt & nonnulli etiam qui ſoleant paſſim objjcere: Vt quid ad Monaſticum ſtatum promouentur adoleſcentes, præſertim cum promiſcuè videre ſit in omni Religionis ſtatu, quoſdam imo plures male viuentes, vel ab ea retrocedentes? Quibus ſufficienter videtur D. Auguſt. reſpondere cum dicit: Non mirum eſſe ſi homines Dei ſeruis detrahunt, & qui eorum vitam peruertere non poſſunt, famam decolorare nituntur, cum ipſum Deum & Dominum eorum quotidie blaſphemare non ceſſent, cum eis diſplicet quicquid contra eorum voluntatem iuſto & occulto iudicio fiat. *Nolite mirari ſi odit vos mundus.*

Epiſt. 136

Platus. Accedit etiam quod ipſius ſtatus dignitas & pulchri-

pulchritudo facit, vt quicquid vel in minimo ab ea dissonet, illud aduertatur: sicut in veste nobili, aut in candido panno citius apparent maculæ, quam in rudi sacco, etsi illæ leues tamen sint; & hæ grandiores. Et hoc non quia hæ non sint maiores, sed quia materia super quam recipiuntur, ita deformis est, vt nulla recens deformitas appareat. Sic enim in sæculari statu plurimæ & ingentes culpæ silentio prætereuntur, quoniam ea res nihil noui habet, in religioso autem statu, etiam minimæ sunt conspicuæ.

D. Basil. dicit seculares opinari Religiosos cum moribus etiam naturam exuisse, atque adeo fit, vt sint æquè in Dei famulos iniusti, ac si neque carnem, neque spiritum haberent. Hinc si vnum in aliquo excessisse vident, cæteros tales opinantur. *Basil. cōstitut. monast. c. 7*

Heluidius hereticus cum virginitati bellum indixisset, inter cætera id quoque accusabat, quod quædam virgines essent (vt ille aiebat) tabernariæ, Cui sic respondet Hieronymus: Ego, inquit, plus dico, esse in ijs & adulteras, & quod magis mireris, clericos esse caupones, & monachos impudicos. Sed quis non statim intelligat, nec tabernariam virginem, nec adulterum monachum, nec clericum posse esse cauponem? Nunquid virginitatis est culpa, si simulator virginitatis in crimine est? Licet autem huius exemplum capere ab Ecclesia, & ex toto corpore de membro vno argumentari. Nam etsi in Ecclesia multi tam perditè viuunt, ea tamen nihilominus sancta appellatur, neque id impedit, quo minus hæc fidelium vniuersitas à Paulo Apostolo: *Sine ruga & sine macula* dicatur, quoniam ipsa per se institutio quomodo à Deo condita est, non quomodo à plerisque deformata est, inspici debet. *Hiero. lib. aduersus Heluidiū. Ephes. 5 Cant. 4*

Ecclesia quæ plures habet malos, quam bonos, quia pauci per angustam viam gradiuntur, non desinit vocari, *Tota pulchra*, &c. Sic nec collegium

aliquod

aliquod deforme, quia vnus talis est.

Epist. 34. Igitur præter instituti sanctitatem alia datur ratio ex Hieronymo, quod quicquid alij peccent id aliorum benefactis compensetur. Noli (inquit) respicere Iudam negantem, sed Paulum respice confitentem. Addamus nos plus confirmare debere tam multos Paulos quam deterrere vnum Iudam. Et hæc Hieronymi est ratio.

Exemplũ. In Hipponensi ciuitate & cænobio, in quo degebat D. Augustinus, graue inter duos exarserat iurgium: cum alter alteri magnum crimen intendisset, vt necesse esset alterutrum ingentis culpæ reum esse, vel turpis facti, vel enormis mendacij, qua de re cum orta esset in populo non mediocris admiratio ac querela, Augustinus ad eos luculentam scripsit Epistolam, in qua illos primum reprehendit, quod vnius factum in omne Religiosorum nomen retorqueretur. Deinde dicit non esse nouum quod inter homines tale quid interdum eueniat. Ad quid aliud (inquit) sudant isti, & quid aliud captant, nisi vt quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non posse omnes manifestari? Et tamen etiam ipsi, cùm aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Vide locum. *Aug. ep. 137.*

Idemque paulo infra: Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo quod domus mea melior sit quam arca Noe, vbi inter octo homines reprobus vnus inuentus est, aut melior sit quam domus Abrahæ, vbi dictum est: *Eijce ancillam, & filium eius.* Aut quàm domus Isaac, cui de duobus gemmis dictum est: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Aut melior sit quam domus Iacob, vbi lectum patris filius incestauit; aut melior sit quam domus Dauid, cuius filius cum sorore concubuit; cuius alter filius cõtra patris tam sanctam *Gal. 4. Gen. 21. Rom. 9. Genes. 25.*

man-

manſuetudinem rebellauit. Aut melior quam ipſa habitatio Domini Chriſti, in qua vndecim boni, perfidum & furem Iudam tolerauerunt, aut melior ſit poſtremò quam cœlum, vnde Angeli ceciderunt. Hæc ille.

CONCLVSIO.

Atque vt ad propoſitum redeundo concludam, dicam vos non eſſe Iudices Sacerdotum, vel Religioſorum, aut eorum quotquot pro Domino, ſua temporalia reliquerunt, nam & ipſi veſtri Iudices erunt, neque enim maior à minimo iudicatur. *Mementote illud verum eſſe: Si in vobis iudicabitur mundus indigni eſtis, qui de minimis iudicetis, Angelos iudicabimus; quanto magis ſæcularia?* Et illud: *Vos qui reliquiſtis omnia, & qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Hoc igitur vobis in mente verſetur quotieſcumque cuiuſpiam ſtatus hominem labi videritis, non perijſſe illum qui poſſit pœnitere, neque ex toto ſtatu duodecimam partem omnium qui in huiuſmodi ſtatu viuunt cecidiſſe, aut ſi ceciderit, ſtatum non eſſe meliorem Apoſtolico cætu, in quo tam turpiter cecidit Iudas & perijt, & ſic fiet vt verum ſit illud Pſalmiſtæ: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* A quo nos ſeruet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

1 Cor.6.

Matt.19.

Pſal.118.

AMEN.

* * *

CONCIO



CONCIO QVINTA

Qua quæritur an fuerit bonus in electione, an vere Apostolus, an miracula fecerit, an possint impij signa facere?

THEMA.

Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit, &c. Et Iudam Iscariotem, qui fuit traditor.

LVCÆ 6.



VOTIES sacræ paginæ Christum testantur ad orationis locum secessisse, atque id maximè nocturno tempore, tunc maximè Patres colligunt illum viam aliquam voluisse sternere præparatoriam ad aliquod nostræ redemptionis mysterium adimplendum. Vt prædicationem instituat & Apostolos vocet secedit in vastam eremi solitudinem ieiunaturus & oraturus, cum beatitudines illas Euangelicas proponere vult turbis, præmittit orationem, & montis ascensum. Cum sese tormentis paratiorem æterno Patri vult offerre, trinam in horto præmittit orationem, sic & antequam suos in Apostolos eligat? An non res magni momenti & ponderis erat eos eligere, qui in omnem terram erant mittendi? Atque ideo nonne oportuit

Matt. 4. & 5.

esse

esse duodenario numero comprehensos, vt totidem ventis præcipuis quatuor & octo collateralibus respondeant? vel quatuor mundi partibus, in quibus S. Trinitatis fides prædicari debebat? An non erant figurati in filijs Iacob, per quos Ecclesia vetus initium habuit? An non duodecim fontes in Helim, per quos verbo Dei, totus Ecclesiæ Dei hortus rigaretur? An non illi 12. lapides, qui erant in Rationali summi Pontificis, in quibus erat iudicium filiorum Israël, cum ipsi essent futuri 12. Iudices in iudicio? & illi quorum iudicio regi debebat hominum vita? An non illi semper coram Domino existentes 12. panes propositionis; per quorum scilicet eloquium debebant animæ nutriri, vt semper cum Domino simus? Nonne erant illi duodecim futuri exploratores terræ Chanaam, id est, 12. præcursores; qui nobis æternæ vitæ viam panderent? Item 12. illæ stellæ in corona mulieris dispositæ? Nam & vera mundi lumina futuri erant. An non 12. fundamenta & totidem portæ ciuitatis Hierusalem, quorum scilicet doctrina sustentaretur Ecclesia, & quorum vita nobis in paradisum introducendis porta futura erat? An propter hos orbi præficiendos Principes non oportuit orasse, & in oratione pernoctasse? Dicam & amplius in montem oportuisse conscendere? vt insinuaret eos ad sublimitatem Euangelicæ perfectionis euocari, quam mox erat traditurus, quodque ipsos constituerat tanquam ciuitatem supra montem, quæ non potest abscondi, sicut lampades non sub modio, sed super candelabrum. Deinde in montem non venisse, nisi vocatos à Christo, an non illud est: *Neminem nisi Patre trahente ad filium posse venire?* & quidem ad tantæ perfectionis celsitudinem? Nec proprijs meritis, sed dignatione, & gratia eius ascedere quenquam valere. Hinc Marcus: *Elegit quos ipse voluit*. Et illud: *Vos non me elegistis*, &c.

Exod. 15 · *Exod.* 28. · *Matt.* 19. · *Leuit.* 24. · *Num.* 13. · *Apoc.* 12 · *Apoc.* 21 · *Matt.* 5. · *Luc.* 12 · *Ioan.* 6. · *Mar.* 3. · *Ioan.* 15.

Pro

Pro secundo fundamento ponimus. Quod nunquã orauit, nisi fuerit exauditus. Hinc illud: *Quod preces fundens in cruce exauditus sit pro sua reuerentia.* Hinc & suscitaturus Lazarum: *Gratias tibi ago, quoniam audisti me, &c.* Sint igitur hæc vera: Christus orauit, & pro Apostolis orauit, semper à Patre fuit exauditus, & in monte quidem orauit, quia nemo ad illam Euangelicę perfectionis sublimitatem & apicem potest ascendere, nisi vocantè Domino, sicut dictum est.

Hebr. 5

Ioan. 11.

Sed quæres. An Christi oratio pro Iuda præ cæteris fuerit valida, quam ob id præmiserat, vt precaretur suam electionem à Deo Patre dirigi. Sicuti nos in quatuor anni temporibus solemus ieiunare, vt ministros nobis idoneos ad regimen Ecclesiæ suæ mittat Dominus? Vtrum, inquam, huius orationis efficacia bonus in electione fuerit? Quod vt resoluamus notandum est iuxta Pelbartem, in his quæ transcendunt humanam inuestigationem, vt in prædicta quæstione, quæ est de occultis cordis humani, tenendum est illud quod magis est consonum sacræ scripturæ, & rationi. Quoniam vero scriptura magis asseuerare videtur ipso tunc temporis fuisse iustum cum vocatus est, & in Apostolum electus, affirmatiuè respondemus.

Primo suffragabitur mihi Christus ipsa veritas, Ioan. 17. *Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Certum est quod loquitur ibi de perditione, quæ est secundum animam per peccatum mortale, quia tunc Iudas nondum perierat corporaliter. Erat igitur bonus cum vocatus est, & verisimiliter fuit à Deo pro suæ vocationis principio plenè iustificatus, vt Christi dignus vocaretur Apostolus.

Secundo. In textu nostri thematis dicitur Christus primo diluculo discipulos suos conuocasse, & post modum ex eorum communitate duodecim

ele-

elegisse. *Quos Apostolos nominauit*. Non est autem probabile, quod eum ex tam copioso discipulorum numero assumpsisset, nisi pro tempore iustus fuisset, cum tot alij potuissent assumi, qui re ipsa boni erant.

Tertio ad hoc accedit quod quidam dicant motum miraculis Christi, factum esse discipulum eius. Nec dubium est quia etiam visis miraculis quæreret tangere illum. *A quo virtus exibat & sanabat omnes*, & quod pertæsus vitæ prioris ad aliqualem pœnitentiam adductus fuerat.

Videamus quid hac de re Patres senserint. Prodeat Cyrillus Alexandrinus in Ioannem l.9.c.10. *Cyrillus Alex.* Vbi ostendit Adamum in initio fuisse bonum, & Saulem, sic dicit de Iuda: Sic Iudam quoque ipsum elegit Christus, & cum duodecim collocauit, aptus enim in initio erat, qui ad sequendum Christum eligeretur. Vide locum.

Theophylactus in locum thematis dicit, quod *Theoph.* pro illo tempore bonus esset, & Apostolatu non indignus, vt discamus quod non propter futuram malitiam Deus quenquam aspernetur mala operaturum, sed propter præsentem virtutem etiam honorat quem scit futurum malum. Exaggerabis hoc ad mores.

D. Ioannes Chrysost. dicit ideo Iudas, dum est *Chrysost. hom. 46. in Ioan.* vocatus ad Apostolatum fuit bonus, quia vocatio ad talem dignitatem respicit præsentem iustitiam. Quod autem postea peccauit Christum tradendo non obstat, quia Apostoli ex sua vocatione non sunt confirmati in bono; vt patet ex casu Petri. Per electionem igitur non intelligitur prædestinatio quæ est ab æterno, sed segregatio quæ est ad præsentem iustitiam. Et paulò post rationem huius reddens dicit: Vt enim intelligas non cogi ad vocationem, ideo multos vocatos perire contingit, iuxta illud: *Multi sunt vocati*, &c. *Matt. 20.*

Nicolaus Lyranus in textum adfert rationem

Theo-

Theologicam qua probet idem quod sacra scriptura & Patres videntur innuere, quæ talis est. Ratio dictat quod distributio bonorum respicit iustitiam commutatiuam, sicut dicit Philosophus; vt scilicet alicui plus detur honoris, cui plus est virtutis, & ideo non est verosimile quod Iudas fuerit ad honorem Apostolicum vocatus, nisi tunc fuerit iustus. Credo ergo iustificasse si non erat prius, vt in eodem momento tali dignus esset honore, sicut iustificauit Matthæum, & Magdalenam, & mulierem in adulteris deprehensam.

5 *Æthic.*

Thomas Beauxamis super verba nostri Thematis dicit: Hic notantur duo de Iuda, quorum vnum fuit publicum, hoc est præsens iustitia, quæ in nomine Iudæ importatur. *Elegit Iudam.* Et est id quod in eligendo est considerandum. Alterum autem est occultum: *Qui tradidit illum.* Sed quia nos scire occulta cordium non possumus, docuit nos Dominus, ne nos illa curiosè & temerè in electionibus discutiamus, sufficere scilicet, vt eligamus talem quem aperta probatum reddit iustitia. Sic electus est Saül de quo dicitur: *Quod erat electus & bonus & non erat vir de filijs Israël melior illo.* Et tamen subuersus. Vnde dicit Dominus de Dauid: *Non secundum faciem iudico.* Et ibidem: *Homines vident ea quæ patent, Deus autem intuetur cor.* Et ideo etiam Apostoli videntes in Iuda proditore humanum etiam errasse iudicium, in Mathia substituendo iudicium explorant diuinum. Hæc ille.

1 *Reg.* 9

1 *Reg.* 16.

Quamuis ergo, inquit Pelbartus, dicat August. (aut Beda cum illo) Iudam à principio suæ electionis fuisse malum, tamen hoc non ita consonat rationi & sacræ scripturæ, nisi forte dicatur sic accipiendum dictum Aug. quod scilicet ante electionem fuerit malus, & tandem post electionem recidiuauit, & quoniam modico tempore fuit in gratia, ideo illud modicum pro nihilo reputatur.

Pelbart. de vocatione & electione D. Mathiæ.

2 *Physic.*

putatur. Et hæc ſatis ad eius probandum iuſtitiam. Quod ſanè nos docet Chriſtum nunquam irremuneratam relinquere alicuius quamuis reprobi iuſtitiam, ſed aliquo vel honore, vel temporali commodo compenſare.

Vlterius quæro, veréne fuerit Apoſtolus? Et Apoſtoli munus exercuerit? Quod ſic: videtur ipſemet Apoſtolorum Princeps innuere cum dicit in illa concione, quam pro ſucceſſore eligendo habuit coram cæteris confratribus ſuis, vbi inter ea quæ de proditore, qui ſibi ſuſpendio vitam ademerat, dicit: *Qui ſortitus eſt ſortem miniſterij huius*. *Act. 1.* Per miniſterium vero quædam officij Apoſtolici adminiſtratio actualis videtur intelligi, in qua ipſe ſeſe exercuit. Electi enim erant propter duo, vt videre eſt ex Marco, videlicet: *Vt eſſent cum illo*, *Mar. 3.* hoc eſt, vt familiariſſimè illi adhærerent, & veluti fidi ſatellites magni Principis lateri latus iungerent. Et: *Vt mitteret eos prædicare*, ſcilicet, cum id poſceret res Apoſtolica, mitteret veluti legatos à latere prædicaturos, quæ à rege ſuo didiciſſent. Primum pertinet ad vtilitatem Apoſtolorum, ſecundum ad vtilitatem populi. Apoſtolus enim è Græco redditum: Miſſum ſignificat: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c.* *Pſal. 18.* Et verbum ἀποστέλλω, vnde deriuatur ἀπόστολος ſignificat curſum nauis dirigere. Hi ſunt qui tanquam glorioſiſſimi Saluatoris noſtri Chriſti, & eius vitæ obſeruantiſſimi ſectatores primatum obtinent in Eccleſiaſtica Hierarchia, altiſſimi Eccleſiæ Chriſtianæ Seraphin, quorum verba & ſcripta veritatem cõtinent infallibilem, & Scripturæ ſacræ reputantur. Hi ſunt qui Eccleſiam plantarunt ſanguine ſuo, & tanquam irriguis fontibus terram fructificare fecerunt. Hi quos non ſeruos, ſed amicos quibus arcana fidei reuelaret. Hi ſunt mundi reſtauratores, vniuerſi orbis prædicatores. Talis erat conſtitutus Iudas ad Eccleſiæ

nauim gubernandam, qui Christo adhæsit ferè vsque ad extremum vitæ, & ea fecit ad quæ missus est.

Aug. l. 2. cont. literas Petiliani Donatistæ.

Quod ita esse probat D. August. tom. 7. lib. 2. contra literas cuiusdam Petiliani Donatistæ: vbi exponit illa verba Pauli 1. Corinth. 3. Ego plantaui, id est, catechumenos feci; Apollo rigauit, id est, baptizauit, Deus autem incrementum dedit, id est, quod fecimus confirmauit. Dicit tandem postea: Minister ergo, id est, dispensator verbi & Sacramenti Euangelici, si bonus est consocius fit Euangelij; si autem malus est, non ideo malus dispensator est Euangelij. Si enim bonus est volens hoc facit: si autem malus, hoc est, sua quærens, non quæ Iesu Christi, inuitus hoc facit propter alia quæ requirit. Et post pauca. De Iuda dicit: Annunciauit Petrus Euangelium, & cæteri boni. Inuitus Iudas tamen cum ipsis missus annunciauit. Illi mercedem habent, huic dispensatio credita est. Qui autem omnibus illis annunciantibus Euangelium perceperunt, non à plantatore vel rigatore, sed ab eo qui incrementum dat, mundari & iustificari potuerunt. Neque enim dicturi sumus Iudam, non baptizasse cum adhuc inter discipulos fuerit, quando dictum est: *Ipse non baptizabat, sed discipuli.* An quia nondum Christum tradiderat, qui loculos habebat, & ea quæ mittebantur auferebat? qui pecuniæ custos esse non potuit, dispensator tamen gratiæ absque accipientium damno fuit. Aut si non baptizauit certè fatemini, quia ipse euangelizauit. Hæc ille.

Quibus verbis luculentè docet ministerium eius fuisse legitimum. Imo hoc ita verum est, vt constet quotquot à Ioanne Baptista baptizati fuerunt, iterum Christi baptismo ablui debuisse, non autem eos qui à Iuda baptizabantur, quia quotquot baptizauit in nomine Trinitatis sine baptismo Christi baptizauit, qui nec reiterari debuit.

D. Hie-

D. Hieronymus idem astruit scilicet Iudam Apostolatus officium exercuisse. Exponens illa verba Matth. 7. Arbor bona fructus bonos facit, &c. Sic dicit: Si hoc ita est, responde mihi. Quomodo Paulus cum esset arbor mala persequens Christianos & Ecclesiam Christi fecit postea fructus bonos? Et Iudas cum esset arbor bona signa faciens cum Apostolis, postea versus in proditorem fecerit fructus malos? Responsio. Tamdiu ergo nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quamdiu vel in bonitate sua, vel in malicia perseuerant. *D.Hier. l. 2. aduers. Iouinia. Matth. 7.*

Chrysostomus hunc etiam sequitur, & testis est hunc eo munere functum esse, qui in Commentarijs in Matth. exponens incidenter illam Pauli sententiam: Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, &c. Sic dicit: Qui igitur isti sunt, inquies? Multi profecto credentium acceperunt dona gratiæ, ex quibus erat is, qui cum in Christi nomine dæmonia eijceret, non tamen eum sequebatur qualis erat & ipse Iudas. Nam hic quoque quamuis esset malus gratiæ tamen munus acceperat. Hæc ille. *Chrys. ho. 25. in c. 7 Matt. 1. Cor. 13. Mar. 9. Vide locũ.*

Ex his omnibus sequitur Conclusio, quod etiam malis ministris, dum ministri sint legitimè vocati & electi, potestas quandoque conferatur miracula & signa faciendi. Imo per maliciam ministri non tolli ministerium. Hinc dicit Paulus: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos fecit nos ministros noui Testamenti, non litera, sed spiritu.* *2 Cor. 3.*

Vt autem sciamus quę sit differentia inter Christum miracula facientem, & ministros Christi audiendus est Cyrillus Alex. eo in loco vbi agit de schismate quod erat inter Pharisæos propter cæci nati sanationem. Dicebant enim ex ipsis aliqui: Non est hic homo à Deo, &c. Alij & melius dicebant: Quomodo potest peccator hæc signa facere? super hæc verba dicit ergo Cyrill. Quo igi- *Cyrill. in Ioan. l. 6. c. 16. Ioan. 9.*

tur pacto consequens est ipsum Dominum si peccator esset hæc signa facere non posse? Sed hi non sunt præcipui authores signorum qui vitæ habent prauitatem, & tamen miraculorum agendorum potestatem, quorum solum exercent ministerium, atque vt instrumenta quædam, funguntur illorum faciendorum officio. Vtitur enim plerunque Deus etiam malis, ad mirabilia opera peragenda, Christus autem erat præcipuus authot signorum, & attestatus est illa esse opera Patris, quæ non aliena neque ab extrinseco aduentitia virtute peragebat, sed solo verbi imperio, aut opere, nil nisi primarium operatorem demonstrante. Non potuit igitur, hæc in nomine Patris se agere contestans, & eadem Patris opera nominans, peccator esse, alioquin ipsa Dei Patris opera, ab homine peccatore fuissent perfecta, & illi Deus fuisset cooperatus. Hæc ille.

Quasi vnico verbo diceret ministros solum esse quædam organa signorum agendorum, & vt quædam instrumenta, quæ virtute diuina operantur. Christum vero propria virtute miracula operatum esse. Hinc ipsi Theologi potestatem faciendi miracula esse gratiam gratis datam, quæ etiam in quibusuis peccatoribus reperitur, etsi non gratum faciat habentem ex se.

Hier. in 7. c. Matth. Et hoc ipsum est quod vult dicere Hieronymus: Prophetare, & virtutes facere, & dæmones eijcere, interdum non eius meriti est qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui inuocant, vel vtilitatem eorum qui vident & audiunt, conceditur: vt licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas, prophetauerunt nescientes quid dicerent: Et Pharao & Nabugodonosor ex somnijs futura cognouerunt. Hæc ille. *1 Reg. 10. Num. 23. Ioan. 11. Gen. 41. Dan. 2.*

Vnde

Vnde cum diceret Christo D.Ioannes: Magister, *Mar. 9.* vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Respondit Iesus: *Nolite prohibere eum, nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me*; q. d. Necesse est illum hoc facere virtute fidei quam habet in nomine meo. Et talis non desinet huiusmodi potestate vti, donec nominis mei virtutem, & fidem quam in me habebat, deseruerit.

Concludam igitur verbis ipsius Christi & dicam: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.* *Matth. 7.*

Super quæ verba Chrysost. Mirentur, inquit, illi qui cum tot signa fecerint puniantur, tu vero nihil mireris. Omnis quippe gratia Domini est solummodo largientis. Illi autem nihil ei de proprio attulerunt, propter quod etiam merito puniuntur, qui erga eum, à quo ita honorati sunt, vt talia etiam indignis dona conferret ingrati existere maluerunt, tantorumque beneficiorum prorsus immemores. Et tandem egregie post allata multa veteris & noui testamenti exempla sic concludit. Timeamus igitur dilectissimi, maximamq; curam sanctæ conuersationis adamemus: nec putemus minus aliquid nos habere, quia modo signa non facimus. Nihil namque tunc nobis propter illa amplius reddetur, sicut nec minus dabitur, quia signa non facimus, si vtique omnibus virtutibus studuerimus abundare. Hæc ille. *Chrysost. hom. 27. in cap. 7. Matt.*

Non aliam ob rem venientibus ad se 72. discipulis, & dicentibus: *Ecce etiam in nomine tuo dæmonia subijciuntur nobis.* Dixit: *Videbam sathanam tanquam fulgur de cælo cadentem. Nolite gaudere* *Luc. 10.*

quia dæmones subijciuntur vobis, sed quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis. Illuc nos perducat Pater, & Filius, &c.

Si voles aliam facere concionem sumes materiam ex isto loco Pauli 1. Timot. 5. ver. 17. Presbyteri qui bene præsunt duplici honore digni sunt. Et tractabis quæstiones.

VTRVM Iudæ debebatur idem honor qui Petro? An mali Sacerdotes credendi? vide Ludouicum à Soto maior. super Cantica in hæc verba: Pasce hædos tuos iuxta tabernacula Pastorum. Item. An agnoscenda sit authoritas Episcopi male viuentis? Vide pulchra in Alphonso à Castro titulo potestas. Et Concil. Trid. sess. 7. a. 10. sub Paulo 3. & sess. 4. a. 10. sub Iulio, vbi contrarium tenentes anathematizantur. Vide etiam Commentatores in hęc verba super Cathedram Moysi, &c. Quæ poteris etiam interserere iuxta circumstantias, locorum, personarum & temporum.

CONCIO


CONCIO SEXTA.

Qua tractatur quod fuerit primum Iudæ peccatum post electionem. Cur præscito furi commissi denarij? Cur vltimus inter Apostolos?

THEMA.

Iudas fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Ioan. 12. ver. 6. & Ioan. 13. ver. 29.

AVE MARIA.



OMMVNIS est vulgi opinio, quod qui ad aliquem honoris gradum eleuatur, vt plurimum accedere debeat, & soleat quædam morum in melius, aut in peius immutatio; Et sanè quoniam vt dicitur: Vox populi, vox Dei non ausim inficiari rem ita sese habere. Nam & id ex voluminibus sacris Regum videre licet. Quoniam mox vbi diuina voluntate sic disponente, & populo seditioso sic acceptante, in Regem Israël Saul assumptus, & per Prophetam Samuel oleo vnctus esset. Subinde dixit illi Samuel: *Cum ingressus fueris ciuitatem, obuium habebis ibi gregem Prophetarum: Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum.* Etiam Regum filij, dum tanquam regni hæredes ad futurum regnum extra paternas ædes

1 Reg. 10.

Quatuor ibi de Saule dicuntur.

nutriti sunt, ignari suæ conditionis vsque ad ætatem iustam. Si contingat sui status postmodum certiores per suos nutritios fieri, tunc non nisi magna solent meditari, & cum sui similibus conuersari, & in alios prorsus viros immutari. Sic qui ab humili loco, sine meritis sunt ad aliquas euecti dignitates animos suis adaptare solent conditionibus, ne eis generosus animus deesse videatur.

Sic & Alexander Philippi Macedonis filius, dum grandæuus factus est, dignitatis regiæ consideratione elatus dicere solebat: se non nisi cum Regum filijs in arenam, & hastiludij palestram congredi velle.

An non igitur ad instar illorum ad primam totius orbis dignitatem euectus, & ad veluti quoddam temporale dominium sine meritis eleuatus Iudas debuit magna cogitare. Esto, quod pro tempore ingressus sit in eum Spiritus Domini, quod cum prophetantibus prophetarit, id est, gratias sibi gratis commissas administrarit; Nonne debuit in virum alterum mutari? vel de bono melior & optimus fieri? Debuit equidem, qui talia sciebat sibi indigno collata, si non intuitu propriæ conscientiæ, saltem sui Præceptoris, cum quo dies integros versari oportebat, intuitu & consideratione eorum apud quos Apostolicum munus exercebat, apud quos suis exemplis rectam opinionem, & iudicium sibi conciliare debebat?

Psal. 40. *Cur Iudas homo pacis, i. in quo seipsum totũ committebat.*

Ac forsitan hæc ratio est cur eum Propheta: *Hominem pacis appellarit. Etenim homo pacis meæ in quo speraui, magnificauit super me supplantationem.* August. in hæc verba sic dicit: Quis est iste homo pacis istius? Iudas. Et in illum sperauit Christus, quia dixit: *In quem speraui.* Nonne illum ab initio nouerat? Nonne antequam nasceretur futurum sciebat? quomodo ergo in illum spera-

ſperauit, niſi quia in membris ſuis ipſe eſt, & quod multi fideles de Iuda ſperauerunt, hoc in ſe transfigurauit Dominus. Quando enim videbant Iudam multi qui crediderunt in Chriſtum, ambulare inter duodecim Apoſtolos, ſperabant in illum aliquid, quia talis erat, quales & cæteri. Chriſtus autem quia in membris ſuis erat hoc ſperantibus, quomodo in illis eſt eſurientibus, & ſitientibus; Quomodo dixit: *Eſuriui, ſitiui,* ſic: Speraui dixit, &c. Vide locum Auguſt. & pulchra reperies. *Matt.25.*

Quid igitur tu impie Iuda? patieris hanc ſpem hominum de te inanem fore? An non quæ ſeruierāt iniquitati ad iniquitatem membra, debuiſſent ſeruire iuſtitiæ ad ſanctificationem? Nonne quo altius erigebas ædificium tanto ſolidius iacere debuiſti fundamentum? Quid dicam de fundamento Iudæ? quid dicam de eius ruinæ initio?

D. Athanaſius, vt agat de Iudæ fundamento, exponens illa verba Matth. *Homo quidam domum ſuam ædificauit ſupra petram* (inquit:) Quis ille homo, ſanctus Petrus: Petra Chriſtus, domus fides, ventus diabolus eſt. Qui vero ſuper arenam ædificauit, Iudas eſt, arena ſiquidem eſt ſterilis. *Matth.7. Athan. queſt. pa-rab. ſacr. ſcrip. q.44*

Voluit igitur innuere Athanaſius, quod non pluuia, neque flumina cum impetu deſcendentia, id eſt, variæ tentationes, poſſint commouere conſcientiam habentem Chriſtum pro fundamento tanquam firmam petram, vt ex hoc intelligamus, quia qui ſeipſum non prodiderit, nec à ſeipſo fuerit motus, nulla ſuperueniens tentatio eum deijcere poterit aut mouere. Illud vero ædificium facile ſubuertitur, non pro tentationum violentia, alioquin & illud aliud ædificium deieciſſet, ſed propter fundamenti, id eſt, propoſiti infirmitatem. Arena enim eſt res mobilis & fluens, quæ ſine du- *Chryſoſt. hom. quod nemo lædi tur niſi à ſeipſo. Propoſitū bonū neceſſariū. Dixi cuſtodiam vias meas*

bio

Psal. 28 bio instabilitatem atque inconstantiam significat animorum. Non ergo lapsus & ruinæ causa tentatio est, sed instabilitas animi & ignauia est, quæ etiam sine tentatione sæpe sponte deijcitur, sicut & ipsa fabrica quæ super arenam fundata est, etiamsi flumina, ventique non vrgeant, ipsa tamen paulatim effluens, instabilis arenæ ædificij crepidinem subruit & euertit. Nam & arenæ sponte rumpuntur. Adamas vero nec malleis cæsus infringitur, ita ergo qui à semetipso non læditur, etiamsi tundatur ab alijs, non potest lædi, qui vero animi sui ignauia proditur, etiam nullo perurgente, sponte defluit & resoluitur; sicut & Iudas ille non solum nullo extrinsecus impellente delapsus, sed è contrario pluribus adiutus remedijs stare non potuit. Nam vbi primum illi concreditæ fuissent pecuniæ, quæ Christo mittebantur, in tantum earum amore captus est, vt pro fundamento suæ vocationis furtum, sacrilegium, rapinam, fraudes substitueret. An forsitan & pecuniæ, causa ruinæ fuerunt? Dicant hoc qui male de diuina prouidentia sentiunt, quæ nunquam quicquam hominibus ad detrimentum distribuit. Furtum, inquam, fuit ædificium super arenam, i. pecuniam rem instabilem, & inconstantem, & perituram ædificatum. O quam bene dixit, qui scripsit: *Cupiditatem radicem omnium esse malorum.* Principium, inquam, cathenæ peccatorum ampliandæ. Veruntamen ego puerulis illis Iudam fuisse similem opinor, qui dum propter præteritas eluendas culpas disciplinam recipere, & paulo emendatiores esse cæperunt, mox obliti prioris culpæ, prioris gratiæ grauius recidunt, quia seipsos non agnoscunt. An dormiebas Iuda cum tibi tam suauiter, & toties astanti Christo, toties te suo exemplo ad diuitiarum contemptum attrahenti cogitabas quibus modis famem saturares pecuniarum possessione? vt quid tibi pecuniæ superfluæ

Adamas.
Ezech. 3. Posui te vt adamantem & silicē.

Iudas quibus similis.

perfluæ in eius societate existenti, qui dixit: *Nolite solliciti esse quid edatis, aut quid bibetis, quo induemini. Quærite primo regnum Dei, &c.* Non erat memor remorsus. *Luc. 6.*

Fecit idem quod solent qui ex graui & diuturna infirmitate & extremo quasi morbo resurgentes, iam vires incipiunt recuperare, primo non cogitāt quod languidi sint ratione infirmitatis diuturnæ, quodque ideo virtutem habent debilem, & tales quicunque ventus, vel mala nox, vel robustus cibus accesserit, deijciuntur primo momento. Ita hic non mirum est quod mox qui ab infirmitate, & peccatis quibus scatebat per Dei vocationem ad Apostolatum mox ceciderit, cum ipsemet sese ventis tentationum exposuerit, cum ipse non ipsam lucem Christum in actionibus suis secutus fuerit, cum & spiritualibus cibis, quibus abundabat, & quos gratis dabat, vti noluerit. An non debuisses potius, ô Iuda, retroactæ vitæ memor dicere cum Propheta: *Laboraui in gemitu meo, &c.* Et cum Rege pio Ezechia: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine, &c.* An forte minorem culpam tuam fuisse credis, quam Dauidis, & Ezechiæ? O si Dauid, si Ezechiæ Regi licuisset oculis videre quod tu contrectasti, quod ipsi solum spiritu crediderunt! ô quantis parasangis vitam omnium fidelium, ac tuam ipsius vitam bene viuendo superassent! An non tu intereras illi sermoni cum dictum fuit: *Multi Reges & Prophetæ, &c.* Interim quid egissent si vocati fuissent, si discipuli, si Apostoli, si procuratores Christi fuissent. An non potius tibi debuisset ante oculos versari illud quod dicit idem Dauid: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quoniam magna est misericordia tua super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiore.* Recidiuus ergo factus est sui incognitione.

Simile ab infirmo.

Psal. 6.

Esa. 38.

Luc. 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

Psal. 85. Benedic anima mea Domino &c. Psal. 102.

2. Acce-

Similitudo recurrit cũ iã dicta. 2. Accedit quod quibusdam fuerit similis Iudas, qui cum ab infirmitate liberati sunt, dum aliquantulum suas vires recuperarunt, nunquam se existimant ad pristinum morbum vel grauiorem redituros, sicuti quos ad vnum vel alterum diem febris reliquit, dicunt: Nunc volo ad satietatem comedere, sed non putant adhuc esse reliquias quæ in grauiorem morbum recidere faciunt: Sic & Iudas cum in gratiam cum Christo redijt, ipsiusque amicus est effectus, non cogitauit quod omnino non esset sanatus, quod remanebant adhuc quædam peccatorum reliquię, quod voluntas magis ad bonum creatum quam increatum inclinaretur. Ideo sicut filij Israël recidit in cogitationem præteritæ voluptatis absque consideratione præteriti mœroris concepti ex peccatis contractis; cogitabat adhuc Ægyptum.

Matth.9. 3. Fuit quibusdam paralyticis sanatis similis, quibus post sanitatem iniunctum est vt ambularent, sic Christus: *Surge, & ambula*, scilicet, pro continuatione sanitatis, non autem pro ostensione solius veritatis, sic non poterat quin laberetur Iudas, qui bonis operibus non exercitabatur. Nam qui furto incumbit, in id ita incumbit, vt alijs non exerceatur.

Cur ei crediti denarij. Sed dicerent vtique Iudæ complices? Vt quid homini furioso gladium? vt quid irato cultrum quò se iugulet? vt quid pecuniæ dantur homini auaro quibus se perdat? Triplex enim habebat officium Iudas: Officium Receptoris eleemosynarum; Dispensatoris in rebus necessarijs, & Eleemosynarij eorum quæ restabant. Et tamen fur erat, quia multas recipiebat pecunias, & eas sibi applicabat, fur qui in necessarijs non expendebat quæ debebat, fur qui concreditas sibi pecunias, superfluasque fingebat se dare pauperibus, & sibi retinebat. Hinc pro se faciebat

ciebat vt multæ in cistam pecuniæ reciperentur, multas collectas fieri iubebat, vt dispensando eas decimas reciperet ad suum profectum. Hinc ille zelus qui procedebat ex eo quod optabat vendi vnguentum, vt ad suos vsus rediret emolumentum, quod in pauperum debebat cedere nutrimentum. Sicut dicit textus: *Non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat*, &c. Et interim Christus hæc videbat, sciebat, tolerabat, imo hæc præsciuerat, & interim hinc dispensationem committit. An non hic est villicus iniquitatis? Quid, ô bone IESV, posuistis offendiculum & laqueum pedibus Iudæ? Eumne existimas ad ignem accedere potuisse, nisi vreret? *Potéstne homo abscondere ignem in sinu suo, & vestimenta eius non ardeant?* *Prou. 6.* Dedisses Petro potius, aut alicui ex cognatis tuis quos magis sinceros & fideles fore præsciebas hoc munus, non dedisti, hanc prouinciam non commisisti? An non scis quia paterfamilias filio prodigo distribuens pecunias etiam detrimentum suæ prodigalitatis passus est? *Luc. 15.* Multæ certè sunt eæque peruttles causæ, ob quas Christus dispensatoris munus Iudæ commiserit, primo respondet D. Augustinus id Christum fecisse, declarando quod in Ecclesia non essent defuturi, qui bona raperent Ecclesiastica, qui ob id nobis esse scandalo non deberent; cum & inter duodecim probos vnus esset Iudas. Hic ages in dispensatores, auaros, qui non dispensant abundè religiosis bona sibi concredita, cum dictum sit de ijs *qui reliquerint patrem & matrem*, &c. quod centuplum accipient, quod de temporalibus intelligunt omnes in scripturis versati.

Aug. trac. 50. in Io. Forsitã etiam gestabat pecunias antequã Apostolus esset. Hinc & vellebãt spicas quia à Iuda forsitã nihil acceperant.

In procuratores qui ad suos vsus retinent multa, in receptores, Iudæ similes; qui à paupertate ad contrectationem tot pecuniarum venientes mirabundi illas sibi reseruant, vt tanquam Deum, *Matt. 19.* *Luc. 6.*

& ido-

& idolum illas colant. Hinc auaritia talibus est idolorum seruitus.

In eos etiam abbates qui non satisfaciunt bonis sibi relictis ad vsum pauperum. Ages in æditu os, executores testamentorum, tutores, administratores hospitalium. Ages in receptores principum, qui ex paupere statu dum ad quæsturam veniunt, nunquam satiantur visu pecuniarum & possessione ad quam toties anhelarunt.

2 Ratio. *In c. 12. Ioan.* D. Thomas addit aliam rationem: vt minus digno cura temporalium committeretur, spiritualibus & magis dignis, cura spiritualium. Ad hoc videtur etiam Paulus alludere scribens Corinthijs: *1 Cor. 6.* *Sæcularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Ministrare vero mensis erat temporale. Ostendit ergo pecuniæ possessionem periculosam.

Cyril. l. 8. in Ioa. c. 7 Chrys. ho. 64. in Ioa. Idē hom. quod nemo læditur nisi à seipso. 3 Alia est responsio Cyrilli, & Chrysostomi, scilicet, quod Christus cognoscens Iudam auarum, & quod ipsum deberet ad mortem tradere intuitu vilis precij recipiendi, voluit ipsum inter manus, & penes se habere repositas pecunias; tantum vt nihil ei deesset, vt huius intuitu experiretur, vtrum eius desiderium satiaretur, sed quid? *Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.*

Beda hoc loco recte vide verba eius. Theoph. in 12. c. Ioa. Ori. hom. 4. in Cāt. Chrys. idē dicit ser. 1. de ieiu- Ad idem Theophylactus, sic dicit: Propter illud ipsum quod fur erat, dispensationem ei permisit Dominus vt omnem ei occasionem auferret. Non enim poterat dicere, quod propter pecuniarum amorem eum prodiderit. Nam satis consolationis ex marsupio habebat, neque marsupium gerens fidelis erat. Portabat enim, hoc est, furabatur quæ mittebantur. Sacrilegus erat, in suum vsum rapiens, quæ in diuinum dabantur. Audi, sacrilegi quarum partium sint. Et caput malitiæ est, quod postea vendidit Dominum. Vides quò ferat auaritia? Bene igitur Paulus

lus radicem omnium malorum hanc vocauit, vtpote quæ prodiderit Dominum, & quotidie hoc faciat. Hæc ille.

nio dic. Volebat dando hāc potestatē eius auaritiæ mederi.

1 Tim. 6.

Ex hac ratione docentur hi, qui seruos alunt, ne defraudando mercedem causam proditionis sui vel suorum bonorum adferant. Hinc in castris rebelliones: hinc militum direptiones, quia dicunt se non stipendijs quotidianis ali, ac proinde in regum, principum, subditorum personas insurgendum. Applica.

Recurrit cum 2. hæc ratio.

Aliam rationem adfert idem Theoph. eodem loco, quæ cum secunda concurrit dic. Nonnulli aiunt ideo creditam Iudæ pecuniarum dispēsationem, ceu minorem alijs. Nam pecunijs ministrare minus est quam doctrinæ. Sicut in Actis dicunt Apostoli: *Non licet nobis relicto sermone ministrare mensis.* Hæc ille.

Act. 6.

Didac. in 6. Luc.

Cur postremus recensetur.

Quam ob causam fortè animaduertit Didacus Stel. quod Iudas Iscarioth vltimo loco inter Apostolos recensetur, non quod posterior venerit ad Christi scholam, sed quia traditor & iniquus fuit. Adde etiam quia temporalium præsertim habuit administrationem. Quo loco vides vitia & temporalium curam hominem ponere in humili & infimo loco. Quod quamuis in Dei iudicio & inter Euangelistas ita sit, tamen mundus non sic facere consueuit. Nam homines pessimos, flagitiosos, & morte dignos priore loco collocat. Vnde Ps. 72. *Ecce ipsi peccatores abundantes in seculo obtinuerunt diuitias*. At viri studiosi & integritate vitæ, & candore fulgentes, in mundo infimum locum obtinent. Id patet de Diuite & Lazaro, sed postea vice versa qui contentus fuerat in cælo primum locum obtinet in sinu Abrahæ. Ioseph principaliorem, & nobiliorem iudicabat Ephraim, quia maior natu erat quam Manasses, at sanctus Patriarcha Iacob diuino afflatus spiritu manus immutauit, & minori qui diuina præ-

Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus.

Gen. 48.

desti-

destinatione erat electus, quique gratus & iucundus Dei oculis inueniebatur: dexteram imposuit, manum sinistram autem maiori. Solet enim contingere, vt cum domus aliqua à nemine habitatur, omnia quæ in ea sunt transmutata, & nullo ordine dispósita inueniuntur. Nam scabella, subsellia, & mensa cum lectulis inuoluuntur: at cum Dominus aduenit, singula suis locis apponuntur: sic nunc in mundo contigit vbi omnia sunt inuersa & iniquo ordine disposita, nam qui meliores sunt minoris æstimantur, &c. Vnde Babilonicam confusionem hunc mundum rectè dixeris. At cum venerit Dominus omnia suo disponet ordine, hoc igitur teste voluit significare Didacus cum dicit hanc ob rem vltimo loco Iudam numerari, atque ob id tanquam indigniori indigniorum administrationem committi. Act. 6. *Posuit alios ad procurandum viduas ministerio quotidiano temporalium, de se autem dixit.* Nos autem ministerio verbi & orationi instantes erimus.

Similitudo.

Act. 6.

Cur Christus Iudã non corripuit.

Quærit in cap. 12. Ioannes Albertus, cur non corripuerit Iudam, quem sciebat in Apostolatu furem esse factum? Respondetque quod non corripuit, quia non sciuit vt homo, sed vt Deus, docés nos nullum debere corripere de his, quæ non nisi vt Deus scimus. Hic ages in eos, qui verbo, vel nutu, vel actione, sigillum confessionis produnt. In prælatos, qui volunt suos subditos cogere vt sibi confiteantur, vt statum conuentuum rescientes possint immutare. Deinde in eos, qui communicant extra confessionem pœnitenti, quæ audierunt vt Deus in confessione, absque ipsius pœnitentis licentia.

Quanti putas sunt in Ecclesia factum Iudæ detestantes, & tamen continuè Iudæ malitiam exercentes? habentes enim facultates Ecclesiæ ex iniuncto officio loculos Christi habent, & ea quæ vel diuino cultui, vel pauperibus erogare deberent

rent proprio retinere quæstui non verentur. Portant vt Iudas, j. asportant vt dicit Albertus, quibus illud congruit quod dicitur: *Tollis vbi non posuisti, & metis vbi non seminasti.* Genesis 31. dicebat Laban: Tulit Iacob omnem substantiam patris nostri, & de illius facultatibus ditatus factus est inclytus. Hæc est vox quærulantium pauperum de Prælatis Ecclesiæ. *Luc. 19. Matt. 25.*

Similes sunt Iudæ illi Sacerdotes & Clerici, qui antequam aliquod beneficium possideant dicunt: O si ego paruum beneficium haberem, quàm ego felix essem, quam bene me regerem, pauperibus benefacerem! Tum verò habito beneficio: ô si ego præbendam haberem! Tandem & beneficio & præbenda habita, nec dant pauperibus, nec benè viuunt, sed vel luxui vacant, vel auaritiæ, vel diuitijs inhiant pro parentibus accumulandis, tandem ruunt in simoniam cum Iuda, &c. quia res sacras diuendunt, distrahunt, & quo velent superficie tenus quod apud Deum detectum est intuitu cuiusdam pensionis. *Qui similes Iudæ Sacerdotes.*

Nam & illum Iudam Simoni comparat Beda, dicens in hæc verba: *Annuerunt socijs qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos.* Alia nauis est Ecclesia de Gentibus, quæ & ipsa non sufficiente, vna nauicula piscibus impletur electis, *quia nouit Dominus qui sunt eius*, & apud ipsum certus est numerus electorum. Dumque tot in Iudæa credituros non inuenit, quot ad fidem, & ad vitam nouit prędestinatos æternam, quasi aliæ nauis receptacula piscibus quærens suis, corda quoque gentium fidei gratia replet. Et bene rupto rete socia nauis aduocatur, quoniam ante Iudas proditor, ante Simon Magus pisces nequissimi capti sunt, ante Ananias & Sapphira fidei rete subdole tentabant ingredi, ante, vt Ioannes testatur, multi discipulorum abierunt, & iam non cum illo ambulabant, ac deinde Barnabas, & Paulus *Domin. 5 post Trin. Luc. 5. 2 Timo. 2. Act. 8. & 5. Ioan. 6.*

Act. 13. ad Gentium sunt Apostolatum segregati. Hæc Beda doctissimè.

Hic ages in eos qui sunt proprietarij, in Religiosos, & qui res Conuentuum, vt proprias, penes se conseruant, nec eas, quod deterius est, in aliorum vsus volũt cedere, etiam ad id instigante Prælato; ad quem pertinet sic inuigilare, vt ne quid suis subditis desit, ne per huiusmodi proprietarios vsus cum Iuda sacrilegium incurrant. Et sic cum ijsdem in damnationem ruant, nisi resipuerint, præsertim si postquam ex animo mundum, & ea quæ mundi sunt reliquerint, iterum ad mundum redeant, hoc est, moribus sint magis sæculares, quam Religiosi, rerum superfluarum commoditatibus accumulandis inhient, & toti versentur in sæcularibus curis & desiderijs, ijs postpositis quæ ad statum eorum pertinent.

Notabis etiam quod ad satietatem permittitur, quibusdam mundi amatoribus amplas habere diuitias, quia illas concupiscebant, vt postea grauius damnentur, quia eis bene vsi non fuerint. Sicuti per similitudinem illam declaratur, quæ à Saluatore nostro adfertur, Luc. 12. De Diuite, qui cum se securum arbitrabatur perijt.

Poteris tractare etiam illam quæstionem,
Quare via impiorum prosperatur?

CONCIO

CONCIO SEPTIMA.

De Hæresi ipsius Iudæ: quantum sit malum in hæresim cadere. Quod Caluinistarum cæterorumq; Sacramentariorum sit primas, quod & Arianus fuerit.

SVPER HOC THEMA.

Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim IESVS *ab initio, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.*

IOANN. 6. ver. 64.



TSI iuxta propheticum sermonem: *Multa sint flagella peccatoris,* Psal. 31. quibus in illum Deus iustissimè sæuire possit, veruntamen acrius solet & vehementius insurgere in quosdam, quàm in cæteros, & hoc non absque iusti sui Iudicij mensura, quæ rectitudinis margines nullatenus excedit. Atque ego illum maximè fœlicem præ cæteris existimo, qui temporaneis flagellis à Deo percutitur, ne cum mundanis damnetur si per huiusmodi flagella, deterior non euaserit. De seipso talibus flagellis cæso dicebat Dauid vbi supra: *Conuersus sum in* Ibidem. *ærumna dum configitur spina.* Quid ita? rationem adiungit: *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua.* Quasi diceret: Ego in te, ô Deus, excessiuam amoris erga me dulcedinem experior,

quod mox vbi delictum aliquod perpetraui, mox me castigas & corrigis, & quod hæc correctio non mihi sit vana vel inutilis, imo conuersionis & vitæ in melius emēdationis certissimum quoddam calcar. Memini equidem dum sanus & integer essem viribus, vix in pulueribus medijs, & in ignorantiæ tenebris, peccatum meum dignoscebam; nūnc autem: Delictum meum cognitum tibi feci. Dum tu timore tuo carnes meas confixisti, & leuioribus hisce vix momentaneis morbis me flagellasti. Et hoc ipsum est, quod Gregorius dicit: Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Sic & viator quamdiu sibi delectabile videtur iter in eo solet pergere: Dum spinosum retrocedere, vel

Psal. 82. alià procedere. *Imple facies ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

Vbi vero permittitur quisquam de priore peccato in turpius aliquod recidere, tum maximè censetur à Deo flagellari, & sibi ipsi derelinqui. Et hæc illa est pœna cuiuis nostrum formidanda, quam vbi super nos iustus & rectus Dominus iterum, iterumque reduplicat, metuendum est ne nos in præcipitium aliquod ruat, vnde facilè non possimus emergere, absque singulari ipsius nostri miserentis auxilio. Talem optabat Iudæis infligi

Psal. 62. Propheta: *Appone iniquitatem super iniquitatem, & non intrent in iustitiam tuam.* q. d. Ex quo iam tot temporalibus iudicijs & supplicijs tuis lacessiti non euadunt meliores, teipsumque videntur contemnere correctorem, abeant de malo in peius, in abyssum vsq; mille delictorum, quibus iram tuam promereantur.

Psal. 80. De ijsdem dicebat alibi: *Et non audiuit populus vocem meam, & Israël non intendit mihi, & dimisi eos secundum desiderium cordis sui, ibunt in adinuentionibus suis.* Si videris ergò te in tātum à Deo derelictum, vt desiderijs tuis traditus sis, reformida. Tunc enim tibi accidit, quod de obduratis illis

Philo-

Philoſophis dicebatur à D. Paulo: *Reuelatur ira* *Rom.* 1. *Dei de cælo ſuper omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Illis quippè Dominus veritatis cognitionem dederit, & vt ibidem dicitur illam poterant inuiſibilem ex viſibilibus haurire, ſed quam habebant veritatis ſcientiam non ſecuti ſunt, ſed per ſuperbiam elati, ſeſe dedere præcipites, in vitia & turpitudines execrandas, ita vt de illis iuſtè dicat: *Tradidit illos* *Luc.* 12. *Deus in reprobum ſenſum vt facerent ea, quæ non conueniunt, &c.* Hinc illud: *Seruus, qui ſcit voluntatem Domini ſui,* &c.

Sed quando ſupplicium hoc eò deuenit profunditatis, vt ex fideli ſinatur infidelis homo fieri, tunc non tam de futuro malo metuere debet, quam de imminenti, quod eius capiti prominet, damnatione cuius in ſe iam radices habet per hęreſim, aut infidelitatem. O bone Ieſu, quàm infæliciter, & iuſtè tamen cum illo agitur, qui flagellis huiuſmodi irremediabilibus afficitur, vt venia vix ſit dignus. Satius fuiſſet gladijs illis configi, & ſagittis, de quibus Pſal. 7. *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrauit,* &c. *Arcum ſuum tetendit,* &c. *Et in eo parauit vaſa mortis,* &c. Iam tunc, dum homo eò redactus eſt miſeriæ, non amplius vibrat gladium, non ſagittam, ſed infigit. Non parat tunc vaſa cuiuſcunque mortis, ſed ęternæ mortis, & ardentium carbonum ſpicula confixit.

O te miſerum Iuda! qui tandem tibi ipſi poſt tot furta relictus, poſt tot auaritiæ peſtes, poſt enormia ſcelera, in hoc malum, tuo malo prolapſus es, vnde tibi non facile ſit emergere.

Quam grande vero ſit iſtud diſcrimen in quo verſatur, qui deſciuit à fide, patet ex eo quod ad quem recurſum habeat, ignoret. Deum enim talis non habet. Dicit enim Paulus: *Omnes filij Dei eſtis* *Gal.* 3. *per fidem.* Et Ioãnes: *Dedit poteſtatem filios Dei fieri,* *Ioan.* 1. *his qui credunt in nomine eius.* Vitam non habet.

Abac. 2. *Quia iustus ex fide viuit.* Vbi consistat non habet, & super quod ædificet. Nam, *super hanc petram*
Matt. 26. *fundauit Christus Ecclesiam.* Ac proinde non habet post lapsum ad sacramenta recursum, quorum ipsa est ianua, membrum resectum maledictioni patẽs, cui, sicut nec cuiuis excommunicato, & à fidelium societate extorri nihil conferunt fidelium piæ preces: Proinde ei, qui talis est non prosunt, quamuis in immensum opera quęuis, quauis recta intentione peracta ad gloriam. Cum desit gratia, quamdiu suum cum pertinacia tuentur errorem. Qui verò permanet in Ecclesiæ gremio, quamuis impius est, si se talem fatetur, iam remedium habet mediante fide, sacramentum sibi pro medicamento adhibet, Deum sibi misericordem, etsi serius pœniteat persentiscere potest, quia non est extra merendi statum, qui non est vel in peccato, vel in errore pertinax.

Tales fuerunt ex Gentilibus Philosophis & Iudæis plerique, de quorum posterioribus dicit E-
Esa. 29. saias: *Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis, ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo, peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium abscondetur.* q.d. propheticè ideo lumen fidei & veritatis, quia lumen ipsum cęli Christum esset in crucem acturi. Quod gratis dederat ab ingratis erat ablaturus; sicut mna illi ablata est ab eo, qui non fuit vsus vt habenti & vtenti daretur. Sicut arma militibus auferuntur, qui ad pugnam non veniunt.

Vt ad ipsam rem veniamus, & introductionis huius causam statuamus. Sunt qui scribant Iudam ante vocationem plurimis ijsque enormibus facinoribus deuinctum, mox à vocatione in latrocinium, sacrilegium & infamem auaritiam cecidisse. Recidiuum illud absque dubio causa fuit se-

quentis

quentis hæreſeos, neque enim vnquam ſolet in *Hæreſis e-* tantum Deus deeſſe homini, niſi ſuo muneri erga *nim non* Deum defuerit. Quoniam igitur debile habuit *eſt primũ* fundamentum, ideò facilè quod ſuperædificatum *malum.* eſt corruit. Doctrinam enim Chriſti quam plenis etiam expanſis vlnis amplecti debuerat mox aſpernatus eſt, veritatem intelligere renuit, quia Deo & homini Chriſto veritati ſummæ non credidit. Et hoc primo quidem poſt electionis ſuæ diem, anno. Quæ quidem electio facta fuerat omnium Apoſtolorum poſt ſecundum peractum paſcha, in quo Chriſtus paralyticum ſanarat in piſcina. Neque venerat vſque ad annum tertium, cum idem Chriſtus facto miraculo de panum multiplicatione, clariſſimis verbis patefecit Iudam eſſe hæreticum hoc dicto: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt*, &c. Narrabis quæ c. 6. Ioannis habentur. Dicebat Chriſtus: *Caro mea verè eſt cibus*, Et Iudas dicebat cum Capharnaitis: Non credo, *Quomodo poteſt hic carnem ſuam*, &c. q. d. Quid, ô Iudæi, & Capharnaitę credemus iſtius deceptoris ſermonibus? Credetiſne eius carnem eſſe verum panem, quem oporteat nos manducare. An non antiquis noſtris Patribus manna precioſius? &c.

Dicit enim textus Gręcus pro litigabant ad inuicem, ἐμάχοντο, j. decertabant. Et cum dixiſſet prius: *Ego ſum panis viuus*, &c. dicitur, quod *Murmurabant*, hic cum dicit ſe daturum ſe in cibum, dicitur quod non ſolum murmurabant, ſed litigabant, decertabant, excandeſcebant. Argumentabantur (vt bene notat P. Hadrianus in 15. ſermone Euchariſtico) ab impoſſibili & abſurdo. Quomodo poteſt hic Ioſephi & Mariæ filius, &c. *Leuit.* 11. An putat nos qui ex legis præcepto à multis ab- 2 *Mac.* 7. ſtinemus animalibus (qui ne porcina quidem veſcimur) antropophagos? leones? vrſos? Eſto autem vt ſit hęc humana caro nobis in delicijs, num caro

Abac. 2. *Quia iustus ex fide viuit.* Vbi consistat non habet, & super quod ædificet. Nam, *super hanc petram*
Matt. 26. *fundauit Christus Ecclesiam.* Ac proinde non habet post lapsum ad sacramenta recursum, quorum ipsa est ianua, membrum resectum maledictioni patẽs, cui, sicut nec cuiuis excommunicato, & à fidelium societate extorri nihil conferunt fidelium piæ preces: Proinde ei, qui talis est non prosunt, quamuis in immensum opera quęuis, quauis recta intentione peracta ad gloriam. Cum desit gratia, quamdiu suum cum pertinacia tuentur errorem. Qui verò permanet in Ecclesiæ gremio, quamuis impius est, si se talem fatetur, iam remedium habet mediante fide, sacramentum sibi pro medicamento adhibet, Deum sibi misericordem, etsi serius pœniteat persentiscere potest, quia non est extra merendi statum, qui non est vel in peccato, vel in errore pertinax.

Tales fuerunt ex Gentilibus Philosophis & Iudæis plerique, de quorum posterioribus dicit E-
Esa. 29. saias: *Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis, ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo, peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium abscondetur.* q.d. propheticè ideo lumen fidei & veritatis, quia lumen ipsum cęli Christum esset in crucem acturi. Quod gratis dederat ab ingratis erat ablaturus; sicut mna illi ablata est ab eo, qui non fuit vsus vt habenti & vtenti daretur. Sicut arma militibus auferuntur, qui ad pugnam non veniunt.

Vt ad ipsam rem veniamus, & introductionis huius causam statuamus. Sunt qui scribant Iudam ante vocationem plurimis ijsque enormibus facinoribus deuinctum, mox à vocatione in latrocinium, sacrilegium & infamem auaritiam cecidisse. Recidiuum illud absque dubio causa fuit sequentis

quentis hæreseos, neque enim vnquam solet in *Hæresis e-* tantum Deus deesse homini, nisi suo muneri erga *nim non* Deum defuerit. Quoniam igitur debile habuit *est primũ* fundamentum, ideò facilè quod superædificatum *malum.* est corruit. Doctrinam enim Christi quam plenis etiam expansis vlnis amplecti debuerat mox aspernatus est, veritatem intelligere renuit, quia Deo & homini Christo veritati summæ non credidit. Et hoc primo quidem post electionis suæ diem, anno. Quæ quidem electio facta fuerat omnium Apostolorum post secundum peractum pascha, in quo Christus paralyticum sanarat in piscina. Neque venerat vsque ad annum tertium, cum idem Christus facto miraculo de panum multiplicatione, clarissimis verbis patefecit Iudam esse hæreticum hoc dicto: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt*, &c. Narrabis quæ c. 6. Ioannis habentur. Dicebat Christus: *Caro mea verè est cibus.* Et Iudas dicebat cum Capharnaitis: Non credo, *Quomodo potest hic carnem suam*, &c. q. d. Quid, ô Iudæi, & Capharnaitę credemus istius deceptoris sermonibus? Credetisne eius carnem esse verum panem, quem oporteat nos manducare. An non antiquis nostris Patribus manna preciosius? &c.

Dicit enim textus Gręcus pro litigabant ad inuicem, ἐμάχοντο, j. decertabant. Et cum dixisset prius: *Ego sum panis viuus*, &c. dicitur, quod *Murmurabant*, hic cum dicit se daturum se in cibum, dicitur quod non solum murmurabant, sed litigabant, decertabant, excandescebant. Argumentabantur (vt bene notat P. Hadrianus in 15. sermone Eucharistico) ab impossibili & absurdo. Quomodo potest hic Iosephi & Mariæ filius, &c. *Leuit.* 11. An putat nos qui ex legis præcepto à multis ab- 2 *Mac.* 7. stinemus animalibus (qui ne porcina quidem vescimur) antropophagos? leones? vrsos? Esto autem vt sit hęc humana caro nobis in delicijs, num caro

vnius homuncionis sufficeret nobis? Egregium sanè conuiuium quod nobis promittitur.

Ecce Iudam tibi cum Capharnaitis, qui videbatur in istius Nicodemi schola enutriti, qui dicebat Christo de renatis loquenti: *Quomodo potest* Ioan. 3. 5. *homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire & nasci?* Tot antea patratis miraculis non credebat, & qui cæterorum murmura cohibere debebat, primus in corde suo veritati reluctabatur. Verum quidem est quod oporteat esse hæresis; verum infælix il- 1 Cor. 11 le est, qui suo vitio & damno facit vt hæreses sint.

Vt causam vero cur ceciderit inquiramus, consulendus est D. Paulus, qui nobis vnum Iudam depinget in hæresim per amorem sui ipsius, & pro- 1 Tim. 6. prij commodi cecidisse affirmabit. *Radix omnium malorum cupiditas quam quidam appetentes errauerunt à fide*, &c.

Chrys. t. 4 hom. 17. in hanc Epist. Cur auari à fide aberrent rationem assignat Chrysostomus, dicens: Sicut enim cum quis recto itinere gradiens, si in aliud aliquid intendat animum, pergit quidem, sed sæpè dum nescit, vrbem illam pertransit ad quam properabat, pedesque frustra sui ministerium præstant: ita fermè & in cupiditate contingit. Non enim sunt cupiditas iter aspicere in se attrahens & sensum subducens. Hæc ille.

Et certè oportuit in Iuda summum malorum esse hæresim, cum & ipse filius Dei Deum Patrem rogare debuerit, ne Petrus ab illa decideret. Dicitur enim apud Lucam 22. quod post contentionem ortam inter Apostolos de Primatu dixit Christus Petro: *Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua*, &c. q. d. ei, qui fidentior erat. Nihil est adeo detestandum ad quod te magis committendum tentaturus est sathan, quam ad defe-

ctum

ctum à fide. Loquitur in prætcrito de eo quod futurum erat propter euentus certitudinem. Quapropter vide ne tuis meritis nimium tribuas, quod mihi adhæreas, & me sequaris, fiet enim aliquando cum me negabis, cum scandalum propter me patieris, vt vicinus sis defectui à fide, succumbes equidem, sed non prostratus omnino manebis: fugies quidem à me, sed non à fide, quę in me est, sed hoc fiet gratia mea, meis precibus, alioquin & tu cum impio fidem perderes, cum me in crucem agi & inter latrones mori videres, &c. paraphrasticè dices.

Videt vestra prædicatione mundum sibi suum regnum erepturum, ideo ex vobis fidem eradicare conabitur. Et quia vires in Iuda sibi assumet, ideo vos etiam deijcere conabitur, vt pœniteat vos esse secutos me & meam doctrinam, hominis scilicet vilis & abiecti, &c. Ac præsertim te quem videt suis viribus multum tribuere ac metuit inter cæteros primum fore. Non euadet tamen voti compos, quoniam ego, qui secundum humanitatem sum minor Patre, pro te oraui, vt erectus aliquando post lapsum à gratia per abnegationem mei, cæteros in gratia & fidei perseuerantia confirmes. Doce meritis proprijs, aut viribus confidendum, neque de peccatis confidendum, sed ijs, qui à fide descijscunt valde metuendum.

Sunt igitur, dicebat Christus: *Quidam ex vobis qui non credunt*, &c. Et postmodum: *Scio quos elegerim*, &c. *Nónne ex vobis duodecim elegi?* &c. Et illud: *Nisi manducaueritis*, &c. vbi agit de tremendo sacramenti Eucharistię mysterio. Videt dum hęc dicit, videt plures quasi oppressos debilitate credulitatis pati scandalum, & abire retrorsum ex discipulis quasi se retrouertens dixit: *Hoc vos scandalizat?* q. d. ne miremini quod quidam ex his scandalizantur, quia sunt & inter vos qui non credũt, &c. quo ad Petrus pro se & suis respondens confiden-

tcr

ter dixit: *Domine, nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei viui.* q.d. vt quid de nobis dubitas, cum hæc sit nostra omnium fides. Tum subridens (vt opinor) Christus partim etiam indignabundo similis: *Nonne vos 12. elegi?* &c. quasi inculcaret iterũ quod dixerat: *Sunt quidam ex vobis.* q.d. O Petre, quam multum aberras à scopo dum cæteros tecum eandem fidem habere spondes! Satis sit equidem te pro te respondere. Anne tibi sicut mihi cæterorum corda sunt cognita? Imo dico tibi, quod vnus inter cæteros sit, qui neque Deum me credit, neque Dei filium Messiam, ac proinde falso carnem meam in cibum dare posse, atq; hinc hæreticus est. Viuebat ergo ex tunc inter eos vt Arrianus, quia dum dixit Petrus: *Credimus*, &c. dixit Christus: *Vnus ex vobis diabolus est.* Sacramentarius quia dictum est de eo: *Sunt quidam*, &c. Erat sicut Iudæi moderni, quia non credunt quia Christus est filius Dei. En qualem habent illi Coripheum & antesignanum. Qui vidẽdo non videbat, excœcauerat enim eum malicia eius. Et proinde fuit idololatra, qui adorabat quod non credebat; sicut qui adoraret Christum, quem non crederet esse Deum vel hostiam quam non crederet esse sacramentum, vel continere Dei præsentiam sacramentalem. Veruntamen eo deduxerat illum cæcitas, vt quid ageret nesciret, dum contrectare pecunias ei liceret, qui pauper ante fuerat, vt dicemus, quarum verus erat idololatra quam ob causam facile negligebat cælestia. Nec aliud quam terrena terrenus ipse totus & rusticus, & durus permanẽs. Atque ideo dicebat in corde suo cum Capharnaitis, ac forsitan alijs impiè suggesserat vt dicerent: *Durus est hic sermo.*

Maldon. in 6. Ioan. In quæ verba ex Patribus doctè dicit, vt doctus est, Maldonatus hanc paraphrasim. Causa cur quæ de carne mea dixi non intelligatis, nõ est in reipsa quod sit difficilis intellectu, sed in vobis quod sitis incre-

increduli. Hoc dicit ex Beda & Ruper. in hęc verba.
Durus est hic sermo, sed incredulis, inquit August. idem dicit in Ps. 98. Duri, inquit, erant, non sermo ipse. Si non duri essent discerent ab ipso quod illis discedentibus qui remanserunt didicerunt. *Aug. ser. 2 de verbis discip.*

Idem August. notat Christum non dixisse, Sunt quidam qui non intelligunt, sed credunt, & ideo quia non credunt, non intelligunt. Hinc Esa. *Nisi credideritis non intelligetis.* Petrus vero cum ceteris dicebat: *Credimus & cognouimus*, quasi diceret, quia credimus, cognouimus. Ad quem ibimus, &c. *Aug. trac. 27. in Io. Esa. 7.*

Sicut sigillum non facile imprimitur in lapide sicut in cera; sic nec fides in obduratis vt Iudas. Cera erant Apostoli, & quidem mollis, & in omnem quam volebat partem Christus, suum captiuantes intellectum, vt illum tanquam ceram sigillo mentis diuinæ adaptarent. *Similitudo.*

Erat Iudas qui superficie tenus verba capiebat similis lapidi, quæ nũquam aspersa pluuiam imbibit, etsi externis madescat. Erat terra petrosa super quam semina fructus non afferunt.

Ex tunc igitur quia durus erat, *Abijt retro*, & manum substraxit retro, discedens non passibus corporis, sed mẽtis, & secretus in corde suo fuit apostata, quoniam & in hoc defectu mansit vsque in finem. Et hoc propter duritiam cordis, quæ cum auaritia paulatim creuerat. Et hanc ob rẽ metuendum est auaris diuitibus, ne in infidelitatem labãtur, si non in vita, saltem in morte. Nam facile est dæmoni Christianæ fidei modicam scintillam ex eorum cordibus eripere, qui nunquam passibus mentis per abnegationem affectionis ad diuitias, pauperem Christum secuti sunt. Atq; hoc forsitan est ratio cur mox electis Apostolis in monte sermonem incipit à paupertate: *Beati pauperes*, &c. vt per eam doceat facilem ad superni mõtis acumen, ascensum cuiuis homini patere. Conseruatio igitur fidei pendet à bonorũ tẽporalium contemptu, *Hæc fuit 2. Iudæ apostasia.*

vel cupiditatis habendi depositione.

Pro concionis nostræ clausula rogandus à nobis Deus est ne per peccatum in tantum à nobis discedat, vt à fide aberremus. Nam si à Iuda ablata est veritatis notitia, quia illa in bonum non est vsus, quid mirum est si permittantur tot à fide deficere Christiani cum ea vt par est non vtentur? An non nobis tantum concessum est ac Iudæis Philosophis? An non toties diuinam sumus experti bonitatem? An non sæpe peccata peccatis addidimus, & cumulauimus vsque ad summum? Audite igitur D. Paulum nos cautiores reddere
Rom. 11. volentem: *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat*, &c. Teneamus nostram quam habemus coronam, & palmam, ne alius ac-
Apoc. 2. cipiat: *Ne amoueatur candelabrum de loco suo.* Quis non timeat cum plenum se peccatis videat cum Iuda? Quod si timueris huc vsque, de cætero magis time, huius exemplo cautior effectus. Dum cæteri laborant, vigilant, solus Ionas in fundo stertebat, & propter illum solum, orta est tempestas. Dicit Christus in genere: *Sunt qui non credunt ex vobis*, vt omnes timeant. Rogat Christus: *Nunquid & vultis vos abire?* Rogat nos sicut Apostolos, dicamus, quod summus Pontifex noster Petrus dixit: *Domine, ad quem ibimus?* &c. Rogemus vt in nomine filij Dei lapideum cor nobis auferatur, à nobis peccata tollantur, vt in fide perseuerantes in æternum vitæ fontem Christum sitientes tandem aliquando ad satietatem gustemus.

A M E N.

CONCIO

CONCIO OCTAVA.

Quod diabolus ſit appellatus, quia hæreticus & obſtinatus. Quod ab illo poſſumus hæreticos diabolos appellare. Cur diabolum in genere, non in ſpecie dixerit, ſuper hæc verba:

Nónne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem, hic enim erat traditurus eum cum eſſet vnus è duodecim.

IOANNIS 6.



ANTA eſt eorum qui à fide ſemel defecerunt obſtinatio, vt de nullis magis deſperandum ſit ne ſaluentur. Hinc ipſa Veritas dicit: *Qui non credit iam iudicatus eſt.* *Ioan.3.* Hilarius in 1. Pſal. vbi dicitur: *Non reſurgunt impij in iudicio*, refert aliquos deceptos his verbis negaſſe diem vniuerſalis iudicij futurum, dicebant enim: Si credentes non iudicantur, non credentes autem iudicati ſunt, nemo igitur ſupereſt iudicandus. Auguſtinus aliter ſentit, & dicit more prophetico hoc eſſe dictum. *Aug. de agone Chriſt. c.27.* Solent enim ad certitudinem rei ſignificandam prophetæ futura prædicere tanquam præterita. Alij diſtingunt duos actus iudicandi: Vnum diſcuſſionis, quorum cauſa diſcutitur & examinatur: Alter eſt quo facta diſcuſſione ſententia fertur.

Negant

Negant ergo iudicio discussionis non credentes, & impios esse iudicandos in vltimo die. Nam eo ipso quo non credunt, eorum causa est iniusta, & damnationi obnoxia, ideoque iam iudicati sunt, tamen iudicandos affirmant iudicio sententiæ, quia sententia contra eos feretur damnationis.

Chrysost. hom. 27. in Ioan. Chrysostomus hoc similitudine declarat & dicit: Quod sicuti qui homicidium aliquod commisit iam iudicatus dicitur, quia lege lata contra homicidas morti est addictus, quamuis nondum sententia Iudicis lata sit: ita qui non credit causam in se damnationis, habet propter peccatum quo detinetur, & propterea iudicatus dicitur; sententia tamen adhuc non est lata vsque ad alterius sæculi iudicium. Iudicabuntur ergo non credentes in vltimo iudicio, quia mortis sententiam à iudice latam sustinebunt, quamuis à diuina lege iam sint iudicati, & morti addicti, ob idque dicitur: *Qui non credit*, &c. Nam duplex iudicium est: *Iudicium legis & iudicis.* nempe legis, & iudicis, nomine autem non credentium hi intelliguntur, qui vero non credunt, vel non vt credendum est credunt, sicut Iudas, quare comprehendūtur hic quidem qui fidem habent, sed mortuam sine operibus.

Ex superiore sententia liquido patet, quod etsi quamdiu mortalis homo liberalis arbitrij legibus vtitur, nemo de eius infallibili statu possit infallibiliter iudicare, tamen quod eos quasi pro reprobis, vel pro eis qui reprobis annumerandi sunt, habere debemus, qui vel non credunt, vel à fide defecerunt, vel in fide viuentes charitatis opera nullatenus exercere volunt. Nam si tales in puncto moriuntur, in puncto cum reprobis destinantur vlteriore iudicio, nisi approbationis indigentes. Ad illud ipsum tendere videtur S. Hieronymi opinio qui dicit: Quod si fidem nō habemus, iam per Adæ culpam damnati sumus. Si Saluatorem Redemptorem nostrum non agnosci- *Hieron. opinio egregia.*

mus.

mus, vel quomodo oportet non agnoſcimus. Talibus non fit iniuria ſi damnatis ad terrorem adhuc viui annumerantur. Hoc ipſo ſenſu hæreticus Iudas à Chriſto iudicatur cum dicitur: *Vnus ex vobis diabolus est.* q.d. iam cum ipſo iudicatus eſt, quia hæreticus factus, nulla certior damnatio, quam infidelis & hæretici. Nullos melius calumniari & iudicare poſſumus, nam & Eccleſia iudicat de præſentibus, ijſque exterioribus tantum. Doctè admodum & ſubtiliter interpretatur hæc verba Theophylactus. Primo dicit, quod hæc vox ex, ſignificat extra, tanquam ſi diceret: *Vnus eum extra vos*, quia cecidit à fide diabolus eſt. Per diaboli vocem intelligit malignitatem operis. Et meo iudicio quidem voluit inſinuare Chriſtus, quod eidem deputandus damnationi cui cæteri diaboli, ac proinde quod iam iudicium eius latum eſſet, niſi reſipiſceret. Vt hæreticus exiſtens igitur, vt corde apoſtatans, vt Sacramentarius merito diabolus appellatur, neque nomen aliquod ſatis infame poteſt ſortiri, qui fidei fidem fregit. Hinc fit quod in deteſtationem hæreticorum & hæreſeos vix apta nomina, & dignè indigna reperire potuerunt, quibus inhoneſtam hæreticorum faciem magis dehoneſtarent. *Theop. in 13. Ioan.*

Cyprianus vocat illos *Adulteros* Eccleſiæ. Forſitan ad ſententiam prophetarum, qui Gentilem ritum viuendi Iudæos mutantes vocabant adulteros, fornicatores, apoſtatas. *Cypr. in concil. Carth.*

Hieron. vocat Araneas venenoſas. Nec iniquè. Nam vt fruſtra ordiuntur quod cito frangitur, ſic & fruſtra ſtruunt Chriſtianis & Catholicis inſidias hæretici, cum tandem eorum opus ad nihilum redigatur. Nam & cum res ſit violenta hæreſis, non poteſt eſſe durationis diuturnæ. Non ſecus enim laborant in deſtruenda Romana Eccleſia, quàm ſi in ſcopulos impingant vndę, vel in montem, aut in domum monte ſupereminentem venti, vt diximus: *Hier. ep. ad Cypr.*

mus:

Psal. 128. mus: *Sepè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicit Ecclesia, etenim non potuerunt mihi.* Fluctuat, at nunquam mergitur ipsa ratis.

Aug. trac. 3. in ep. Ioann. August. vocat Antichristum, quod suo loco de Iuda exponemus.

Nazian. ora. 1. côt. Iulianũ. Gregor. Nazianz. vocat *Cameleontem*, tot colores admittentem quot sunt, albo excepto. Et certè videre est nullum in eis animi candorem, nullam sinceritatem, nam & qui Deo est fœdifragus; cui fidelis erit? cui non nequam?

Cyp. ep. ad Nouat. Coruos vocat iterum Cyprianus.

Hieron. in Zachariam vocat Idololatras: Nam & reuera suarum sunt opinionum, & suæ voluntatis adoratores.

Latrones vocat Naz. oratione postquam reuerteretur ex agro. Lupos Christus, Matth. 5.

Membra putrida Chrysost. & refecta hom. 45. in Matth.

Margareta falsificatum, Orig. 13. in Matth.

Monetæ falsificatorem, idem Orig. in Psal. 36.

Prophetas falsos Antichristi, idem Orig. tract. 30. in Matth.

Serpentes Chrysost. hom. 46. in Matth.

Simias idem 19. in Matth.

Vulpes Orig. homil. 4. in Cantica.

Rationem omniũ reddes. Vulpes Sampsonis sunt, quia sicut ille segetes frumenti, sic & hæretici fructus bonorum operum exurunt, eos totaliter inutiles esse dicendo. Simiæ sunt quia bonos homines videntur imitari cum peiores sint & truculentiores quibusuis feris. Serpentes vero ob tres causas, quia sicut diuersos illi habent colores, super ventrem gradiuntur, & terram comedunt, sic & hi sunt instabiles, facilè mouentur vt noceant, & nihil minus quam cælestia meditantur, sed terrenis toti & carnalibus rebus adhærent. Viperæ sunt teste Chrysost. hom. 46. in Matthæum, quia propriæ Matris Ecclesiæ, à qua desciuerunt, ventrem

rupe-

ruperunt, vt tanquam degeneres & adulteri alteri adhærerent. Verbo dictum ſit. Primogeniti ſunt diaboli cum Iuda. Sicut enim hæreticorum vitia ſunt infinita, ita & eorum nomina, ſed vt vno nomine comprehendantur, non poteſt aliud eis dari melius cognomen, & apertius eorum miniſterium deſcribens quàm nomen diaboli. Diabolus igitur Iudas eſt. Et hoc quia hæreticus eſt præſertim. Et vt hæreticum hodie deſcribamus Iudam vocamus. Et ſic vocatur ab Orig. & ab alijs pluribus. Videte egregiam conuerſionem. Hæreticus eſt alter Iudas. Iudas eſt diabolus, ergo hæreticus eſt diabolus. Hæreticus, diabolus, Iudas in idem recidunt ſymbolum. Non oportet igitur dubitare, quin fuerit hæreticus Iudas, & hoc ipſo diabolus. *Orig. tra. 35. in Matth.*

Diabolus nomen Græcum eſt, idem ſignificans quod calumniator Latinè, ſeu delator, per quandam autem antonomaſiam Angelus malus de cælo lapſus, qui contra Deum & nos inimicitias gerit, diabolus dictus eſt. Hic triplicem calumniam, ſeu delationem operatus eſt, & adhuc operatur. Prima eſt, qua Deum apud homines calumniatus eſt; altera, qua homines apud Deum. 3. qua homines apud homines. Primo loco in principio mundi Deum apud homines calumniatus eſt, à qua omnium prima calumnia Iuſtinus dicit diabolum eſſe dictum. Idem affirmat Tertull. vbi tres illius calumnias contra Deum apud homines primos numerat. Deo enim vt homines illos contra Deum prouocaret prohibitionis impoſuit mendacium. *Cur,* inquit, *præcepit vobis Deus, ne de omni ligno paradiſi comederetis?* quaſi Deus omne lignum prohibuerit, quod falſum erat. Impoſuit rurſus inuidiam, quaſi Deus ex inuidia quadam prohibuiſſet eſum. *Scit enim Deus quod in quacunque die comederitis, eritis ſicut Dij, ſcientes,* &c. Impoſuit poſtremo mendacium quaſi Deus men- *Ex Toleto in Ioann. Triplex diaboli calũnia. Iuſtin. in orat. ad Parænet. ad Gẽtes. Tertull. l. contra Marcion. Gen. 3.*

 titus

titus fuerit, dicens: *In quacunque hora comederitis, morte moriemini. Nequaquam*, inquit, *moriemini*, sic calumniatus est, & detraxit Deo apud hominem in principio, rectè ergo calumniator Dei dicitur.

2. Calumniatur homines apud Deum, vt eum contra eos prouocet, cuius calumniæ meminit Chrysost. exemplo probans ipsius Iob, cui imposuit apud Deum quod propter bona temporalia, & mercedem illi inseruierit: *Nunquid*, inquit, *gratis colit Deum Iob.* Idem docet Chrysost. hom. vbi hanc duplicem refert calumniã contra Deum, & contra hominem.

Chrys. hõ. 3. de patiẽtia Iob.
Chrys. hõ. 2. in 2. ad Cor.

Tertio loco homines apud homines calumniatur, vt eos inuicem sæuire faciat. Innumera habemus exempla. Sic Christianos apud Gentes calumniatus est imponens illis infinita scelera & crimina, vt gentes in eos insurgere impelleret, de quibus Tertull. in apolog. His igitur de causis per excellentiam quandam dictus est diabolus.

Euthym. 1. expos.

Euthymius refert aliquos dicentes hoc in loco non accipi tanquam proprium nomen, vt significet illum, quem talem antonomasticè appellamus, sed vt appellatiuum, commune nomen significans insidiatorem, vt sit sensus: Vnus ex vobis mihi & factis & verbis meis insidiatur, at ipse in eam inclinat sententiam vt sit nomen proprium, Iudæ tamen accommodatum, ministri enim & mali homines, quia instrumenta sunt, & operarij diaboli, eodem nomine nominantur. Ita sentit D. Cyrill. & Greg. quod sit diabolus, quia minister diaboli & operarius, per quem in Christum insurrexit, & occidere curauit; & huic consonat illud Ioannis: *Cum iam misisset diabolus in cor Iudæ, vt traderet eum*, &c. Nec in scriptura aliter sumi solet ab Euang. melius diabolus quam calumniator.

Cyr. l. 4. c. 30. in Io.
Gre. l. 13. mor. c. 17.
Sic vocãtur Sacerdotes Dij: Ego dixi: Dij estis.
Ioan. 13.

Nec solum diabolus est dictus, quia minister eius futurus erat, sed quia eum in hoc etiam imitatus

tatus est. Vt enim dicit Basilius homilia: *Quod Deus non sit autor malorum.* Et August. Deus creauit Angelum bonum & rectum, at ipse vitio suo diabolum se fecit & calumniatorem. Ita etiam Iudas electus à Domino bonus factus est & iustus, tamen ad diaboli partes suo deprauato arbitrio, & malitia se conuertit. Non enim dicendum est Iudam malum fuisse in electione vt probauimus. *Aug. l. 11 sup. Gen. ad literã c. 26.* *2. expos.*

Tertull. adiungit eum bonum perseuerasse vsque ad loculorum officium, imo verba hæc Domini idipsum indicant: *Nónne vos duodecim,&c.* q. d. Ego feci vos duodecim, feci meos discipulos, & me sequentes & credentes; at vnus ex vobis, non ex me, sed ex se retrocedet, & diabolus est. Refertur igitur ad futurum, quia nihil tale tunc ei in mentem venerat. Hinc in futuro Christus dicebat: *Sciebat enim quis traditurus esset eum.* *3. expos. Tert. l. de anim. c. 4. Nota doctam hãc expositionem.*

Aduerte quid hac de re dicat Simon de Cassia: Nullum peccati genus Saluator omnium tacuit, quod suo miro modo loquendi verbis explicitis & parabolicis non reprehenderet. Inquit enim semel Apostolis de suo modo intelligibili ab eis sermone mirantibus: *Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Diabolus igitur Angelus malus, diabolus homo iniquus, Angelus irreconuersibilis est, homo malus diabolus est obstinatus. Diabolus non est natura creata, seu ex creata natura, seu ex natura mutata, sed quædam deprauata per seipsam voluntas. Nec homo natura diabolus est, sed quadam voluntariè conseruata iniquitate. Et cum homo vsque ad finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, diabolus à Christo non vocaretur, nisi ab ipso à malo proposito immutabilis præsciretur. Sciebat perfectè Christus à Iuda *Simon Cass. l. 8. c. 31.* *4. expos.* *Superbia eorũ qui te oderunt ascendit semper. Psal. 73.*

Hinc dicit in præsenti quod futurum erat, quia videbat perseueraturum in malo.

tradendum, ad quod malum animum suum præuidebat, idcirco eum diabolum appellabat, non diabolicum, aut dæmoniacum, sed diabolum, quod non est nomen naturæ, aut iniquitatis abijciendæ; sed nomen incorrigibilis voluntatis non ex parte volentis efficere omnia, & animos immutabiles facere mutabiles. *Vnus ex vobis diabolus est.* Non elegi, sed est, non ex me, sed à seipso quod malus est.

Sed qui sunt in carne diaboli, quorum Iudas primus à Christo in hominibus in voce, non autem in re nomen accepit. Hi sunt qui omnem naturalis ingenij acuitatem ad pessima ordinauerunt, non dormientes quietè, nisi mala præuisa perficiant, & nisi damna inferant innocentibus, non quiescunt, qui ad omnium deceptionem intendunt fidem, nemini seruant charitatem, id est, struunt, concordiam & pacem frangunt, iustæ conuersationis vitam confundunt, infruniti animo, lapsi verbo, moribus non modesti, præsumptores in diuina, humana scelerata lege tractantes, nemini se colligantes ad bonum, ad malum vero quousque perficiatur, efficiuntur fidelissimi complices. Hi destruunt omne obedientiæ iugum, irreducibiles facti ad tramitem veritatis. Minis non cedunt, &c. quæ ibi videre est.

2 Cor. 6. Sicut enim serui Dei vnus spiritus efficiuntur

Isidoo. l. Ethic. cum eo, sic se constituunt peruersi idem cum diabolo.

5. expos. Maldonat. hic egregiam adfert à seipso rationem, cur sit hoc loco dictus diabolus. Cur vero non dixerit: Vnus ex vobis defecit, aut dignus non est? vt scilicet diabolum Apostolis opponeret, de quibus tacito nomine loquebatur. Nihil enim Apostoli officio magis contrarium, quam officium diaboli. Vt ergo ostenderet Christus, quantopere Iudas mutatus esset, dixit ex Apo-

stolo

ſtolo qualem ipſe elegerat factum eſſe diabolum.

Sed cur in tantum vitio vertatur Iudæ quod ſit diabolus appellatus cum & ille idem cui fuerat dictum: *Beatus es Simon Bar-iona,* &c. Aliud poſtmodum acceperit à Chriſto paſſionem ſuam imminentem prænunciante: *Vade retro poſt me ſathana,* id eſt, aduerſarius. Huius rei cauſam adfert Chriſtus dum ſubiungit: quia, *Non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Huius rei cauſam adfert Auguſtinus dic: Timuit Petrus, ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat vitæ fontem. Turbatus eſt dicens: Abſit à te, inquit, Domine. Non fiet iſtud: Propitius eſto tibi Domine, nolo te mori, Petrus dicebat Chriſto: *Nolo te mori,* ſed melius dicebat Chriſtus: Volo pro te mori. Hæc idem ibi.

Mar. 8. *Matt.16.* *Aug. de verb. Domini in Matt. ſer. 13.*

Erat igitur tunc ſathanas ſcilicet, quia aduerſarius, ſed qui aduerſabatur non calumniabatur, non in peccato ſemper morabatur. Nam & vbi melius à Chriſto fuit inſtructus ipſemet ſe morti pro Chriſto obtulit.

Vnus ex vobis diabolus. Chryſoſt. dicit hic quod non expreſſit Chriſtus quis foret iſte vnus inter eos tunc malus, ſed hoc in genere dumtaxat voluit prædicere, ne credens ſuam maliciam latere ſine omni timore operaretur mala. Non dixit autem in ſpeciali quis ille foret, ne ex tunc inuerecundus factus efficeretur peior. In quo & nos docemur & proximorum peccata corrigere, nec propalare.

Cur in genere diabolum nominat? non ſpecificans Iudam.

Docentur etiam ſuperiores, peccata quandoque in genere dumtaxat reprehendere, vt deterreant ſecreto peccantes, & ab incæpto diuertant, & vt cautiores reddant bonos, ne facilè ſe præcipites agant in ſcelera, quibus irretiri malos vident.

Documētum pro prædicatoribus.

CONCLVSIO.

Quod reliquum est igitur C. A. videte ne contingat id quod dicit accidisse ingrato Israëli vates Esaias c. 63. vbi dicit: *Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum sanctum eius, & conuersus est eis in inimicum, & debellauit eos.* Videte, inquam, vt si bonum nomen vultis vobis comparare fideles permaneatis, & in hoc studeatis, ne qua in re Iudæ sitis similes, & Dei ipsius aduersarij. Ne contingat Deum ipsum vobis in diabolum verti, id est, in aduersarium, & inimicum, præsertim in die iudicij quando continget aduersam illam sententiam in improbos iure ferri: *Ite maledicti*, à qua nos præseruet diuina Maiestas, &c.

AMEN.

* * *

CONCIO



CONCIO NONA.

Qua tractatur cur Magdalena Christum vnxerit. Quod Iudas verus fuerit diabolus, id est, calumniator Christi. Quod ab ipso omnes hæretici calumniatores sint actionum nostrarum, & præsertim ceremoniarum Ecclesiæ.

THEMATA.

Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?

IOANN. 12. ver. 5.



NTER rationes ob quas Redemptor gratis duodecim discipulos in Apostolos elegerit, vna hæc est vt (quod dicit Andrææ & Petro fratribus) piscatores essent hominum, id est, animas Christo lucri facerent. Id apertè satis insinuat dicens, Ioannis 15. *Ego posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* q.d. non vt otio torperetis, aut honorum cupiditatibus, aut delicijs, luxui, voluptatibusque vacaretis, sed vt de virtute in virtutem progredientes, nunquam retrospiceretis,

ſed vlterius eouſque proficiatis donec duplicatum de talento lucrum reportetis, vt de vobis dicatur: *Euge ſerue bone*, &c.

Pſal. 83. Dicit etiam Propheta: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle*

Gen. 28. *lachrymarum in loco quem poſuit*, &c. Ille aſcenſus & profectus nobis per ſcalam quam vidit Iacob in ſomnis, figurabatur, in qua erant Angeli aſcendentes, vt hominum bona opera repreſentent, & deſcendentes ad homines in eorum auxilium & protectionem. Gradus ſcalæ ſpirituales in virtute promotiones denotabant, vt notat D. Bened. in reg. & Lyra. in hunc locum. In ea ſcala Deus eſſe dicitur vel ſummitati ſcalæ innixus, vt mercedem ſe pacatam eſſe dicat proficientibus & perſeuerantibus.

Deſcenſus reproborum. Sed & à contrario ſenſu, ſicut ſcala Iacob notat prædeſtinatorum profectum, ſic & è contra poſſumus ſcalam quandam excogitare, quæ deſcenſum Eſau, ſiue reproborum denotet, cui ſubnixus ſit Lucifer caput omnis ſuperbiæ. Figura huius habetur 2. Reg. 3. vbi dicitur Dauid: *Proficiens & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.* Huius ſcalæ gradus perfectè numeraſſe viſus eſt ſceleratus ille Iudas, qui poſtquam diaboli miniſter eſſe cœpit nunquam deſijt eum imitari, quoad vſque in imum ſcalæ de vitio in vitium vſque ad damnationis abyſſum deſcenderet. Non poterat enim Magiſtri ſui mores

Simile. non referre, cui ſe totum addixerat. Solent enim qui artem aliquam ſunt edocti, aliquod experientiæ ſuæ ſpecimen oſtentare, vt aliquid didiciſſe videantur, & ne ſuis inſtructoribus indigni videantur, aliquod facinus vnde ſibi nomen acquirant in lucem emittunt. Iudas igitur, de quo nobis eſt ſermo factus per auaritiam latro, per errorem hæreticus, per obdurationem diabolus, id eſt, aduerſarius & calumniator Chriſti, vt mul-

tum

tum in arte calumniandi profecisse videretur primos edit fructus calumniæ. Cum stimulante medullitus auaritia Christi non potest actiones perferre, quas suis consilijs & commodis perspicit esse contrarias.

Quare hoc vnguentum non venijt? &c. Pro cuius intelligentia notandum Magdalenam diuersis duabus saltem vicibus Christum vnxisse: semel cum à peccatis mundata est in domo cuiusdam Simonis Pharisæi, Luc. 7. Semel in Bethania in domo Simonis Leprosi 6. diebus ante Pascha, vt habetur Matt. 26. Marc. 14. & hic Ioannis 12. Et hæc eadem est vnctio, quæ tribus his locis enarratur à tribus Euangelistis, vt vult D. August. etsi contrarium sentire quidam videantur moti ex eo quod apud Matthæum & Marcum odoriferum vnguentum in caput, apud Ioannem in pedes effunditur. *Aug. de consen. Euãg. c. 79. lib. 2.* Deinde quod Matthæus & Marcus dicant vnctum Dominum in ædibus Simonis Leprosi: At ex Ioanne videatur colligi factum in ædibus Marthę, ex quo ipsa ministrabat hoc in Bethania, Lazarus accumbebat mensæ, & Maria vngebat. Tertiò, quod apud Ioannem solus Iudas indignatur, alij verò dicuntur etiam stomachati apud Matth. & Marcum. Respondet enim & satisfacit August. dicens: Mariam quidem primum pedes vnxisse odorifero vnguento capillisque tersisse, postea verò quod reliquum erat vnguenti fracto alabastro, vt largiter diffluerет, effudisse. Hoc Matthæus & Marcus scripsere, illud suppleuit Ioannes. Deinde respondetur cænam Christo exhibitam in domo Simonis Leprosi, vt aiunt Matthæus & Marcus, ministrasse vero Martham & Mariam vnxisse Dominum eadem in domo, quæ erat in vico Bethaniæ, propter familiaritatem vel consanguinitatem, quæ inter ipsas Simonemque intercedebat. Quartò, respondetur Iudam primò indignatum, deinde cæteros. Illum quia fur erat, cæteros

quia

quia pauperibus condolebant.

Et hæc est Augustini opinio quam tenemus. Relinquo disputandum his qui volunt extra materiam vagari, cuius precij fuerit hoc vnguentum quid apud Iudæos valuerit denarius: Sufficiet interim dixisse cum Euang. Ioanne, fuisse libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & ita pretiosi, vt *domus repleretur ex odore.* Idem etiam dicit Marcus, nisi quod fuisse *spicatum* dicit, Matthæus dicit nudè fuisse pretiosum.

Quam preciosum fuerit vnguentum?

Baronius 1. tom. de hoc vnguento agens, dicit non fuisse in Iudæa morem vnquam pedes aut caput inungendi tam pretioso vnguento, cum tamen bis ad minimum reperiatur id fecisse Magdalena.

Quicquid ipse dicat crediderim quidem apud vulgares & plebeios id fieri non solere, sed apud magnates, sicut insigniter probat Ludouicus à Soto maior in Cantic. super illa verba: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Vbi sic ait, in laudem sponsæ, & eam ad Mariam Magdalenam referens: Sponsa, inquit, de more atque ingenio muliebri accommodata gloriatur, hic quod nardus sua, id est, nardinum vnguentum à se præparatum vel manibus confectum mirificè fragrauerit ac delectauerit sponsum regem conuiuantem, simulque cæteros conuiuas cum eo recumbentes. Loquitur autem iuxta morem Syriæ. In Syria enim, cuius est pars Palæstina, siue Iudæa, vt testatur *Possidonius*, in conuiuijs Regijs, vbi coronæ datæ fuerunt conuiuis, quidam Babyloniorum, paruos vnguentorum vtres habentes ingrediuntur, atque circumeuntes coronas accumbentium conspergunt, atque irrorant vnguentis, nihilque aliud externum rigant. Hæc & plura præfatus author.

Cant. 1.

Possid. l. 28. hist. Idem dicit Iansenius.

Ad hoc ergo alludit sponsa, in quo ostendit charitatem, & amorem quo fertur in sponsum.

Atque

Atque hic mos & hæc ratio fuit, cur Magdalena Christi caput resperserit, & pedes, quod facile factu erat, quia in stratis accumbebant, vt ex ipso verbo accubitus videre est, & ex eo quod Cænaculum, in quo Christus Pascha manducauit, grande stratum dicitur, sic vt ad pedes & caput facile pertingeret.

Hanc charitatem, hoc obsequium, & hoc bonum opus impedire Iudas volebat, & calumniari, cuiusdam pietatis prætextu, cum tamen inesset animo quædam calliditas & pecuniæ cupiditas, quę ex venditione huiusmodi vnguenti comparari poterat.

Quare non venijt 300. denarijs? &c. & vt Matt. verba subijciam: *Vt quid perditio hæc?* In quæ verba Caluinus contra sumptuosos cultus templorum & ceremoniarum in Ecclesijs Catholicis splendorem & Iudæ proditoris animum ac vocem studiosè imitatus in hæc verba concludit: Huius loci summa est: Licet Dominus nos & nostra omnia sibi dicari iubeat, non tamen quoad se alium quam spiritualem cultum exigere qui nullis impensis constat, sed potius velle in pauperes erogari, quæ stultè ad eum colendum impendit superstitio. Hæc Caluinus. An non expressis verbis cum Iuda proditore auaro concludit: *Vt quid perditio hæc?* &c. An non Iudæ causam agit? & quod ille de hoc vnguento hic de toto externo Dei cultu, pronunciat in pauperes erogandum esse, quod ad Deum impendit Religio? Prorsus in eadem sententia est, & eundem affectum eadem conclusione patefecit.

Verba Caluini ex Stapletonio in c. 26. Matt.

Nec solus Caluinus quidem, sed & tota hæreticorum nostri temporis schola clamitat cum calumniatore Iuda, cuius ipsi sunt complices: *Quare vnguentum istud non venijt?* Vt quid istæ tot ceremoniæ? Sunt enim quædam veteris paganismi reliquiæ, vel ipsius Iudaismi. Vt quid hæc argen-

Hæretici omnes Catholicorũ ceremonias subsannant, quia Catholicorũ sunt.

tea, totque aurea vasa, & superbi tapetes & ornamenta? Neque enim possunt Caluiniani hæc olfacere, sicut nec thuris fumum, quid ista lampadarum claritas? an non hęc in templo Deorum aliquando fuerunt visa? Ecclesia enim (dicunt) cum sit spiritualis non eget adminiculo ceremoniarum quæ nos in Dei contemplationem rapiant. Verum quidem est, nos pleraque à Paganis & Iudæis emendicasse, sed vt ad mores pertinentia, & celebres quasdam, sed morales ceremonias quas retinere licuit. Neque enim inter Gentiles ipsos defuerant, qui ad res sublimes animos suos erigerent, vtpote qui præstantissimum aliquod lumen naturale haberent, hinc tot insignes ab eis prodiere conceptiones, tot adagia, totque & tam præclara ad res politicas stabiliendas statuta. Hominum igitur cerebrosorum est ea abhorrere quæ bona sunt, ratione loci vel personarum à quibus deriuarunt.

Catholici à Paganis multa habent quæ bona sunt.

Florim. l. 8. c. 3.

Maiores nostri, inquit Florimondus lib. 8. cap. 3. qui fundarunt, & illustrarunt Ecclesiam satis intelligentes quod neque bona, neque mala consuetudo facile & primo conatu remittatur, præsertim cum ipsa *consuetudo sit altera natura*, & quasi quædam lex, censuerunt expedire, vt vetus synagoga & Paganismus cum honore sepeliretur aliquas à Paganis suffurari ceremonias, quas è veteri lege mendicarant, vt paulatim idololatriam eliminarent, & Christi crucem in statuarum locum erigerent.

Non semper Deorum templa destruxerunt, quod fecerunt ipsi Caluinistæ, sed quæ Dijs erant consecrata vni Deo dedicauerunt.

Balæus in vita Bon.

Balæus in vita Bonifacij IIII. dicit quod impetrato à Phoca Deorum templo, quod Pantheon vocabatur Matri Deorum Cybele consecrato, iussit honorem exhiberi D. Virgini Matri, &

tri, & omnibus Martyribus. Talibus ergo calumnijs nos impetunt Caluiniani. Sciunt interim iussum esse Moysen ex Ægypti spolijs templum erigere, sic & nostri voluerunt cum honore synagogam sepelire. Et hoc quidem gradatim fecerunt, quod vnico temporis momento fieri non poterat. *Exod. 11. 12. & seq.*

Sicut igitur in antiqua lege non nisi quadringentis post Moysen annis introductæ & obseruatæ sunt omnes ceremoniæ, sic spacio 300. annorum ante Constantini tempora, quibus Ecclesia persecutionem passa est, non alio quam simplici cultu in templis vtebatur, donec pace per Imperatores constituta creuit in honorem hunc quem cernimus. Et hoc est quod opponunt nobis aduersarij in exortu suo talem Ecclesiam non fuisse, quod sanè fatemur factum, quia per Christianorum paucitatem non licebat, item per magnitudinem persecutionum, & ipsius Ecclesiæ paupertatem, idem tamen erat officium, quod vni Deo fiebat, quod tamen solenniori ritu peractum est, securitate per Christianorum Imperatores restituta, vbi tempus, inquam, illud aduenit quod Esa. 49. prædictum erat: *Parum est vt sis mihi seruus*, &c. Vide locum.

Quæ enim pulchra ex se sunt semper pulchra sunt, sed veluti lapis Adamas eo magis relucet, quo magis politur sic Ecclesia cum ceremonijs honestatur. Sic folia arbores ornant, & vuas pampini. Similes sunt hæretici febricitantibus, quibus nihil bene sapit, quia deprauatus est eorum gustus, quamobrem vt nostra fastidium illis pariant. *Simile.*

At vultis scire cur nostras non possint tolerare ceremonias? Dicam, quia nostræ sunt. Dicam, quia ipsi auari sunt. Dicam, quia calumniatores sunt. *Contrariantur in omnibus.*

Pedi-

Crucem abhorret. Pedibus crucis effigiem calcant, quia nos illam honoramus, cuius ſignaculum noſtræ fidei ſymbolum eſt, cum nihil decenter fiat in Eccleſia, niſi frons Chriſti ſignaculo cohoneſtetur patet id ex ſingulis ſacramentis & ritibus ſacris.

Altaria. Vt quid in conſiſtorijs & conuenticulis ſuis hæretici altaria renuunt, niſi quia nos habemus illa quaſi ſedes & repoſitoria corporis & ſanguinis Chriſti? Chryſoſt. hom. 20. in 2. Cor. dicit: Altare eſſe lapideum ſi naturam aſpicis ſolam, ſed ſanctificatum, quia recipit Chriſti corpus.

Nomen Iesv. Accedit ad hæc quod Caluiniſtæ Chriſti Iesv ſacratiſſimo nomini nullum prorſus honorem exhibere dignantur cum illud profertur. Dicunt enim vel ſic agendo nos idololatrare, vel magicis artibus vti; & hoc duntaxat, quia nos illud merito nomen reueremur. *In nomine* Iesv *omne genu flectatur*, &c. inquit Apoſtolus: Non quod genua ſpiritus habeant (quod nobis obijciunt) ſed quod illa quandoque reſumentes animæ reuerebuntur, hoc enim nomen eſt, quod adoratur ab Angelis, quod dæmonibus terrori eſt, quod impreſſum ſacris Eccleſiæ Catholicę vexillis robur addit. Illorum in conciliabulis ſi quando nomen illud ſonora voce profertur, non amplius mouentur quaſi apoſtatæ Iudæ nomen pronunciaretur. In hoc primi Chriſtiani ſe differre dicebant à Iudęis, nos ab hæreticis differre volumus hoc ſigno. Principibus illi quidem ſi nomina eorum exprimãtur ſatis tribuent honoris, nobis autem honor ſit in hoc nomine multa pati, & vt Principis noſtri naturale nomen cohoneſtare. *Philipp. 2*

Dies feſti. Qui fit cur illi dies feſtos ab Eccleſia inſtitutos abolere conentur, niſi quia fidei Catholicę primores quod acceperant à ſuis maioribus nobis filijs ſuis hos dies commendarunt, vt quaſi in depicta tabula vel ſpeculo, Chriſti Sanctorumque vitam con-

contemplaremur. Imo diebus istis magis instant operi, quia nos non laboramus, atque hoc faciunt per auaritiam ne quid illis decedat lucri.

Illorum ministri ministerium Euangelicæ prædicationis, chlamyde humeris superposita vt sæpius, exercent, quia sacris ornamentis Catholicos Sacerdotes cohonestari vident, in quibus maiestas & status decentia relucent. Virtutibus quidem primum debet animus ornari, at hæc externa huiusmodi demōstrāt inesse consciētijs vel inesse debere ornatum, & in admirationem rapiunt mysteriorum aut ipsius diuinæ maiestatis, &c. In lege vestimentis Sacerdotes vsi sunt, vt Genebrard. in sua Lyturgia dicit Christum in cœna superpelliceum habuisse quod Thalet vocabatur. Nec reperiri poterit quisquam Sacerdos ad tantam paupertatem redactus, qui vestimentum aliquod sacerdotale ad sui status conuenientiam non conetur habere.

Modus concionādi ministrorum.

Exod. 28. Genebr. de Christi Thalet.

Vt quid ipsi ipso Parasceues ducunt Bacchanalia, & dies lætitiæ celebrant, nisi quia nos Saluatoris mortem plangimus? In ieiunijs suis carnium esum permittunt, etsi aliquamdiu abstineant, & hoc quia nos à carnibus abstinemus vt carnem nostram maceremus. Nos ratione Resurrectionis Christi diem Dominicum non ieiunamus, at illi quia nos id facimus, solemnioribus ieiunant diebus. Sic faciebant Arriani, vt bene notat Aug. lib. 1. de Hæres. epist. 86. & 83. idem dicit ipse Ambrosius. An non ergo diaboli sunt cum Iuda?

Bacchanalia Caluinistarum. Ieiunia.

Orantes ipsi manus non iungunt, non eleuant, pectus non percutiunt, quia id Papistas sciunt agere, sic & ob hanc rem dum suos in congregationibus expectant ministros, preces ad Deum ritu nostro fundere non audent, quia hoc sciunt nos facere. Catholicos nos vocamus, at illi mordicus hoc nomen respuunt, quia nostram consuetu-

Orationes

suetudinem respuunt. An non ad instar Iudæ calumniatores?

Ritus cæna Caluinistica. In profanis suis cænis non calicibus, sed vitreis vtuntur poculis, quia non vasis argenteis aut aureis ex antiqua traditione vtimur, vt ex bonis ipsis etiam temporalibus quæ à Deo recepimus, Deo cultum & honorem refundamus beneficij memores. Tertullianus enim l. de pudicitia dicit, calices sui temporis ornatos fuisse colatura, & imaginibus Saluatoris insignitos. O Iudaitas! ô diabolos!

Illi quia nos Christi corporis & sanguinis transsubstantiationem, sacram sinaxin, aut Eucharistiam vocamus, suam actionem vocant Cænam, cum nullus sit locus, in quo cæna vocetur, quoniam locus ille Pauli, quo cænæ facit mentionem *1 Cor. 11.* agit de cæna quam faciebant Christiani ad imitationem cænæ factæ ante Eucharistiæ institutionem, quam vocabant charitatem. Ad hanc vocabantur omnes pauperes quod patet ex eodem loco vbi dicit: *Vnus esurit, alius ebrius est.*

Dum cænam illi faciunt stant erecti in morem Iudæorum, quia nos genu flectimus id adorantes quod credimus. Illi post epulas, quia nos ieiuni. Quamuis id non sit noua res post epulas morsum panis & aliquid vini gustare. Nos vero ieiuni accedimus ex antiquo more, quia vt dicit Aug. ep. *Aug. ep. 118.* 118. Placuit Spiritui sancto in honorem & reuerentiam tã excellentis Sacramenti corpus Domini prius in os Christiani ingrederetur, quam aliquod aliud edulium, hæc vel similia ibi. Illud ab ipsomet Tertulliano acceperat, & hic ab Apostolis. Si per omnia vos hæretici velitis Christum imitari, deberetis accumbentes vestrum panem manducare, alter alterius lauare pedes vt iubet Saluator. Hoc fecit aliquando Ecclesia donec hoc inhibitum est ne id fieret, quia lotio hæc à quibusdam pro baptismo habebatur, teste Aug. ep. 118.

Atque

Atque si per singulas eorum consuetudines diuagari velimus, reperiemus in illis partim spiritum contradictionis, qui in Iuda fuit vt diaboli primogenito, & spiritum auaritiæ, quo suadente nitorem omnem & decorem à nobis volunt eripere, quibus magis ac magis in dies ad diuinum obsequium accendimur. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum.* &c. *Psal.* 25.

Hinc eorum templa verius quis dicet esse haras quam aras, non nisi parietes aranearum telis obductos ad instar ornamentorum. Quare (inquiunt) non veneunt isti calices? cur istæ præbendæ, beneficia tam opulenta? &c. vt eis omnia liceat diripere, quod & fecerunt in plerisque locis vbi suam tyrannidem in Catholicorum templa potuerunt exercere, quò suam explerent auaritiam, & sacrilegam sitim. Hic exaggerabis quantum poteris exemplis, ex Belgicis hisce tumultibus & alijs.

De sacrilego hoc & superbo Iuda tum cæteris eius sequacibus hæreticis dicere videbatur Doctor Gentium, 1. Timoth. 6. *Quia ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ non acquiescit superbus nihil sciens, sed languescens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, sacrilegia, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & à veritate alienorum, existimantes quæstum esse pietatem.* Vide locum Pauli, vbi exponit illud: *Superbi iniquè agebant vsquequaque, à lege autem tua,* &c. Et illud: *Superbo oculo & insatiabili corde.* *Psal.* 118.

His verbis videtur Iudam, & eius complices graphicè depingere. Nonne id quod hoc facto & vnctione docebat Magdalena, doctrina erat secundum pietatem, cui Iudas non acquiescebat? Pietas, inquam, & reuerentia in Christum? non acquiescebat, inquam, quia contradicebat; contradicebat vero quia superbus erat, nihil sciens, id est, ignorans Christi mysteria, hinc languesce-

bat, id est, corde deficiebat circa has quæstiones, & pugnas verborum: *Quare non venijt*, &c. ex quibus (vt audietis) inuidiæ, &c. Vt quid vero pugnas verborum promouebat? Quia erat mente iam corruptus per hæresim, & à veritate alienus, quia per auaritiam erat in ipso suffocata veritas, hinc existimabat questum esse pietatem: Illum, inquam, questum, illud sacrilegium existimabat pietatem, quia pauperes prætexebat.

Esa. 45. *Væ qui contradicit factori suo*, dicebat Esaias: Illud væ tibi, ô Iuda debebatur. Nam & ad literam de te, & tui similibus dixerat: *Se futurum in signum cui contradiceretur*. Tu palmam cæteris præripiebas, quia cæteros ad contradictionem præibas. Tu beatus esse non poteras, quia non poteras particeps esse veritatis istius sententiæ Saluatoris: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*. An scandalo tibi sum, quod intersim conuiuijs tam sumptuosis vbi ad sumptus huiusmodi adhibentur vnguenta? Memineris saginatum vitulum tunc ab illo patre iussum esse mactari, cum prodigus ille filius qui perierat redijt, &c. Nonne propter celeberrimum hunc Lazari ab inferis reditum oportebat lætari, & in ea domo sumptus adhibere qui talibus personis digni erant? Nonne fama mea bonus odor erat, qui per hoc vnguentum signabatur? *Christi bonus odor sumus*, &c. inquiebat Paulus. Meritò igitur tibi dicat Saluator: *Vade retro post me scandalum mihi es. Non sapis quæ Dei sunt*. Nimis carnalis es, ô Iuda, non potest tibi gustus esse rerum earum gratus quæ non nisi olfactum spiritualem requirant.

Luc. 2. Matt. 11. 2 Cor. 2. Matt. 16.

CONCLVSIO.

Vos igitur Auditores in fide, estote humiles, & de scripturis tum Christiana fide humiliter sentientes, dicit enim scriptura Ecclesiastici 1.

Bene-

Beneplacitum est illi fides & mansuetudo. Item D. Iacobus c. 1. *Suscipite cum mansuetudine insitum verbum.* Ne existimetis vnquam quęstum illum quem facitis (ex eo quod nullus in Ecclesijs ornandis sumptus facitis) pietatem esse. Imò nihil existimetis ceremonias diuino cultui detrahere, imo illas maxime ornare. Omnia quæ suis Sanctis traditionibus edocta sancta probat Ecclesia, probate, & approbate, & obuijs vlnis excipite, mansuetudinem quæ fructus est spiritus, teste Apostolo, suscipite, vt ex eorum numero sitis, quibus dictum est: *Mansueti autem hæreditabunt terram*, &c. Ne si spiritum contradictionis cum Iuda & hæreticis habeatis, Christum vobis contradicentem habeatis, qui dicit: *Qui erubuerit me coram hominibus*, &c. Ab illo Iudæ casu nos præseruet Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Auari & hæretici quæstum pium dicũt quod ad res sacras non applicãt.


Gal. 5.

Psal. 36.

Luc. 9.

AMEN.

***



CONCIO DECIMA.

Tractat quomodo iam factus hæreticus Magiſtrum contempſerit eius auaritiæ renitentem. 2. Quod fuerit ſeditioſus. 3. An cum ipſo cæteri murmurauerint. 4. Quod fuerit temerarius iudex & hypocrita.

Inter cætera Themata accipies quod voles ex ſequentibus.

Quare vnguentum hoc non veniÿt 300. denariÿs, & datum eſt egenis? Ioan. 12. *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? Mat.* 26. *Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? Marc.* 14.



Ræclara fuerunt omnia monita, quibus Doctor Gentium Timotheum ſuum diſcipulum inſtruxit de ſe bene meritum. Illud verò maximè excellit, quo priuatim illum hortatur vti ſe gerat in ſuggeſtu, & in familiari colloquio erga diuites huius ſæculi, & quod ob id frequentius eorum auribus deberet inculcari: illud autem tale eſt: *Præcipe diui-*

diuitibus huius sæculi non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum suarum, sed in Deo viuo, &c. 1 Tim. 6.
D. Thomas in hęc verba dicit, quod sublime sapere est aliquid excelsum de se sentire, quod quidem malum esse dicit propter duo: *Primò*, quia diuitiæ non habent in se excellentiam veram, vndè etiam qui propter exteriorem excellentiam sublimè sapit, de se inordinatè sapit, superbus est. Et tamem præter hanc diuites aliam sublimitatem non curant, dum repentè præsertim facti sunt diuites. Hæc verò sublimitas acquiritur, vt sæpius, per diuitias, dicit enim Ecclesiastes: *Pecuniæ obediunt omnia.* Item alio modo potest quis peccare sublimè sapiendo, quia sunt quædam quæ habent sublimitatem, sicut sunt dona spiritualia: *Quam magnus est, qui inuenit sapientiam & scientiam,* &c. In his enim potest aliquis sublimitatem sapere, non ex natura, sed attribuendo sibi quod non habet, vel à Deo non recognoscendo quod habet. *Secundum* vitium in diuitibus est spes mundanarum rerum, quibus se credunt factos esse sublimes, ex qua spe contemptus aliorum nascitur. Et hoc est quod vocat: *Neque sperare in incerto,* &c. Longè aberat ab hac superbia, & spe, Deo familiaris ille Iob, qui dicit de seipso: *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea,* &c. (si) pro (non.) Et Sapiens: *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Quibus ex verbis non obscurè colligimus, quod vbi quis ad aliquem honorem repentè promotus est, vnde sibi diuitias comparauit, si Dei timorem præ oculis non habeat, coęqualibus sibi vel superioribus obstrepere, nec illis acquiescere solere, tales nimium insolentes fieri, imò insupportabiles, superbos, contumeliosos, inferioribus molestos, & rigidos, rixosos, contentiosos, inuidia tumescentes, alienæ fælicitatis æmulatores, temerarios conscientiarum Iudices. Hoc videre est in Aman,

D.Tho. | Eccl. 10. | Eccl. 25. | Iob 31. | Prou. 10.

Num. 16. Choré, Dathan, & Abyron. Estheris 3. dicitur: *Videns superbus Aman quod Mardochæus ipsum adorare nolebat, suasit regi, vt totus Iudæorum populus deleretur, volebat enim coram se genuflecti, & adorari.* Videte superbiam hominis ex parua familia ad honorem euecti. Propterea Græcorum Æthnici sapientes prosperam fortunam semper suspectam habuere, vt virtutis inimicam ac præsertim humilitatis.

2 Reg. 15. & seq. Achitophelem nemo est qui ignorat quas tragędias, & seditiosas commotiones in familia Dauidis excitarit, & filium in patrem iniquè concitarit, & seipsum in Regem suum inuexit, ille, inquam, qui prius à consilijs Regis assumptus, honores sibi datos non cum ea qua decet reuerentia exceperat, sed in eis sui oblitus sublimè sapiebat.

2 Reg. 16. ver. 23. De illo enim dicitur: *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cum esset cum Absalon.* Dilatabis hoc.

Vbi verò ad honores, aut diuitiarum iniustam cupiditatem accedit fidei defectus, & diuini timoris contemptus, quî fieri potest vt homines non despiciat, qui Deum non reueretur? Eheu quæ mala! quot pestes! quot tyrannides inde prodiere! Atque vt ab hoc prototypo nostro incipiam, ego hæc omnia crimina in vno reprobo Iuda reperio, quæ in sceleratissimum ac in quendam insigniter nefarium coaceruari posse credam. Videte igitur quomodo ex his verbis quidam resultet contemptus Magistri, & eiusdem reprehensio. *Vt quid vnguentum hoc non veniјt?* q. d. Ego video te non satis domui tuæ esse bene præpositum. Nonne vides nos magno esse numero tam Apostolos quam discipulos, qui te quotidie sequuntur, quos oportet benefactorum sumptibus, & onere non exiguo sustentari? Vt quid igitur

Cõtẽptus Christi in Iuda. Opinio hæc est Theoph.

profun-

profundis quod in discipulos rectius poterat expendi? Vt quid permittis hoc vnguentum; quod Regum magis quam pauperum delicias, & dignitatem redolet, super caput tuum effundi? Vbi paupertas illa est quam consulis? vbi rerum mundanarum contemptus quem præcipis? Quid corpori tuo cum oleo, quod nec tibi, nec nostræ necessitati leuamen adferet? Hæc illa est superbi hominis elatio, & Magistri contemptus, qui inde oriebatur quod existimaret se tanquam dispensatorem, & ærarium, huius vnguenti curam habere debuisse. Hæc autem ad Christum non spectare.

Speculatur enim hic doctè Iansenius, dicens: *Concord. c. 109.* Dominus egenis solitus erat quæ supererant impartiri, ex quibus Iudas nonnihil substrahere solitus erat. Non sincera enim mente pendebat à Magisterio Iesu, sed iam tum sibi prospiciens peculium, quo viueret ab eius consortio semotus. *Nota causam contemptus.* Hæc ille. Vnde videbatur illi satis iniquè fecisse Christus, quod eius neglecto consilio tantos fecisset in ea re sumptus, quæ nullius necessitatis, aut emolumenti esse videbatur. Quia igitur auarus erat, fur erat, & quia fur erat, Magistrum contemnebat & carpebat cum furtis suis nō consuleret. Atque sic nullum suis furtis modum adhibebat. Deinde eo ipso magis illum despiciebat, quo iam ab illo amplius per hæresim defecerat. Et hæc vna est ex notis certissima, quibus à Catholico hæreticum secernamus. *Nota hæreseos est contēptus superiorū.* Habent enim illi à primo sui defectus die, quendam innatum rebellionis & contradictionis spiritum, quo leges diuinas & humanas promiscuè spernunt. Illud est quod alter electus Iudas in Epistola dicit: *Dominationem autem spernunt.* Quod bene notauit noster Feuard. *Feuard. in epist. Iudæ.* Experientia enim docet nostri temporis hæreticos omnes esse proteruos, inobedientes, ac rebelles, præsertim cum accedunt ad hæresim

resim diuitiæ, vel habendi cupiditas, quæ ipsos semper comitatur. Et quid mirum? Docet enim Apoc. 12. Hæreticorum Principem contra cœlestis exercitus Ducem Michaelem in cœlo prælium commouisse. A quo permoti erant Choré, Dathan, &c. schismatici qui Moysi summo Synagogæ præfecto subesse detrectabant.

Esa. 14.

Num. 16.

Iren. l. 4. *c.* 43. Irenæus de illis dicit: His similes sunt qui exurgunt contra veritatem & alios adhortatur aduersus Ecclesiam Dei.

Tit. 1. D. Paulus: *Sunt inobedientes, vaniloqui, seductores, &c. subuertentes domos turpis lucri gratia.* En auaritiam. Non tantum igitur corporibus & animo se contaminant, sed & Magistratum tam sacrum, quam profanum, qui à Deo constitutus est, vt pax & honestas inter homines seruetur, contumeliosè aspernantur, & aduersus eius authoritatem loquuntur, vt omni sublato legum timore, & mundi ordine absque iugo exultent & liberius peccent, quod incredibili totius Christianismi scandalo atque detrimento plus quam verissimum esse nostra tempestate compertum est per Lutheranos in Germania, per Anabaptistas in Westphalia, per Geusios in Belgio, per Hugonothos in Francia, per Puritanos in Anglia contra institutos à Deo Monarchas & Reges ciuilibus armis insurgentes, & florentissima quæque regna prouincias, ciuitates, & oppida suis perduellionibus funestantes, sacra prophanantes, aras, & templa diruentes, nihil non dirutum permittentes & euertentes. Prolixum esset referre conuitia, probra, omnisque generis contumelias, quas in sacros Pontifices, ac qui sectis suis non fauent Reges ac Principes, tam in concionibus quam in scriptis suis, palam euomuerunt. Summum Pontificem Antichristum vocant, Episcopos pro idolis, monstris, porcis habent, sacrilegos impuros Sacerdotes Christicidas appellant, Monachos rasos, hypocri-

pocritas, seductores, concionatores, falsos prophetatores. Reges Catholicos tyrannos, Pharaones, Nemrothos, Dei hostes nuncupant. An non illud est dominationem spernere? Nonne hæc est vna nota, qua valeamus à Catholico hæreticum discernere. Hæc Feuard. vel similia.

Cypr. Rogatiano Episcopo scribens de quodam diacono, qui illi rebellis erat, post multa verba, quibus illi pœnitentiam iniungit sic dicit: Hæc sunt initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, vt sibi placeant vt præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & vnitatem Dei rebellatur. Hæc Cypr. *Cypr. ep. 9 l. 3. epistolarum ad Rogatianum.*

Talis igitur erat Iudas qui non aliam ob rem in Christum insurgebat, quam quod illum iam amplius Magistrum in mente non habebat, neque eius actiones ferre æquanimiter poterat, vtpote suæ cupiditati, quam maximè contrarius.

Theophylactus in hæc verba satis innuit fuisse contemptum: Iudas, inquit, cum esset auarus reprehendit honoris modum. Quare enim non obtulisti pecuniam, vt possem scilicet furari, sed vnguentum? *Theoph.*

Secundo, notandum quod ex huiusmodi contemptu seditionem fecerit inter Apostolos, & illos ad obmurmurandum commouerit, quamuis sicut ait Theoph. non ea mente quali Iudas, murmurarint. *2. Fuit seditiosus.*

August. & Chrysost. dicunt etiam discipulos cæteros indignatos fuisse licet non eadem de causa, Iudam quidem ex auaritia, quamuis zelum pauperum fingeret, at discipulos ex misericordia in pauperes. Aliter etiam responderi posse dicit August. scripturam sæpenumero plurali numero pro singulari vti, habemus huius rei aper- *Aug. l. de consens. Euang. c. 79. c. 69. Chrysost. hom. 64. in Ioann.*

tum

tum exemplum, Matth. 27. *Idipsum*, inquit, *latrones qui crucifixi sunt cum eo, improperabant ei.* At Luc. 23. vnius solum mentio facta est. Hieron. in Matt. 26. vtramque hanc expositionem adfert & probat, sed prior melior esse videtur, qua murmurasse etiam credantur cæteri.

Maldonatus dicit non verbis, sed apud se, id est, apud animum suum, ita vt πρὸς ἑαυτὸ, significet apud se, in animo suo, non inter se, vt quidam hæreticorum interpretes putant. Hinc dicitur omnibus: (etsi Iudas solus verbis murmurasset.) *Quid molesti estis huic mulieri?* vt cautiores ne quod in mente murmurant verbis aperiant, exemplo Iudæ, qui eos tanquam seductor, ne solus esset, ad huiusmodi remurmurationes instigare conabatur. Quod & facere nostros hæreticos plusquam certum est.

Duo murmurantiũ genera. Ex his verbis colligimus duo murmurantium esse genera, alij sunt criminatores in murmuranda, & sub domorum & familiarum subuersores turbulenti pacis osores, dissidiorum promotores & ruinę monastici status. Alij sunt zelatores, qui scilicet non possunt deprauatos mores perferre, sed eis semper insidiantur, obmurmurant vt emendentur, & illi pacem quærunt, & obseruantiam status ad quem vocati sunt. Tales familias bene constitutas conseruant, desolatas releuant, & monasticam disciplinam collapsam, & quia Religiosi sunt per huiusmodi reclamationes restaurant, ac restituunt suis monitionibus ac exemplis. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, scilicet vtrum murmurent tales discreto zelo ad corrigendum, an vero ad criminandum & commonendum, aut seducendum. Illi per Iudam, & alij per Apostolos significantur. *Matt. 7.*

Incidenter quærendum nobis est, quomodo Dominus per Iudam marsupium portabat, cùm Apostolis à se ad prædicandum missis præceperit,

rit, non deferre marsupium nec pecuniam. *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*: Iansenius respondet aliam esse rationem alicuius collegij & multitudinis, & aliam esse rationem duorum. Quoniam enim facile fuit duobus inuenire hospitem, cùm mitteret Dominus Apostolos binos ad prædicandum, vetuit eos secum ferre pecuniam, quod tamen non voluit illis esse perpetuum, sed temporale. At totam discipulorum multitudinem simul cum Iesu circumeuntium recta ratio non sinebat carere marsupio ne vsquam hospitem grauarent. Et vt esset illi vnde cum vndecim sustentaretur, quando latitandum, vel secedendum erat. Hinc enim dicitur quod cum loqueretur Samaritanæ, discipuli ad ciuitatem ierant vt emerent cibos. Deinde sicut mittens discipulos suos sine marsupio, declarare voluit, nihil vnquam defuturum his qui simplici fiducia ab ipso pendentes totos sese doctrinæ, & aliorum ædificationi impenderent, ita cum suis circumferendo loculos, ostendit Ecclesiam licitè habituram loculos, nec derogare perfectioni vitæ habere marsupium commune pro sumptu opportuno. Nihil enim imperfectionis fecit Iesus in vita sua qui perfectionis erat magister.

Cur Christus habuit loculos.

Luc. 9. & Matt. 16.

Ioann. 4.

Si quæratur an egeno liceat datas eleemosynas alijs egenis impartiri? Respondemus id licere & exemplo Christi & præcepto si quid sit superfluum. Dicitur enim Ioannis 13. Quod quando Christus dixit Iudæ: *Quod facis fac citius*, Apostoli credebant quod locutus fuisset Iudæ, *Vt aliquid daret egenis*, erat igitur consuetudo Christi, & Apostolorum eius. Ipse enim voluit nos potius esse dispensatores bonorum, quam Dominos, præsertim si quid supersit vltra necessitatem. Sicuti igitur Christus summus ipse bonorum omnium dispensator melius nouerat, quibus expe-

An egenus egeno possit benefacere?

diret

diret eleemosynas elargiri, quã ipsi qui sibimet & Apostolis dabant (hinc est quod illas aptè dispensabat) ita etiam voluit vt quotquot Euangelicam paupertatem essent professi superflua quæ restarét alijs egenis distribuerent tanquam Dei dispensatores, & hoc ad eorum intentionem, quorum liberalitate nutriuntur, qui non ita nouerunt, vt sæpius, discernere, quibus pauperibus præsertim & quomodo largienda sit eleemosyna.

Hinc paulò post initium nascentis Ecclesiæ, quando illi libertas fuit per Constantinum Imperatorem, per totum orbem templa construendi, solemnes ritus & ceremonias exercendi, Reges, Principes, Magnates, & quotquot charitate feruebant, & exemplo piæ conuersationis eorum, qui vitam Apostolicam profitebantur, ad pietatis studia cõmouebantur, suas hæreditates, & prædia largiter illis conferebant, & sese quasi omnibus denudabant nihil aliud, vt sæpius, retinentes, quam quod ad communem vitam sufficere videbatur, sperantes fore vt illi maiore cum prudentia, quam ipsimet bonis his erga pauperes vterentur, & pietatis opera prout expedire videretur de superfluis exercerent. Hinc tam opulenta per orbem terrarum cœnobia, præbendę, præposituræ, Episcopatus, Archipræsulatus. Viderunt itaque quotquot maiorum eleemosynis ditati sunt quomodo superfluitatibus earum non abutantur. Videant si quomodo boni dispensatores sint mysteriorum Dei, & bonorum Ecclesiæ, seu patrimonij Christi.

3. *Hypocrisis Iudæ.* Non obscurè licebit insuper ex his verbis subsannatorijs apertam eius hypocrisim, & simulatam pietatem intueri. Nam qui eius animum nesciret, non posset non iustum eum ex his verbis iudicare. Primo enim videtur magistri honorem zelare, q. d. *Vt quid perditio,* &c. Quid tam bonum magistrum nostrum molestamus his nugis?

nugis? Scimus enim non delectari sæcularibus hisce condimentis, & superfluitatibus, 2. videtur totius collegij honori velle consulere, q. d. Nostro conuiuio non conuenit ista magnificentia; paupertatem enim professi sumus. Christum pauperem & nudipedem pauperes nudis pedibus sequimur. Quid dicent quorum interest nos suis eleemosynis sustinere? quomodo scandalum effugient? quomodo nos vituperium subterfugiemus? Dicent vtique nos hypocritas, deceptores, delicatos, lasciuos, & inutiles. Pistrino nos adagent, &c. O callidum hypocritæ conceptum! ô fucatum indolem! 3. videtur esse zelator pauperum, q. d. Si decretum erat fæminæ largiri rem tanti precij, poterat donata vendi & precium dari pauperibus, hoc quidem sanctius erat, & magistro nobisque dignius. Ac proinde sinistrè benefactum hoc interpretabatur, vt iudex temerarius & alienæ conscientiæ nimis curiosus indagator, sicut ille Simon qui Magdalenam peccatricem credebat, & iudicare se taliter apud Christum confitebatur cum tamen lachrymis intus peccato fædatam conscientiam abluisset. Existimat Magdalenæ bonum hoc opus non esse, quia superficietenus videbatur bonum non esse, quia magis ad magnatum quam pauperum delicias pertinebat. Deinde nihil ad illam gloriæ credebat rediturum ex hoc obsequio. Tales ab ipso sunt omnes hypocritæ, & quotquot de aliena conscientia ex ijs quæ foris apparent, iudicant; illi rem omnem, prout apparet, existimant vel bonam, vel malam, ex qua nihil ad operantem gloriæ redit. Hoc enim quærunt omnes hypocritæ etiam in sordidis rebus, vt placeant, vt gloriam humanam possint aucupari. In hoc vnicum tota vertitur hypocritarum intentio vt videantur, admirationi habeantur, singulariter laudabiles præ cæteris putentur.

Iudex temerarius fuit Iudas.

Luc. 7.

Doc-

Documēta ex 1. puncto. *Docemur ex primo puncto* superiorum voluntati nos humiliter submittere, eorum dicta vel facta, vel intentiones non examinare, eorum mandata non spernere vel subsannare. Hoc enim diabolicum est opus, quia dum voluit parentes nostros ad peccandum allicere sic illos allocutus est: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis?* &c. q. d. Examinate eius intentionem, videbitis pomum non esse malum, quod si malum non est, inquirite cur prohibuerit; si malum est, quærite cur in paradisi pomum posuerit. Debuissent parentes nostri potius serpenti respondisse sit malum sit bonum non comedemus, quia vetuit Dominus. Nam si (inquit D. Augustinus) sic disputaret Adamus: Responderet Deus: Bona est arbor, nolo tangas. Quare? quia Dominus sum, tu seruus. Hæc tota causa est si parua est dedignaris non seruus. Tales qui non acquiescunt sunt similes Sauli, cui dictum est scelus idololatriæ est acquiescere nolle. Sunt enim suarum voluntatum idololatræ, cui magis quam superiorum rationi acquiescunt. Talis fuit ille Iudas, & ceteri hæretici. Obedite igitur præpositis vestris, &c. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

D. Aug. Ps. 70. Cont. 2.

1. Reg. 15.

Rom. 13.

Ex secundo tum tertio puncto docemur, seditiones non excitare inter fratres, murmurationibus nostris pacem non interrumpere cum Iuda, sed potius zelare pacem cum Apostolis, & pauperum subuentionem remurmurare malo, & cum Dauide dicere: Tabescere me fecit zelus meus, &c. Exitum aquarum. Contra primum dicit Paulus, 1 Cor. 1. *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius* IESV CHRISTI. *Obsecro igitur vos fratres per nomen Domini nostri* IESV CHRISTI, *vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Dicit autem ad Philipp.

Psal. 118.

lipp. melius: *Nihil per contentionem aut inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* Vbi vero sunt murmura, vel seditiones, omnes sibi inuicem sunt contrarij omnes superiores volunt fieri, omnes calcare volunt, nulli subesse, & sunt de numero eorum, qui dixerunt: *Linguam nostram magnificabimus: labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* *Philipp. 2.* *Psal. 10.*

Tertio. Docemur nostras intentiones in exercitijs bonorum operum, in honorem Dei dirigere non ad propriam ostentationem, non quæramus externam dumtaxat boni cuiusdam imaginem, vt hominibus magis, quam Deo placeamus. Neque iuxta superficiem proximorum facta ponderemus, & aliena iudicemus, ex proprijs opinionibus tanquam si mala sint. Potius verò vbi quædam boni apparentia est, in bonam quam in deteriorem partem inclinemur. Ne proprio iudicio nos ipsos condemnemus. Hoc existimate semper vtiliter esse impensum quod in obsequium Christi Redemptoris est expensum. Etsi enim proximos nostros diligere iubemur sicut nosipsos tamen proximis nostris Deus ipse præferendus est, cui nos nostraque omnia tam naturalia, quam supernaturalia tum etiam fortunæ bona dicare & consecrare nunquam non laudabile est. Illi honor & gloria. *Aliud documẽtũ.*

In discipulis vero submurmurantibus & à Christo nonnihil reprehensis docemur, ne illico offendamur & scandalizemur, si quid videamus fieri quod aliter iudicauerimus expedire fieri. Et vt summatim dicam: *Nihil alterutrum debeamus, nisi vt inuicem diligamus.* Sic nec erunt schismata, seditiones, &c. Sic fiet vt vnusquisq; liberè dicturus sit: *In pace in idipsum; dormiam & requiescam.* In quo enim verius pax interioris hominis & somnus spiritus requiescit quam in eo qui se lubenter superiorum suorum potestati submit- *Rom. 13.* *Conclusio.* *Psal. 4.*

tit,

tit, & in integrum committit? An non *qui potestati resistit Dei ordinationi resistit? Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt*. Si damnationem Iudæ perhorrescimus, metuamus & rebellionem, quæ ex contemptu Prælatorum nascitur; à quo fonte seditiones, iurgia; contentiosæ murmurationes, & iniquæ suspiciones oriuntur, quæ charitatis omne bonum, & omnis perfectionis vinculum disrumpunt. A quibus nos præseruet Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

AMEN.



CONCIO



CONCIO VNDECIMA.

Qua declaratur Iudæ in pauperes crudelitas: & de rationibus quibus adduci debuit ad misericordiam in pauperes exercendam.

THEMATA.

Non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & ea quæ mittebantur portabat. IOAN. 12.

ALIVD.

Sine illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. IBID.



DE quodam Abdolomino narrat Q. Curtius in vita Alexandri, quod cum è regia stirpe oriundus fortunæ deterioris accessu ad statum agricolæ redactus esset, ac demum à re rustica ad regnum iterum fuisset ascitus, rogante Alexandro, quo animo paupertatem tulisset. Respondit: *Vtinam eodem animo regnum pati possem.* Hæc manus suffecere desiderio meo, nihil habenti nihil defuit. Responsum magis in Æthnico quam in homine Christiano mirabile. Prouidentiam enim nobis magis

Q. Curtius hist. de Abdolomino.

Magnanimitas Abdolomini Regis.

 Chri-

Christiana Religio commendat, & in Deum fiduciam quam Paganorum illa superstitiosa viuendi ratio.

Luc. 22. Christus aliquando suos sciscitabatur: *Quando misi vos absque sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Quibus verbis satis apparet, quæ fuerit Apostolorum omnium in Christi prouidentiam confidentia, præsertim eo tempore quo destinabantur velut inermes & nudi ad Christi dissemimandum Euangelium, tum ad sanandos infirmos, &c. Illos enim si quis superficietenus intuebatur non poterat aliter existimare, quam omni humano destitutos auxilio non posse in tanta rerum exteriori paupertate diu subsistere, sine redditibus annuis viuere, nusquam proprias domos habere, non hæreditates, non amicos, vix quibus se contegerent vestimenta, non calceamenta, non baculum, quo vel à canibus se tutarentur. Veruntamen sic confidenter respondent de præterito statu sciscitati, si quibus indiguissent vt viderentur omnino totius orbis possedisse diuitias. *Nihil defuit* (inquiunt) inter cæteros erat Iudas (quoniam illud post Eucharistiæ sumptionem immediatè contigit) qui nihilominus splendidè mentiebatur, qui circiter antea biduo Christi venditionem meditatus fuerat, vel saltem ad Christi mentem non verè respondebat. Defuerat enim Iudæ, quod nunquam habuerat nempe denarij, qui potuissent ex vnguento diuendito comparari. Hic illæ sunt diffidentiæ voces: *Vt quid perditio hæc?* &c. Atque ob id satis habens, & plus satis sibi reseruans etiam de pauperum eleemosynis, & quasi quærebatur se non habere quod habebat, quia furtim retinens pauperum eleemosynas, ita illis vtebatur vt eas non haberet.

Diffidětia Iudæ de Deo.

Auari nō habent quod habent, quia non vtuntur.

Ad eius instar auari huius sæculi dicendi sunt verè, & ad literam nihil habere, quia sicut Iudas id

id quod habent neque ad suos vsus, neque ad pauperum necessitates expendunt, & eo carent quod habere non possunt, & id se perdidisse credunt quod non lucrati sunt. Primum igitur quod illum mouere debebat ad auaritiam hanc à se reijciendam erat, experientia diuinæ prouidentiæ in necessarijs, quam neque sibi defuisse, neque Apostolis confitebatur, ac proinde non erat causa cur in pauperes non esset liberalis, cur furto raperet quæ liberaliter erant in Christi pauperes effundenda.

Secundum verò quod indicat hunc in pauperes maximè fuisse crudelem erat, quia non rememorabatur se pauperem, olim cum cæteris assumptum vt pauperibus euangelizaret, & pauperibus benefaceret. Inter cæteras enim rationes ob quas Saluator discipulos non ex stirpe Regia vel nobili prosapia (nisi forsitan Bartholomæum) sed ex plebeijs pauperculos, & fere omnes Galilæos ac piscatores sibi sociarit, vna hæc est vt cum eis à populo benefieret & abundarent, aut superfluerent, mox prioris conditionis memores pauperibus benefacerent. Nam vulgare hoc solet esse timentibus Deum, & ijs qui ab egestate ad opulentiam peruenerunt, vt frequentius miseriæ proximorum commisereantur, cogitantes quibus ex penurijs sint erepti. Nam & aliquando tolerata paupertas facit in animum redire, quantis premantur angustijs qui similes patiuntur ærumnas. Id videre est in Patriarcha Ioseph, quem pauperem factum, & Ismaelitis diuenditum, permisit Deus, in extremam egestatem redigi, carceres & vincula pati, vt cum ad illud fastigium supremæ dignitatis viceregiæ perueniret, tunc pauperis & egeni parentis ac fratrum reminisceretur. Idem accidit & Hester & Mardochæo. Idem & Moysi, de quo Paulus ad Hebræos: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis* eli-

2. Obliuiscitur sui Iudas. Cur Christus pauperes elegerit.

Gen. 45. Manus eius in cophyno seruierunt. Psal. 80. Hebr. 11.

eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Idem & Dauidi contigit qui necessitati summæ traditus, & in regia dignitate paupertatem & exilium patiens, omnes oppressos ære alieno, & qui amaro erant animo in socios sibi assumpsit, vt eis benefaceret, memor prioris status quo fuerat de gregibus ouium, & de caula vocatus ad aulam.

1 Reg. 22.

Huius rei memorem Iudam videbatur facere Christus cum diceret: *Sine illam*, q. d. Amice, vt quid furtis te implicas? vt quid in pauperum vsus conseruatis eleemosynis ad tuam abuteris auaritiam? Nonne te tui prioris status oportet esse memorem? Nonne te oportuit commisereri pauperum sicut & ego tui sum misertus? qui te ex tribu Isachar ex familia tenui, & corruptis parentibus ad hanc dignitatem promoui? Sine vt pauperi Christo benefaciat, deinde ne cogites de denarijs recuperandis, quos & si haberes pauperibus non succurreres: Non enim egenos respicis, sed teipsum; dicant cæteri potius se nihil habere, te vero pudeat pauperibus non benefacere, cui cura pauperum demandata est; sed perperam, fur enim es & latro.

Hæc ratio fundata est in literis dimissorijs ipsorum Christi Apostolorum, quibus totius orbis legati constituuntur. *Euntes autem prædicate, dicentes*, &c. vbi post multa tandem subiungit: *Gratis accepistis, gratis date.* Quæ posterior sententia duplici potest sensu verificari, 1. sic: Ne administretis spiritualia vt sunt infirmos curare, mortuos resuscitare, mercedis temporalis intuitu, sed gratuitò sicut ego gratis vobis dedi gratiam miracula faciendi quam ego alijs fecisse potueram; vel: Quia verò dignus est operarius mercede sua, si postquam spiritualia administraueritis aliquid temporale ab hominibus recipitis, illud iterum gratis distribuite, idque pauperibus date

Matt. 10.

date ijs à quibus merces non ſperatur. Nota verò quod hæc verba Chriſtus direxit immediatè ad duodecim Apoſtolos atque tunc etiam maximè ad Iudam cuſtodem eleemoſynarum. Proinde huius monitionis & priorem ſuum ſtatum à quo gratis ad marſupium vocatus fuerat, in memoriam refricans, debuerat eſſe pauperum maximè memor, vt in eos non minus eſſet miſericors quam fuerat Chriſtus in illum. Monebis ſi voles hic omnes quotquot ad Eccleſiaſticas dignitates ſunt euecti, vt fortunæ prioris memoria ſint in pauperes grati, venalia non exponant ſacramenta, ſed gratis ita adminiſtrent, vt honeſta laborum (non ſacræ rei) mercede contenti ſint. *Documẽtum pro Eccleſiaſticis.*

3. Eſt & altera ratio qua probatur fuiſſe crudelis in pauperes, & ab hac crudelitate debuiſſe deſiſtere, videlicet quod etſi in omnes pauperes fuiſſet antea miſericors, tamen tũc temporis in Chriſtum opera pietatis exerceri impediebat, qui pauperum erat pauperrimus, ita vt totus ab eo dependeret pro nutritione quotidiana, & qui cum hoc erat infallibiliter iuſtus. Crudelior eſt enim qui iuſto negat opus charitatis quam qui improbo. Dicitur enim à Sap: *Benefac iuſto, & inuenies retributionem.* Rom. 15. dicit Paulus: *Nũc proficiſcor in Hieruſalem miniſtrare ſanctis,* &c. Hinc Concil. Conſtant. dicit, Eleemoſynam factam Religioſis eſſe magis meritoriam quam alijs factam. Quanto magis Chriſto qui magiſter erat Iudę, Deus & homo? In hoc igitur vult Iudam reprehendere dum dicit. *Pauperes ſemper habebitis,* &c. *Me autem non ſemper.* Quid tam crudelis es in pauperem tuum magiſtrum, quem non ſemper tibi præſentem habebis? Bene fac mihi nunc dum tempus habes. Quid mirum ſi fur ſis & latro cum aliorum pauperum ſubſtrahas eleemoſynas, cum etiam nunc dum tibi licet mihi non velis bene fieri? An non ego magiſter tuus ſum? Nonne ego tibi ſum am-

3. Crudelis in Chriſtũ.

Eccl. 12.

Concil. Conſt. cõtra VViclef.

Ibi etiam dicitur: Cũ volueritis poteſtis eis bene facere.

plius quam cæteri? Esto, per me licet: alijs non benefacias; sed quid causæ est quod hoc in me beneficium non velis fieri? *Quod vni quidem ex minimis his fecistis, mihi fecistis*: sed quod mihi facitis omnibus facitis, sum enim & magister vester, & Deus & homo. Maioris enim est meriti, vt annotauit Theoph. Christum alere & vestire, & vngere quam pauperes. Ambros. Pietatis opus est pro pietate sumptus facere.

Matt.25.

Theoph. in Mat. c.10

Ambr.

4. Crudelis fuit ex circumstantia temporis.

4. Circumstantia vero temporis iterum eius crudelitatem aggrauabat. Contingebant enim hæc aliquot tribus aut circiter diebus ante Christi passionem, conspirarant enim iam in eius mortem Pharisæi concilio inito. Etsi enim pauperibus omni tempore debemus esse benefici, tunc tamen maximè id curandum cum aliqua premit necessitas. Ecce Christum tibi pauperem & inopem, iam morti proximum, & hanc in eum charitatem prohibet. Ego hic rectè comparauerim Iudam Sacerdoti vel Leuitæ illi qui viso semiuiuo, qui in valle Hiericho inciderat in latrones, prætereierant, & Magdalenam Samaritano similem qui alligauit vulnera.

Luc.10.

Notandum ad hoc quod mortuorum corpora antequam sepulturæ mundarentur solebant apud Iudæos vnguentis & aromatibus condiri vt constat ex varijs locis: significat ergo Christus mortem suã, adeo esse propinquam vt mulier illa quasi diuinans paulo post sepeliendum in sepulturam vnxerit, non quod illa de ea re forsitan cogitarit, vt dicit Iansenius, sed potius (vt dictum est) de consuetudine inungendi inter conuiuas, sed quod tam commodè vnxerit, vt ea de causa in sepulturam vnxisse videatur, quia futurum erat vt veniret ad inungendum illum, & non reperiret vt patet ex Marc.16. Hinc Matth. dicit: *Ad sepeliendum me fecit*, id est, quod potuit & qua illi licuit die, quasi dicat: *Preuenit vngere corpus meum in sepulturam.*

Gen.50. Mar.6. Luc.23. Ioan.19.

Matt.26.

Mar.14.

Simi-

Simili certè ratione docet Ioannes esse intelligendum: *Sine illam vt in diē sepulturæ meæ seruet illud.* *Ioan.12.* Seruare verò dicebatur quia tunc vngebat, & quod in morte facere volebat tunc prçueniebat. Quemadmodum dicas pecuniam seruasse eum qui ea fundum emerit, quia perdere eam non potest sicut si eam secum circumtulisset, aut in arca custodisset, expēdendo igitur in Christum seruabat vnguentum, quod Iudas putabat esse perditum, sed si deliciæ sint cur illas Christus admisit? *Simile.*

Seruatur quod non perditur, & quod pro Christo datur.

Admisit autem huiusmodi delicias, quia charitatis erant officia non deliciæ. Hîc apertum habes campum in eos qui pomposas agunt exequias non tam charitatis gratia quam proprij honoris intuitu, præstare ante mortem suum funus facere, bene agendo, vt fecit Christus. *Ioan.12.*

Albertus magnus hic obseruat illum suas eleemosynas seruare in diem sepulturæ, qui dat pauperibus ante sepulturam. Et rectè quidem, quia dicit Ambros. *Quod sola eleemosyna sit comes defunctorum.* Perditum autem Iudas putauit, quod non erat lucratus, sicut auari si non tam chare suas vendiderunt merces sicut alij qui tempore magis opportuno, quæruntur se tantū perdidisse, quia nō sunt lucrati. Dilatabis in auaros, deceptores, &c. *Albertus in 12. c. Ioan.*

5. Vlterius animaduerte quam parum charitatis amans quod non solum non voluerit benefacere, sed Magdalenam impedire. Ideo dicitur, *Sine illam*, q.d. Si tu, quia crudelis, mihi, cum sis œconomus meus, non vis benefacece, patere tamen id ab alijs mihi fieri. Ac proinde videtur quædam *fuisse fraternæ charitatis inuidentia*, debuisset enim Iudas cōsiderasse causas, quæ Magdalenam ad Christo benefaciēdum commonebant, de qua dicitur: *Bonum opus operata est in me*, &c. Bonum, quia nō inutiliter impensum. Dirigebatur, etsi non à se, tamen à Spiritu sancto mulieris huius ad sepulturā Christi intentio. Ipsa verò se totam suaq; omnia *5. Iudas crudelis quia impediuit ne fieret bonū opus. Inuidētia fraternæ charitatis.*

Christo debere arbitrabatur à quo tot acceperat beneficia post tot commissa scelera, eiectionem nempe septem dęmoniorum peccatorum momentaneam remissionem & integram absolutionem:

Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata*, &c. & forsitan confirmationem in gratia. Deinde sui fratris à morte resurrectionem, fletum ad sepulchrum, &c. An hæc non erant sufficientia, quæ Magdalenam ad hoc opus mouerēt? Deinde cogitare debuerat Magdalenam hanc diuitem esse domicellam, ac proinde hasce non debere in ipsa delicias prohiberi. Mouere ad hoc debebat Lazari pręsentia qui mensę assidebat, Iudas his permotus opus hoc nō debebat corripere, ne scandalo pateret, sed cogitare quod qui Lazarum potuerat suscitarę, poterat & pauperiubs aliunde prouidere.

Aug. l. 1. serm. Domini in monte c. 43. Secundum hanc inuidentiam charitatis fraternæ grauius peccabat, quæ accidit, teste Aug. quando tristamur grauiter de splendore, augmentoue virtutum donorumque Dei, quibus frater est conspicuus. His furijs actus Iudas bonum opus studebat truncare.

6. Amabat seipsum Iudas. 6. Probatur fuisse valde crudelis eleemosynas pauperum substrahendo, quia se solum amabat, & omnes & omnia paruifaciebat dummodo furari liceret. Ac proinde sicut omnes auari, videbatur sibi soli natus. Dicit ideo Iansenius: quod ipse magis de vita hac terrena & duratione illius, & de corporis imitatione in futurum quam de animæ suæ salute cogitabat, promittebat quippe se diu victurum qui vitam æternam non meditabatur. Veruntamen quoniam gaudium hypocritæ auari est ad instar puncti; tunc maximè cum credidit se cum suis pecunijs in quiete victurnm exitum sibi parauit, & extremam ruinam corporis & animæ. Probabis hoc exemplo diuitis Luc. 12. Act. 12. de Herode.

Accipiamus nunc pauca documenta. In Christi per-

persona, in defensione mulieris, in ipsa Magdalena, &c. In Domino est exemplum sinceri iudicij, & veræ dilectionis, dũ & quod ex dilectione prosicilcebatur bonum agnouit, & tam diligẽter contra calumniatores defendit. 2. Discendum quomodo sanctis viris liceat nonnunquam quibusdam rebus vti preter metas cõsuetudinis bonorum, nempe ad significationem alicuius mysterij: quemadmodum Dominus precioso hoc vnguento præter suam consuetudinem perungi se permisit, propter mysterium sepulturæ significandũ & mysticam ac spiritalem vnctionem qua à nobis inungi desiderat, vt D. Augustinus annotauit dicens: Quisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur quam sese habent mores eorum cum quibus viuit, aut temperans, aut superstitiosus est: quisquis verò sic eis vtitur vt metas cõsuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est, in omnibus enim talibus non vsus rerũ, sed libido vtentis in culpa est. Neque enim vllo modo quisquã sobrius crediderit Domini pedes, ita vnguẽto precioso à muliere perfusos, vt luxuriosorum & nequam hominum solent, quorum talia cõuiuia detestamur. Odor enim bonus bona fama est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit dum vestigia Christi sequitur quasi pedes ejus preciosissimo odore perfundit. Hæc August.

Documẽta à persona Christi.

Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 12.

Ex defensione quæ ex verbis istis: *Sine illam*, colligitur, notat D. Chrysost. quod quando bonũ quicquam fieri videmus, etiamsi exactissimũ non sit, nec optimum, non esse à nobis reprehendendum, sed suscipiendum, & fauore prosequendum. Quemadmodum enim (inquit) si quis Christum antequã mulier hoc fecisset interrogasset, an vellet hoc fieri, non admisisset, sic postquam fecit illud vnum solummodo respicit ne increpatione discipulorum, ancipiti animo turbetur, sed hortatu suo maiore animo suscepto recedat. Non enim

Documẽta ex defensione.

Chrysost. hoc loco.

erat

erat amplius increpatio post effusionem olei opportuna. Ita & tu si præparasse quosdam sacra vasa videas aut ornatum quenquam alium circa parietes Ecclesiarum & pauimenta confecisse, noli reprehendere, aut venundari iubere quod factum est, ne animum eius qui fecit, perturbes; sin vero antequam fecerit te consuluerit pauperibus offerre iubeto. Hæc ille.

Ianfenius Ex Magdalenæ persona discimus quod prætextu subuentionis pauperum non sint omittenda alia charitatis officia & opera, quæ pro tempore & loco occurrunt facienda, vt est honesto conuiuio & sumptu excipere parentes & amicos; quo sumptu multis poterat subueniri pauperibus, eo quod non vbique & semper vrgeat pauperum subuentio.

Deinde (nota) etiam iustis rationibus nonnunquam commendari, quod quidam in templorum ornata consumunt, & eorum vasorum quæ ad Eucharistiam pertinent aut eius ministerium, quia huiusmodi sumptus solent ex deuotione erga Deũ proficisci, & quia valent ad ædificandum aliorum fidem, pietatem & amorem, adeò vt hisce de caussis pręstet quandoq; in huiusmodi pijs rebus sumptus facere quam eosdem in pauperes impendere.

Aliud docum. ex Theoph. in hunc locum. Postremo discendum quod in c. 14. Marci dicit Theophylactus sumptus non esse graues qui Christi gratia fiunt. Confundantur, inquit, qui pauperes Christo præferunt. Audiui enim ego aurifabros dicentes, quod si ego dissectum sacrum vas dem pauperibus, & ego viuam, nec condemner. Audiant igitur quomodo Christus pręferat sui curam pauperibus, *Sine illam.* Christi autem corpus propriè est quod in disco aureo, & sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum preciosum, & cogit vt corpus Christi in viliori reponatur, pretexens scilicet pauperes, videat cuius partis sit. Hæc ille. Secus est autem cum occurrit pauperum necessitas singularis quibus tũc propter Christum

subue-

subuenire debemus.

Ex Iuda obserua ingenium tum hypocritarum qui semper sancta suis prauis affectibus prętexũt, tum auarorum qui vbique de lucro, quauis ex re per fas & nefas conquirendo cogitant, dicentes, se precium emptæ rei vel diuenditę deperijsse, si non tanti vel vendiderunt, vel emerunt quod alias aliter, vel cum alijs cõparare, aut distrahere potuissent. Solét enim tales cum Iuda compactus exigere rerum suarum suo tempore non acquisitarum, vel diuenditarum. Vt quid ego tam miser (inquiunt) qui tantum mea causa deperdidi? si tale tempus præuenissem, vel tale tempus ad hoc vel aliud agendum pręstolassem: Nunquam mihi bene accidet. En de me actum est. Perij. Hinc contentiones & iniustæ æmulationes in eos quos in suis rebus bene disponendis fæliciores fuisse nouerũt. *Quid à Iuda cauendum.*

Hoc etiam nunc videndum est vt Christum nos tanquam personam Iudæ vel Apostolorum monentem audiamus: *Quid molesti estis huic mulieri?* scilicet, Ne tendentibus ad bona resistamus. *Noli prohibere eum qui bene facit*, inquit Sap. Vt etiam ad male agendum nos cohortantes, vel ne à bene agendo nos dehortãtes non audiamus. Ne propter maledicentium, aut maleuolorum obmurmurationes desinamus bene agere, sicut nec Magdalenam voluit ab hoc incępto opere desistere. Neque enim propter inuidiam Caini desijt Abel vni Deo sua vota precesque fundere, neque Esau infectationes & vindictæ proclamata desideria Iacob terruerunt, quo minus ad vnum Deum in suis periculis recurreret. Hoc & de Martyribus possumus dicere: *Aliud docum. Prou. 3.*

Sic nec supplicijs actos potuere tyranni,
Sistere, nec primam surripuere fidem.
Tormenta.

Nos itaque inuigilemus vt si quando nos vltima quædam premit necessitas ad illum recurramus, *Conclusio.*

cuius

cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, si quid amplius à Deo quam cæteri videmur accepisse, videamus vt ex fortunæ prioris rememoratione eorum simus memores, qui minore in statu degunt vt eis benefaciamus, cum Christiana nos vrget charitas, vt charitas nostra primo tendat in Deum ex toto corde, &c. postmodum in proximum. Ne cuiquam in bono opere inuideamus, neminem iudicemus omnia dextrè, & in Deum interpretemur. Nunquam ita nos fælices existimemus quam cum nihil habentes, omnia possidemus si pauperibus nobiscum benefacimus. Nullus sit in nobis Iudas, nullus latro, nullus auarus, exterminium talibus sit, vel emendatio, vel (quod modestè dixerim) æterna crux, qui cum bona scierint agere, malè operantur de alijs non bene opinantur, qui sibi malè sunt conscij. Ab his malis nos præseruet Deus.

AMEN.


CONCIO

CONCIO DVODECIMA.

De Iudæ primo ab Apostolis discessu, qui fuit biduo ante Pascha, vt cum Principibus sacerdotum ageret de Christo tradendo. Notatur hic à diabolo conductum Iudam abijsse, cui iam sese deuouerat, respectu lucri recuperandi, quod ex vnguenti effusione se credebat perdidisse.

THEMA.

Intrauit autem sathanas in Iudam qui cognominabatur Iscariothes vnum de duodecim, & abyt, & locutus est cum Principibus sacerdotum & Magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. Luc. 22. & D. Ioannes c. 13. dicit, quod miserat diabolus in cor vt traderet eum Iudas.



Onsilio prorsus diuino dixit edoctus Sapiens: *Potentes potenter tormenta patientur.* Nam si Gregorio teste, vbi crescunt dona, ibi crescũt etiam rationes donorum. Oportet eos grauius cadere, qui maiora à Deo susceperunt beneficia, vt grauius etiam in inferno damnentur. Præcipitium enim maius est lapidis alicuius molaris ab alta turri cadentis, quam alicuius lapilli è tecto domus alicuius humilioris decidentis. Id similitudine probat Horatius: *Sap. 6.*

Sæpius ventis agitatur ingens,
Pinus, & celsæ grauiore casu,
Decidunt turres feriuntq; summos
Fulmina montes.

Idipsum in Apostolo hoc Iuda videre licebit per figuram, qua notum fiet quo dolo sit illusus, & à diabolo deiectus.

Gen. 30. Similitudo. Sacræ Genesis historia non absque latentis alicuius mysterij præfiguratione de Patriarcha Iacob narrat, quod vt oues eius & capræ conciperent fætus maculosos posuit ante oculos gregis quoties iret adaquatum virgas populeas, & amygdalynas cortice partim erepto, partim retento. Quo facto virgæ ipsæ discolores effectæ, & in perlucida aqua sublucentes, tempore coitus per defixos sensus matrum suarum fætus in vtero maculabant, ita & dæmon sensibus nostris varia deliramenta obijcit vt aliqua ex parte valeat animam peccati labe maculare. Cum enim optimè nouerit tempora, quibus nos quodam libidinis impetu in peccata rapimur, quando maiorem in modum inardescimus in aqua nostræ voluptatis talia obijcit fantasiæ vaframenta, tantis distincta pietatis coloribus, & simulationibus vt nisi castissimus, hoc est, in seipso sibi præcauens à labe, & à peccato se continens conscientiam incontaminatam possit seruare. *1. pars similitudinis applicata.* Vnde sicut in grege Iacob accidit, vt eo colore agni tingerentur, quem matres eorum concipientes oculis hauserant, sic & miseris mortalibus euenit, qui incautius varia cogitantes cum perpaucissimis peccati maculam effugiunt. *Quomodo diabolus homines prauos illudat.* Nam in ea interdum labuntur vitia, quibus frequentius à dæmone sollicitati non restiterunt. Hostis namque generis humani diabolus, qui vniuscuiusque ingenium & mores nouit, ea se gerit arte, vt iracundis vindictæ, libidinosis luxuriæ, superbis arrogantiæ, tenacibus vlterioris alicu-

ius

lus obtinendi lucri spem, speciemque ob oculos obijciat. Nec hoc tacendum est quod ea parte struat insidias homini, præsertim qua facilius deijciendum credit, vt hinc mille fucatis pietatis coloribus intellectum & voluntatem seducat. Aduerte autem non posuisse Iacob quascunque virgas, sed tantum populeas & amygdalinas, vt hinc etiam discas labilitatem & inopiam huius vitæ. Nam sicut populus sterilis est, nulliusque fructus ferax, frondes tantummodo virentes ostentat, amygdalus autẽ pręcoci vernans flore breuissimè & frondes amittit, sic vitia nobis ante oculos obiecta à dæmone quasi populeæ & amygdalinæ virgæ fugacia, sterilia, & breuissimæ iucunditatis sunt, flosculi sunt inconstantissimi carnis oblectamenta, imò & fortunæ bona, quæ quauis contraria suboriente tempestate vel vento naturæ collabuntur. Reliqua autem vitia frondibus infirmissimis sunt similia, quæ quocunque aduersitatis flatu decidunt, authoremque suum nudum relinquunt. Omnia vanitas, & stercus sunt. Vnde impij in inferno positi dixerunt: *Quid nobis profuit superbia?* &c. In hunc propè modum se habent omnia sæcularia, non modo vitiosa, sed etiam inculpanda supellectilia, quoniam tanquam flores euanescunt, & tanquam vas figuli confringuntur. Nec etiam vacat mysterio, quod alias cum cortice alias sine illo virgas posuerit Iacob. Sic enim à dæmone prima obijciuntur dæmonibus vitia, alia quidem perspicua quæ facili negotio & videri & caueri possunt omni velamine sublato, alia vero ita obducta vt difficillimè possint vitari & videri. Sæpe namque numero *sathanas se in Angelum lucis transfigurat*, & illos miserrimè decipit, qui minus cautè agentes in vitiorum laqueos facilius illabuntur. Eo modo vxor Hieroboam capite obuelato, & facie incessit, putans

2. pars similitudinis.

Tanquã fænum velociter arescent.

Sap. 5.

3. pars similitudinis.

2 Cor. 11.

3 Reg. 14.

tans se decepturam prophetam Ahiam tanquam ignarum. Nunc ad rem veniamus. Et certè ego mihi medium videre videor quo Iudas à dæmone interceptus est & illusus. An non populeas arbores ante oculos Iudæ posuit dæmon cum commissis ei denarijs per Christum inde suggessit illi tantam voluptatem in eis accumulandis; quæ modico tempore duratura erat, vt furto nihil existimaret honorabilius, sacrilegio nihil vtilius, & vsu rerum terrenarum; hinc est quod per nefas accumulatione nihil magis ad vitam expedire arbitraretur. At quid perituris diuitijs magis est caducum? quid temporalibus magis instantaneum? Nam etsi totius orbis possideas opes; fluxæ sunt, labiles sunt pereant illæ necesse est cum peribis. *Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis*. Præterit figura hujus mundi. Virgæ igitur sunt populeæ, virgæ spinis similes in hac vita pungentes & torquentes Iudæ cor, & ad interitum eum flagellantes, dum laqueo se suspendit. Sed videte dæmonis astutias. Intelligebat callidus ille serpens, quanam parte Iudæ animus aggrediendus, eum ad vitia esse procliuem, ad libidinem & turpem cum matre concubitum prolapsum, ad hanc reuocandam necessarias esse opes. Suadet vltro currentem vlterius currere. Et parturientem parere, ea enim parte hostem aggreditur qua sibi suadet adytum facilius fore parandum. Semel illi has virgas cum cortice posuit cum per hypocrisim sub specie cuiusdam in pauperes pietatis supremam auaritiæ labem contexit, cum vetaret vngi Christum, & vnguento vti, sed vbi primum versutus hostis, animum impij Iudæ deuicit, iam non in occulto, sed in aperto pugnat, in stadio currit, in palestra certat, post primos suggestui datos

Applicatio ad Iudam.

Psal. 75.
1 Cor. 7.
Psal. 72. Tanquã somnium surgentium, &c.

Ad fratres in eremo ser. 28. apud August. Applicatio.

latos consensus intrat in animum, rapit hominem, circumagitat phantasmata, non iam sub cortice virgas, sed detectas oculis præbet videndas. Et hoc ipsum est quod dicitur Ioannis 13. sub initium. *Cum diabolus misisset in cor Iudæ, vt dominum traderet.* Transmutando fantasias omnes & imaginationes & denique ipsas potentias, organis infixas, sensus deludendo quantum Deus permittit. Et quia intellectus vtitur illis potentijs, ideo ipsis turbatis, communiter turbat rationem. Intellectus autem ratione turbata necessariò vitiatur, & vitiosus voluntatem ad se trahit, qua decepta peccatum committitur. Atque vt exemplo res fiat clarior vel similitudine. Non secus sese habuit erga Iudam quam solet aliquis hostis occultus & subdolus erga suum hostem. Sint duo temporales domini quorum alter alteri fęlicitatem bonorum & abundantiã inuideat, vt igitur alter alteri struat insidias in occulto, per seruos suos conatur alterius seruos subuertere, vt prætextu necessitudinis alicuius suadeant suo domino quatenus amicitiam ineat cum huiusmodì seruorum domino, quo fit vt paulatim sese ingerãt serui cum seruis alterius qui struit insidias, non satis putat si duos aut tres familiares reddat qui conuersentur in eadem domo, sed plures vicissim mittit qui speculentur media quibus insidias valeant alteri struere Domino, donec tandem veniens cum bona Domini venia, omnia non iam lustret dumtaxat, sed diripiat, furetur & domus dominium sibi vsurpet, adeoque se totius familię, reddat supremum, vt nihil nisi eius permissione aut suasione fiat, ita vt vix etiam qui naturalis est Dominus quicquam nisi petita eius licentia faciat. Quod ipsi nunquam accidisset si seruis, suis & alterius domini seruis nimis familiarem ad se accessum non prębuisset. Dominorum istorum alter erat dęmon, alter Iudas & vterque liber, hic per inuidiam

Sic Didac. in illud. Luc. 8. Et Venit diabolus & tollit.

Simile.

semper ad insidias paratus, alter nunquam coactus fuit alteri cedere, sed missis seruis ad seruos ad familiaritatem, tentatione & suggestione diaboli, cum sensibus oculorum Iudæ ineundam in delectatione videndi, ventum est ad vlteriorem familiaritatem ad suasiones cupiditatis vlterioris: donec illa omnia Domino Iudæ habenti semper liberum arbitrium præsentata, consensum vlteriorem dedit ad quærendum id quod omni ex parte cupiditatem eius satiaret. Donec inquam plenè de tradendo Christo consentiret. *Et hoc vult dicere. Misit in cor Iudæ.* Est metaphora ab his qui per internūcios rogant alios: Licebitne mihi ad te venire? Vbi consensus datur, accedunt. Sed veluti qui caput serpentis amputarit serpentem occidit, sic & qui sub initium in capite resistit dæmoni, prosternit inermem. Non potest enim vincere nisi volentē, hoc non fecit Iudas, non restitit primis auaritię motibus sed gradatim ad hanc miseriã deuenit vt de opportunitate Domini sui tradendi cogitaret. Pluries ergo in Iudam intrauit dæmon sed omnium periculosissime cum se suspendit, periculosè cum Christum indignus accepit & cum tradidit illum, periculosè satis cum pepigit de tradendo illo. De hoc periculo loquitur Lucas hic, & Matheus, & Ioannes semel sub initiũ cap 13. Cum ergo dicitur hic de Iuda quod in eum intrarit. Non sic accipiendum est quasi insanire eũ fecerit & corpus eius agitarit quęadmodum eos quos dęmoniacos dicimus sed intrasse in eum dicitur quod eo aditum prębente potestatem in illum acceperit ac veluti possederit, ad nouum quoddam facinus per illum tanquam seruum & instrumentum suum perficiendum. Iam enim prius etiam seruus erat diaboli, quia fur erat &c. sed quia nunc ad nouum facinus per ipsum perficiendum diabolus in ipsum accepit potestatem. Sicuti viri iusti qui prius habuerunt spiritum sanctum

Ioānis 13. Idem est cum eo quod dicitur in themate. Simile.

Iansenius. Quid intrare in Iudam.

Simile à bonis viris.

ſanctum dicuntur repleri ſpiritu ſancto aut in eos veniſſe ſpiritus ſanctus, quando ad nouum aliquem effectum operandum eos inuadit & mouet. Cum igitur Iudas conceptam ex effuſo vnguento in dignationem per Chriſti ſalutarem admonitionem & rationabilem defenſionem non deponeret, ſed diebus multis ſequentibus eam in corde ſuo foueret nec vinceretur aut familiaritate Chriſti humaniſsima aut ſuauitate doctrinæ eius, illo occaſionē prębente & Deo iuſto ſuo iudicio permittente, factum eſt vt diabolus qui prius tantum veluti foris ſtans ſuggerebat proditionem magiſtri, illum ingrederetur hoc eſt poſsideret eiq; dominaretur, captiuum enim ducens ſecundum ſuam voluntatem ad paciſcendum cum Iudęis. Simili locutionis genere & Petrus dicit Ananiæ in actis. *Anania cur impleuit ſathanas cor tuum vt mentireris ſpiritui Sancto?* Sic enim habet textus græcus pro tentauit. Quem locum & ſimul præſentem locum tractans quidam Didymus à Ianſenio allegatus, oſtendit aliter ſathanam ingredi & implere cor hominis & aliter ſpiritum ſanctum. Nam animam vel mentem hominis implere vel ingredi nulla creatura iuxta ſuam ſubſtantiam poteſt, ſed ſola Trinitas: vnde hinc ſpiritus sācti diuinitatē probat quod toties in Scripturis dicantur homines repleri ſpiritu ſanto, de Iuda autem reſpondet ſic: Obſeruans diabolus quibuſdam motibus & operationum ſignis ad quæ potiſsimum vitia Iudæ cor eſſet procliuius, deprehēdit eum patere inſidijs auaritię, & reperta cupiditatis ianua miſit in mentem eius quomodo deſideratam pecuniam acciperet & per occaſionem lucri proditor magiſtri & Saluatoris ſui exiſteret, argentum pro pietate commutans & ſuſcipiēs precium ſceleris a Phariſeis atque Iudæis. Hæcque cogitationis occaſio locum tribuit ſathanæ vt in cor eius introiens impleret eum peſsima voluntate. In-

Act. 5.

Didimus lib. 3. de Spiritu Sancto.

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.

troiuit ergo non secundũ substantiã sed secundum operationem, quia introire in aliquem increatę naturæ est eius quæ participetur à pluribus. Hæc ille interprete Diuo Hieronimo.

Abire quid.

Beda in Luc. 22. Chrisost. hom. de prod. Iudæ. Ioan. 11. in fine Vlt. Versu.

Bene autem Mattheus & Marcus dicunt eum abijsse, quia non coactus, non inuitatus sceleratum inijt consilium separans sese à tam sancto consortio. Sciuit Pontifices & Pharisæos dedisse mandatum vt si quis cognosceret vbi esset Iesus, indicaret, vt apprehenderent eum, vt dicit Ioannes. Aduertere etiam satis potuit illos diebus tribus iam pręcedentibus quęsisse & cupiuisse comprehendere Iesum, sed non ausos esse ob turbas. Itaque die qua Dominus in Bethania remansit, ipse in Hierusalem concedens negotij alicuius prætextu, vel etiam à Domino ob negotium aliquod missus, cum intelligeret in atrium Pontificis Principes Iudęorum esse congregatos, ac facile diuinaret qua de causa illuc conuenissent. Ingressus est ad eos vt proderet eum illis. Cumque de modo comprehendendi Iesum sine turbis Principes in concilio essent solliciti, ipse cum eis locutus est de modo quo traderet eum ipsis. *Locutus est* inquit Lucas *de modo quo traderet eum ipsis.* Et quidem summa Iudæ ingratitudo & efficax eius auaritiæ malũ in eo declaratur, quod eum à quo non solum nunquã fuit læsus, sed iam multis annis, multis affectus beneficijs, tradere impijs Iudęis non vereretur, ac damnũ effusi vnguẽti; etiã magistri precio recompensare non dubitaret?

Luc. 22.

Et locutus est quemadmodum eum traderet.

Quanquam autem Euangelistæ facinus Iudæ simpliciter describant, prætermissis his quæ apud Principes prętexuit, quemadmodum & alias facere solent, tamen rationi consentaneũ est credere Iudã apud Principes quibusdam modis proditionem sui Domini, ad quam se offerebat, palliasse, vt dixerit se scandalizatum in magistro suo, & cum hactenus illum fuisse virum spiritualem existimasset, nunc deposuisse

posuisse illam bonam de illo opinionem, quod vidisset ipsum tam delicatum vt vnguento pretiosissimo siuerit se à muliere, non tantum in capite sed etiam pedibus vngi. Naturale siquidem est hominibus sub aliquo colore palliare proprię iniquitatis factū, quod nisi iā fecisset Iudas, non potuisset facile Principibus facere fidem, promittendo proditionem sui magistri. Itaque cum hac vel alia quadam ratione audirent eum male de domino suo loquentem, seseque offerentem ad desideratam sibi traditionem, sed sub pretio: gauisi sūt quod præter expectationem inuenissent quendam valde idoneum sceleri perficiendo, & quandoquidem in ipsorum manu Iudas reliquerat pretium traditionis, decernere constituerunt ei triginta argenteos, promittentes se pecuniam illi daturos, postquam promissam traditionem adimpleuisset. Ipse veró tantula mercede contentus, & tam paruum lucrum charius habens, quam dominum suum mittisimum & benignissimum, spopondit se facturum quod desiderabant. Atque ex eo tempore auidus & inhians promissę pecuniæ, captabat opportunitatem prodendi Iesum, idque vt *Lucas* habet, *Sine turbis* hoc est quando ei turbæ non adessent. Ita enim desiderabant Principes vt occultè traderetur, quemadmodum & factum est. Quanquam autem Principes etiam decreuissent non in die festo Iesum capiendum, oblata tamen tam commodi traditoris occasione, mutata sententia, illa vti quouis etiam tempore decreuerunt.

Et spopondit.

Chrisost. in c. *26.* Matth! O singularem amentiam! quomodo penitus habendi cupiditate fuit excecatus! Nam qui sæpius vidit ipsum per medios hostes transisse, nec detentum fuisse, qui diuinæ omnipotentię ipsius multa documenta re ipsa percepit retineri ipsū posse putauit, præsertim cū tot sibi tā terrētia, quā mulcētia verba ab eo dicerētur

D. Chrisost. ad auaros.

vt sceleratam hanc cogitationem ab ipso abijcere omnino debuerit. Nam & Christus quanquam inemendabilem Iudæ duritiem non ignorabat, nō tamē cessauit quę sua sunt facere admonendo, minitando, & quasi miserum lachrimando, nec apertè vnquam & liquido sed tectè & occultè. In ipso verò proditionis momento osculari se ab eo sustinuit sed nihil hinc ille consecutus est, tantus certè tāq; incredibilis auaritiæ furor est. Hæc enim illum & proditorem nequissimum & sacrilegum nefandissimum fecit. Audiatis hæc attentius omnes auari qui grauissimo Iudæ morbo laboratis, audiatis inquam & teterrimam hanc ægritudinem fugiatis. Nam si, qui vna cum Christo viuebat, si qui doctrinam Christi audiuit, si qui signa fecit, in profundissimum malorum barathrum ex hac egritudine præcipitatus est, multo facilius vos qui nec scripturas audistis & sæcularibus rebus affixi estis hic morbus aggredietur nisi iugiter ac perpetuo vigiletis. Quotidie ille cum eo erat qui non habebat vbi caput reclinaret, & quotidie & verbis & operibus instituebatur vt non argētum, non aurum, non duas tunicas habere vellet, & tamen reprimere se non potuit. Quomodo igitur tu speras absque magna cura & diligenti studio huius morbi contagionem effugere? hęc ibi Chrisost.

Chrysostomus. Ad Auaros arg. à maiore ad minus.

Sed quid annimaduertitis in eo quod dicitur? *Et gauisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare?* Pro eo dicitur apud Mattheum. *Constituerunt &c.* q.d. quod iam ad manus aliquod pignus dederint, vt eo facilius exequeretur quod promisso confirmabat & vt modica pecunia allectus cæterum speraret.

Prou. 2.

2. Nota hic quod *Lætantur impij cum malefecerint.* Letantur inquā quod ipsi nō soli sint sed cōplices habeant. Nos non in malicia sed in domino gaudeamus, illi quod possint ad mortem tradere, & nos quod pro nobis ad mortem traditus sit, illi in

eius

eius morte suum interitum quęrebant, nos nostram salutem.

3. Animaduertendum est etiam quanta fuerit grauitas peccati Iudę ex circumstantia temporis. *Tūc abijt*: Illud *Tunc* emphasim habet, quasi diceretur; Tunc maxime, cum exemplo peccatricis lachrymis ora rigare debuisset, & conceptę temeritatis onus deponere. Doctè admodū contēplari poterit quis ex his verbis quod ipse speculatur in hęc verba Chrisost. dicens: *Tunc abijt*. Tunc quando audiam? Tunc quando cognoscam? Et cur tempus diligenter ostendis? quid me docere disponis? Nō enim *Tunc* verbum inaniter addidisti, spiritus admonitione loqueris, diuino prouocaris instinctu nec à te verba passim funduntur. Quid igitur *Tunc* est? Ante proditionis tempus accessit meretrix vas alabastrum manibus portans, & vnguentum domini supra caput effudit. Grandem fidem, multam reuerentiam, mirandam correptionem ostendit. Paulo ante meretrix, subito pudica processit & profundis obruta peccatis portum serenitatis agnouit. Et quando prostituta lupanar exiuit, tunc discipulus iehennam intrauit, quando illa mercedem sui corporis abdicabat, tunc iste precium magistri sanguinis postulabat quando illi osculabatur pedes &c. Vide locum.

Tunc abijt.

Homil. de prodit. Iuda.

Nota iterum quod quando abijt fuerat à Christo admonitus de multis, *Sine illam*, &c. qua monitione debuerat melior euadere sicut precedenti discursu notauimus. Signum enim prędestinationis est patienter ferre correctionem. Hinc illud Ecclesiastici. *Quam bonum est correctum manifestare pœnitentiā, sic enim effugies voluntarium peccatum.* Sanctus Ioannes Climachus in huius confirmationem ait: Tunc certus eris spiritum Sanctum inuisibiliter in anima tua habitare, si à patre tuo spirituali increpatus maiori dilectione es affectus. Idem ali-

Nota 2. tempus.

Eccles. 20.

Climachus in hac verba.

Ecclef. 21. aliter dicit Sapiens: *Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris, & qui timet Deũ, conuertetur ad cor suum*, scilicet per correctioné. *Simile.* Qui propè litus naufragio proximus esset; nonne malè sibi consuleret, si refugeret accipere cordam, qua saluus fieret ab eo qui in ripa vellet illum periculis tantis eripere? Applica.

Et si vero Iudas taliter offensus de Christi monitis, retrò cederet vt suggestionibus dæmonis pareret, non poterat alius esse quam reprobi sensus, & dæmoniaco similis, etsi non talis esset in re, tamen eiusdem quasi impetus per auaritiam. Hinc Diuus *Chrisoft. 29. hom. in Matt. c. 2.* Ioannes Chrisostomus exponens hęc verba: *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* *De Iuda auaritia.* Sic ait, vt ostendat auaritiæ mala: Auarus est dæmoniacus in sepulchris habitans, quid enim *Matt. 8.* ipsum poterit ligare? Certè non timor, non quotidianę minæ, non exhortationes, non consilium, omnia enim hæc vincula spernit, supplicium putans esse maximum, non viuere in supplicio; quid *Luc. 6.* enim miserius auaro? Nam dæmoniacus verbo Christi abacto dæmonio liberatus est, pecunię autem seruus, Christo non auscultat. Nam etsi iehennæ terror incutitur, ac inferni pœnæ imminere dicãtur, non credit tamen. Quis mentis compos cum huiusmodi hominibus conuersabitur? Nam *Iudas peior dæmoniaco.* mea quidem sententia cum mille dæmoniacis habitandum potius esset, quam cum vno qui hoc morbo laboraret, quando enim simul omnes dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Iudas solum commisit? qui ad extremam iniquitatem, turpi pecuniarum ardore deuectus est, pariterque omnes qui illius auaritiam imitantur, quasi ferę bestiæ catenis solutę cunctos homines nullo resistente perturbant, ac lacerant, & vincula quidem etiã his vndique coniecta sunt, iudicij timor, multo-

rum odia ceteraque huiusmodi, sed his ruptis omnia perturbant. Quod si quis hos nexus omnino ab eis auferret, tunc videres peiore hos dæmone, ac fortiore quam dęmoniacos vexari. Fingite videre terrum quendam hominem qui ab oculis ignem emittat, cui ex vtroque humero dracones loco manuum dependeant, cuius os cauernę instar magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat, venter omni fornace sit ardentior, cuncta quæ immittuntur subitò consumens, pedes alati, ventis quoque ipsis velociores, facies canis ac lupi, nec hominis vocem emittat, sed insuaue quiddam atque terribile mugiat, is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat, mira hæc forsan vobis videntur, sed nundum dignè ipsum descripsimus, sequi enim debent horum instrumentorum effectus. Itaque imaginemur eum obuiam factos iugulare, carnes eorum deuorare, sed quid facio? Nam & hoc descripto multo truculentior est auarus, in omnes vt mors insiliens, omnes vt infernus degluciens, cõmunis hominum hostis, quippe qui vellet res omnium sibi arrogare, nec finem hic facit, verum cum vndique cupiditate cuncta collegerit, ipsius etiam terræ substantiam in aurum commutari vellet, fontes, ac fluuios optat argento defluere. Etsi fingamus omnia illi impunè licere, tunc videbis ipsum arrepto ense nulli parcere, non amico, non cognato, non parentibus, &c. Hæc & plura Chrisostomus.

Effigies dæmoniaci, quo formidabilior est auarus.

CONCLVSIO.

Ex his igitur videtis quantum prosit homini bene prouido sibi inuigilare, ne suggestionibus dæmonis pareat, præsertim considerata duratione momentanea rei illius, ad quam nos


ample-

amplectendam hortari tacitè conatur. Videte ne præbeatis aditum furi, ne cum ingressus fuerit mactet & perdat, suaq; præsentia Dominium aliquod in vos acquirat. Atque si quando acciderit vos ex charitate corrigi, patientes estote, vitę melioris initium apprehendite, in vobis omnem arrogantiam reprimite, proteruiam suffocate, absit à vobis in impietate vestra lętari ne lætitia vestra sit ad instar puncti, de quo dicitur: *Ducunt in bonis dies suos & in pūcto ad inferna descendunt* ab hoc malo liberet nos sancta Trinitas P. F. & S.

Iob. 41.

AMEN.

CON-



CONCIO DECIMATERTIA.

De pretio venditionis Christi, per quem figurata sit, quàm vili precium nostræ Redemptionis venale fecerit. Quod animam suam vendiderit, quod eum in hoc omnes auari & Simoniaci sequantur.

THEMATA.

Et Iudas Iscariotes vnus de 12. abijt ad summos Sacerd. vt proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt & promiserunt pecuniam illi dare. Marc. 14.

Facta cœna cum iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Symonis Iscarioth. Ioan. 13.

Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt triginta argenteos. Matth. 26.

QVi totius vitę cursum ipsius innocentis Patriarchæ Ioseph cum Saluatoris nostri vita contulerit; facilè perspiciet eundem huius typum & figuram in se retulisse. Ea enim est omnium fere Patrum sententia ac præsertim. D. Chrisost. hom. 61. in Genes. Aug. q. in Iudicum lib. 49 Ambros. lib. de Ioseph. 12. & Chrysost. super Psal. 93, Hier. super psal. 8. post quos omnes subscribit Iansenius. *Iansen. in conc.* Sicut igitur Ioseph Patri dilectissimus ad fratres

abijt

abijt inuisens eos, & ipsi non sunt reueriti, neque fraternitatem, neque aduentus causam, neque patris dolorem, sed statim eo conspecto, cogitauerunt & decreuerũt eum occidere, quod quanquam suis manibus non perfecerunt, tamen voluntate perfecerunt, dum quidem eum primum in lacum demiserunt, vt isthic fame periret, ac deinde polymitam tunicam qua eum exuerunt, in sanguine mactati pro ipso hædi tingentes, patri miserunt, persuadere illi volentes occisum filium eius, & à bestijs deuoratum: Ita & Christus vt vnicus à Patre Deo filius dilectus missus ab eo venit in hunc mundum, inuisens humanum genus & potissimum Iudæos fratres suos. At illi nec Dei communis Patris metu, nec fraternitatis iure, nec aduentus causa sunt reuocati, sed mox vt eum ex tunica sua polymita. i. varietate miraculorum agnoscere cœperunt, ex inuidia (qua erga eum concitati sunt, tùm quod eorum vitam redargueret, tum quod viderent ipsum longè se præcellere, & magnifica illum sicut Ioseph de se predicantem audirent) cœperunt mox de illo occidendo consultare. *Quid facimus* Ioan. 11. *quia hic homo multa signa facit? &c.* Nec consultauerunt tantum, sed opere compleuerunt interficientes eum per crucem. Non enim potuit hic in vita omnino simpliciter præcessisse sicut in veritate postea accidit. Nam si à fratribus suis Ioseph occisus fuisset, non potuisset deinceps figuram eorum gessisse quæ post mortem & crucem Christi erant futura. Mortem tamen Christi pulchrè præfigurabat intinctio vestis in sanguine occisi hædi, qua patri persuasum volebant filium occisum. Eo enim significatum est Iudæos non potuisse occidere id, quod in Christo erat præcipuum, diuinitatẽ nimirum, sed tantum corpus, quod veluti vestis quædam erat diuinitatis, & vestis, polymita scilicet varijs donis, & miraculis fulgens.

Quo cor-

Quo corpore in cruce consperso sanguine hædi, atque in similitudinem carnis peccati occiso, omnibus persuadere conati sunt non viuere Christũ, qui tamen post multas afflictiones hic perpessas, meruit exaltari à Patre & secundum obtinere in cælis locũ, regnãs gloriosè apud Gẽtes, quod significat regnũ Ioseph in Ægypto. Sic & cum Abraham iussus esset immolare dilectissimum filium Isaac, illo liberato, immolauit arietem, significatum est humanitatem tantum ipsius Christi à Iudęis occidendam, saluo manente quod in ipso erat præcipuum. *Genes. 37. & 25.*

Vt ad rem verò nostram veniamus, Sicut Ioseph authore Iuda fratre suo vno ex duodecim filijs Iacob, venditus est Ismaelitis mercatoribus, & ab ijs rursum venditus in Ægypto, ita Christus à Iuda vno ex duodecim quos fratres suos vocabat, venditus est Iudæis, quos per Ismaelem carnalem filium significatos, sicut fideles per Isaac, ostendit D. Paulus explicãs allegoriam Agar & Saræ, & Isaac & Ismael. Ab his autem viris Ismaelitis infelicibus mercatoribus, Christus denuo velut venditus est in Ægypto, dũ illum Iudei à se ablegãntes reliquerũt gentibus, apud quos regnans, eisque prouidens, ne desit apud eos panis santi Euangelij, tandem agnoscetur a Iudæis fratribus suis, quando & illi post fidem Gentium agnoscentes suam inopiam descẽdent in Ægyptum, idest Ecclesiam Gentium: teste Paulo, *Cum intrauerit plenitudo Gentium, etiam omnis Israel saluus fiet*. Et hæc dicta dè figura. *Gal. 4.* *Rom. 11. & Esa. 69.*

Obijciet vero aliquis, figuram figurato non respondere in hac venditione & supputatione, quoniam dicitur, ille venditus viginta argenteis, & Christus triginta Respondetur quod in eo, veritati non sit similis figura, sed in eo quod venditus sit ab vno eorum. Precium inquit, Diuus Hyeronimus æquale esse non oportebat, *Obiectio.* *Genes. 37.*

quia

quia seruus ille, hic dominus. Itaque non sunt audiendi quidam qui dicunt se in quibusdam codicibus (absque dubio corruptis) legisse idem vtriusq; pretium, cum & Hebrei & 70. viginti tantum legant, idque Hieron. hoc loco & in qq. in Genes. admoneat: suspicio forsitan aliqua est ex Zacharia vitium in locum transmigrasse: *Et appēderunt mercedem meam 30. argenteis.* Sed Zach. de Christo non de Ioseph loquebatur.

Zachar. 11. v. 13 ibi dicitur per Ironiā. Decorū precium quo appretiatus sum ab eis.

Argenteos igitur de quibus hic fit mentio iuxta Iansen. non fuisse denarios probabile est, sed siclos qui & ipsi fuerunt nummi argentei. Valet argenteus quatuor drachmas atticas, ideo facile constare potest quāti ęre nostro gallico ęstimatus sit D. noster. Nempe vna drachma iuxta Maldonatum valebat quinque solidos gallicos vel Regalem Hispanicum, triginta argentei sicli erant tantum tunc quātum nunc essent triginta franci vel floreni vsuales.

Matt. 27.

Si tam parum erat quomodo ex his emptus ager figuli? Dices nunc non posse emi, quia cariores sunt res: potuisse autem tunc id patet ex Hierem. qui dicit se emisse agrum septem stateribus & decē argenteis quod multò minus erat.

Hiere. 32.

Et hæc quoad literam. Nunc grauitatem peccati Iudę depingamus ex circumstantijs. Et *Primò* declaratur quanta fuerit eius auaritia & quàm potens. Et hoc ex eo quod precium reliquerit in eorum voluntate. Dixit enim: *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam?* Melius pactum fecit cum Deo Abraham, quem cum Deus ex Vr Chaldæorum educere vellet, rogauit. *Quid dabis mihi?* Et ego vadam absque liberis? Non contentus fuerat audire: *faciam te in gentem magnam & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum erisq; benedictus, Benedicam benedicentibus tibi &c.* sed voluit esse certus de prole. *Numera stellas si potes &c, Habebis hæredem*, vide locum. Ideo factum est vt & ipse

Allegoria præcessit in Esau qui ius primogenituræ vendidit pulmēto cocto Genes. 25.

ipse

ipse Christum in visione videret, vt dicunt Patres, cum filium suum Isaac iussus est immolare. In spiritu inquam vidit vt dicitur: *Abraham Pater vester exultauit vt diem meum vidit & gauisus est*. Dauid etiam dixit certaturus cum Goliath: Quid dabitur viro? &c. Infelix inquit D. Hieronimus Iudas, damnum quod ex effusione magistri se fecisse credebat, vult magistri precio compensare, nec certam tamen postulat summam, vt saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile mancipium tradens in eorum ementium potestate, in qua posuit quantum vellent dare. Hæc Hieron. Erat enim tãtum pars tertia trecētorum denariorũ quos valere credebat vnguentum, qui trecenti denarij poterant ad summam triginta aureorum monetæ francicę deduci, iuxta opinionem Doctissimi P. Soares à S. Maria. Sic vt pro triginta aureis duntaxat francos triginta expeteret, & minus quidem si voluissent ei reniti.

Genes. 22.
Ioan. 8.
1. Reg. 17.

Soarez in Euãgelio de quinq; panibus.

D. Ioannes Chrisostomus igitur meritò exclamabat: *Quid vultis mihi dare?* O puniendæ vocis temeritas! ô supplicium voluntatis? Proditionis verba funduntur, de quæstu pacta tractantur. Dic Iuda omnium sceleratissime, hæc te magister edocuit? hæc tibi tantus doctor ostendit? Ideo diuitias te debere contemnere prædicabat? Ideo admonebat dicens: *Ne possideatis aurum aut argentum in zonis vestris?* An hoc tibi persuadebat, dicens: *Si quis te percusserit in vnum maxillam?* &c. *Quid vultis mihi dare*, &c. O crudelitas? *Et ego eum vobis tradam*. Dic mihi quę causa traditionis? audiam læsionem tuam, forsitan quod tibi dœmonũ tradidit potestatem? quod fecit languentibus subuenire? quod mortuos resuscitare didicisti? Has beneficiorum vices exoluis? O dementia imò cupiditas proditoris! Hæc & plura vide ibidem.

Hom. de tradit. Iudæ.

Matt. 10.
Marc. 6.

Non erat causa.

Aliter sanè dicebat & consultus Doctor Gentium.

Philip. 3. tium: *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam*, & tu Christum arbitraris vt sordes? vt stercus? vt nihil? vt aurum, vt suspendium, vt damnationem lucrifacias? O Iuda nonne legisti Matt. 16. illud: *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, &c. Aut quam commutationem dabit homo pro auaritia sua?* Si non magni facis personam tui Redemptoris, cur non saltem pluris facis animam tuam que tui est plasmatoris?

D. Ioannes Chrisostomus, aureis verbis & dignis tanto Rhetore sermonibus in persona Iudæ omnium auarorum exaggerat miseriam, qui sequaces sunt huius pestiferi hominis. Dicit enim in Eccles. 10. Matth. in verba thematis nostri, exponendo illud Ecclesiastici. *Auaro nihil est scelestius. Quid superbit terra & cinis? nihil iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita proiecit viscera sua.* Is qui est auarus etiam seipsum perdit, & est cōmunis omnium hostis, auarus non parū dolet, quia terra prospicis aurū non producit, quia fontes auro non manant, quia montes loco lapidum aurum non habeant.

Quoniã in vita proiecit viscera sua.

Auarus fertilitatem temporum moleste fert, & communi fertilitate contrahitur, omnemque fastidit causam vnde argentum colligere non posit. E regione vero cuncta suffert vnde vel duos solummodo capere obolos posit,

Omnes homines tam pauperes quam diuites odio prosequitur. Pauperes ne quid ab eo petant. Diuites quia quæ illorum sunt non posidet, vniuersos enim quæ sua simpliciter esse deberent, occupare putat, ac ideo quasi ab omnibus læsus omnibus infensus est.

Miser auarus & beatus pauper.

Hic quid plenum sit nescit, saturitatem ignorat, omnium denique ita miserrimus est, quemadmodum expers auaritiæ & opposita virtuti deditus omnium beatisimus est. Quippe cum virtuoso,

siue sit

siue sit seruus, siue captiuus, nemò malè facere possit nec si vniuersi homines cum armis & machinis aduersus eum insurgerent. Nequam vero & rapax & qualem descripsimus etiamsi rex sit, etiamsi mille purpuris ornetur, vel à quouis pati extrema potest, adeò improbitas imbecilla res est, adeò è contra virtus validissima. Quid igitur mœres propter pauperiem? Quid ploras cum festum diem habeas? Quid lamentaris cum solemnia ducas! Solemnis quippe dies & festus prudenti pauperies est.

Quid plangis ô puer? Pueri enim certè huiusmodi homines sunt. Vapulasti ab aliquo? Fortiorem te reddit. Quispiam tuam pecuniam surripuit? In hoc bonam oneris tui partem sustulit, Famã tuam læsit? Ad aliam virtutis speciem resilisti: Audias exteriores sic philosophantes atque dicentes: Nihil te mali habere, nisi fingas & tibi persuadeas passum inde fuisse. Obijcit iterum Chrisostomus.

Sed magna te domo priuauit & hortos circumpositos eripuit: Ecce vniuersa terra in tuo est conspectu, ecce pulchra ædificia siue ad voulptatem, siue ad vsum ea requiris. Quid amænius aut pulchrius firmamento cæli? Quousque pauperes atque inopes sumus? Deinde dicit:

Non potest diues esse qui animo pauper est; sicut, Non pauper esse potest qui animo diues est.

Deinde illud probat triplici ratione similitudinaria dicens:

1. Nam si excellentius atque præstantius anima corpore est, non possunt quæ deteriora sunt ipsam ad se nolentem attrahere, sed illa quæ Princeps est cuncta inferiora & minora vt vult trahit atque immutat.

2. Nam & cor quando laborat totum corpus patitur & intemperies ipsius totum corpus aggreditur, sicut è cõtra temperies toti corpori prodest. Quod si quid cæterorum languescat membrorum corde

incolumi & virtute vigenti facilè languor illius etiam excutitur.

3. Et vt apertiorem totam hanc rem faciam. Dic queso quod emolumentum ex arbore futurum est si rami virescunt & radix putrescat? aut quod detrimẽtum arbor habebit si folijs exsiccatis radix incolumis penitus sit? Pariter igitur hic cogita nullam vtilitatem esse pecuniæ si animus paupertate deprimitur, nec paupertas vllum onus, si anima diues existit.

Pecunijs animus non fit diues.

Sed quomodo (inquies) diues animus esse poterit si pecunias homo non possidet? Imò verò tũc maximè summis diuitijs pollet. Nam si vt sæpius dictum est id argumentum diuitis animi est, quod pecuniam despiciat ac nulla re indigeat, patet à contrario paupertatis argumentum esse, indigere ac studio & cura collectioni pecuniarum incumbere. Nec vllus vnquam dubitabit facilius in paupertate quam in rerum copia posse pecunias despici, ac multo magis à diuitibus quam à pauperibus magnitudinem pecunię concupisci. Veluti etiam ebrius maior siti vexatur quam qui modico vino vsus est. Non enim hæc cupiditas est vt maiori cumulo rerum possit extingui, sed è contra inflammari atque incendi soleat. Et quemadmodum ignis addita materia magis effertur, sic pecuniarum cupiditas adiectione auri magis extollitur. Si ergo qui plura expetit inops est, ac talis qui multa possidet esse inuenitur, hic maxima paupertate deprimitur. Perpendis diuitis animum in pauperie, & pauperis è contra in diuitijs esse. Sed in personis quoque si placet qualis sit hęc res videamus. Ponamus ergo duos esse, quorum alter mille, alter decem habeat talenta, & vtrumque pecunia sua à quoquã penitus priuari, vter igitur maiore vexabitur dolore? Nonne patet eum qui mille amisit? Sed profectò non doleret magis, nisi magis

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Auaritia est ignis.

De duobus.

magis pecuniam amaret. Qui verò magis amat magis certè concupiscit, hic certè pauperior est. Illud enim maximè cupimus quo maximè indigemus. Hæc vsque huc Chrisostomus.

Ex quibus omnibus licet colligere quod Iudas qui cæteris erat specie tenus locupletior, in animo cęteris erat pauperior. Quia pro nũmis etiam animum suum ad exitiũ precipitabat. *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam?*

D. August. tom. 4. l. de salutaribus documentis, exponens etiam hanc sententiam. *Animam suam venalem habet,* dicit quod plurimæ animæ inciderũt in periculũ mortis ratione cupiditatis. Et multi ob hoc Deo iubente lapidati sunt. Saul enim à Deo alienus effectus est, & ad extremum de culmine regali expulsus ab inimicis suis peremptus est. Et Dominus noster de cordibus Phariseorum voluit pecuniarum amorem excludere, sed quia erant cupidissimi, salutaria domini verba deridebant. Nam & illum diuitem, quem dominus ad regna cælorum prouocauit, amor pecuniarum intrare non permisit. Sed & Iudæ pectus auaritiæ exarsit flamma, vt Dominum cunctorum bonorum largitorem in manus traderet impiorum, auarus enim inferno est similis. Quantumcunque deuorauerit non dicit satis. Hęc Augustinus.

August. *Ecclef.* 10 *1. Reg. 15.* *Vide Marc. 10.*

1. Imitatores Iudæ sunt secundum Bedam quotquot pro temporali aliquo lucro iustitiam deserunt, falsum testimonium dicunt, contra veritatem scienter iudicium proferunt.

Beda in 22. Luc.

2. Hunc imitãtur secundum Orig. omnes auari de quibus supra meminimus qui propter res temporales eijciunt ab anima sua saluatorem, tales dæmonibus dicunt: *Quid vultis mihi dare?*

Orig. tom. 3. hom 35. in Matth. Dixerat enim. Quærite primo

3. Dicam & animaduerti hic, in eo quod vult Christum pro argẽteis cõmutari, quod nũquã satis fuisset habiturus qui omnia habente Christo non

erat contentus, sicut Petrus qui dixerat roganti an
Ioan. 8. ipsi cum cæteris vellent abire: *Domine ad quem ibimus: Verba enim* &c. periculum igitur facit vtrum aliquid melius sit experturus.

4. Docetur hic nunquam auaros homines esse strenuos & generosos sed circumforaneos, lucri quæstores & rerũ earum quæ vilis sunt precij, quas in maiori habent æstimatione, quam cæteri timentes Deum soleant maiora multo magnifacere. Id patet in sollicitudine & anxietate quam habent in deperditis minimis rebus, dum de laqueo sæpe cogitant nisi charè venderetur. Patet in quærendis & conseruandis ijs quæ etiam sutoribus & tonsoribus essent contemptui. &c.

5. Carpuntur etiam hi potissimum qui res sacras venales exponunt, qui beneficia pecuniarum vi extorquent, qui iniustas pensiones vel taxã excedẽtes impetrant, qui non tã summis Pontificibus quã sibi ipsis imponunt male narrando, Religiosi qui verbũ Dei & Ecclesiæ sacramenta solo pecuniæ studio populo administrant. Et huismodi farinæ multi alij homines. De quibus dicitur in Michea. *Principes*
Mich. 3. *eius in muneribus iudicabãt, & sacerdotes eius in mercede docebant, & propheta eius in pecunia diuinabant.*

6. Præcipui autem Iudæ cõplices sunt Heresiarchæ qui corruptum à se Dei verbum quod est Christu produnt, .i. falsificant, tanquã conscij arcanorum Dei, non secus ac si eius interfuissent societati, vt potè in sacris scripturis diu multumque versati, illi sæpe prodũt magistratibus Christũ, & magnatibus applaudẽdo eorum vitijs & scripturas ad contrarios sensus retorquendo vt hominibus huiusmodi placeãt, sic fecit Martinus Lutherus supremus nostri temporis Hæresiacha in aula Ducis Saxoniæ, cui sicophantijs, & deprauatis verborum lenocinijs suasit vt omnes Ecclesiasticorum census præscriberentur, quò pinguius ipse

ipſe cum ſuis complicibus aleretur. Eius rei teſtis eſt Cocklæus in vita eius. Idem ſolent per cuniculos actitare noſtri temporis ſectarij in Principum curijs, ſolo lucri vel mercedis temporalis, vel animarum deceptionis intuitu. *Cocklaus in vita Lutheri.*

Laurentius Beyerlinck Antuerpianus inter Christianarum Apophtegmata de quodam Apoſtata profugo (titulo de Auaritia) cui nomen erat Ioannes Bughenhaghius narrat quod vt zizaniam cum tritico diſſeminaret cum Lutheranus eſſet in Daniam profectus eſt, nō animarum ſaluandarum, ſed lucri cupiditate ductus, vnde dum ſaluus rediјſſet, & mare tranſegiſſet iam in portu nauigans, conceptam iamdiu in animo ſuam impobitatem peperit, & auaritiæ ſtudium pernicioſis his verbis comprobauit: *Tu meum habeas Dania Euangelium, & ego tuos nummos, Vale.* An non tibi hic alter Iudas? qui ſimilibus verbis potuit in Iudæorum infauſto conciliabulo. *Vos habete meum Chriſtum, & ego veſtras ex Chriſti precio pecunias.* O magnum Iudæ pro vili paruoque precio periculum! *Beierlinck tit. Auaritia.*

Notandum etiam hic ſi voles. Quod Iudas promittebat ſe daturum quem non habebat, imò qui ſeipſum non habebat. Nam eadem die diabolum in ſe admiſerat, cum *in eius cor miſerat vt eum traderet* & eadem via ſe diabolo commiſerat. Operabatur per illum diabolus & vterque mentiebatur ſe traditurum quod non habebat.

Plutarchus in Apophtegm. narrat quod quidam legati alicuius Greciæ reipublicæ miſsi ad Ageſilaum Regem Spartarum dicentes: quod eum in Deorum numerum retuliſſent, quod ei templum erexiſſent, ſacrificia obtuliſſent. Et illi pro reſponſo acceperunt: *Facite vos Deos tum credam me à vobis poſſe fieri.* Priùs etiam *Plutarchi, Apophtegma de Ageſilao.*

Iudas se Deum habere debebat quam vendere, nemo enim vendit quod non habet, sed nemo facit fœlicem alium qui se ipsum non fecit:

Erat similis his qui margaritas falsificatas vendunt, ideo accidit vt non acciperent quod emissent Iudæi, neque quod ex precio Christi comparauerat Iudas vt testatur D. August. l. 2. de Symbolo ad Cathecum. c. 6. tom. 9. vbi sic dicit. Quid egit iniquitas Iudę qui eum vendidit à quo redimi debuit? Ecce nec Iudas tenuit precium, nec Iudęi quem comparauerant, Christum. Illi dico vbi est quod accepisti? Iudęo dico vbi est quod emisti? Illi dico quando vendisti tunc te decepisti. Isti dico quod emisti possidere non potuisti. Exulta Christiane in commercium inimicorum tuorum; tu vicisti. Quod Iudas vendidit & Iudæus emit tu acquisisti.

Tales sunt qui mercatores decipiunt, multas merces ab eis acipiendo, sub prætextu multarum hęreditatum quas dicunt se habere nec tamen habent: Poterat igitur illi dici quod Christus


Ioan. 8. Iudæis dicit Ioannis 8. *Vos ex patre diabolo estis & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur. Quia mendax est & pater eius.*

CONCLVSIO.

Eccles. 31. Quod si ita est C. Auditores video vos commonendos hac sapientis sententia: Beatus vir qui inuentus est sine macula & qui post aurum non abijt nec sperauit in pecunia & thesautis: quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Expedit vobis vt animo pauperes sitis

tis, ne mancipium sitis rerum temporalium, ne seruiatis inquam diuitijs, ne ad illas afficiamini quod est post ipsas abire. Sperate potius in eum qui dixit: *Quærite primo regnum Dei & cætera adijcientur vobis*. Illud est lucrum quod vobis accedet nempe rerum temporalium sufficientia, tum fiet vt laudem & honorem apud homines mereamini, & apud Deum Opt. Max. gloriæ cœlestis cum beatis participes euadatis.

AMEN.



CONCIO DECIMA-QVARTA.

De sollicitudine Iudæ pro reperiendo tempore id exequendi quod promiserat se facturum, de Christo tradendo. An tenebatur promissis stare. Cur metueret turbas.

THEMA.

Ex eo tempore quærebat oportunitatem vt traderet illum. Matth. 26.
Addit Lucas; *Sine turbis.* Luc. 22.

Sæpenumero mirari nos oportet quod Psalmista spiritu prophetico verè de impijs prædixit. *In circuitu impij ambulant.* Nam si literalem sensum hic inquirimus videmus id non vsque adeo veritati consonum esse, nisi forsitan de latronibus id foret verum. Solent enim illi via diuersa quaqua versus eos spes furti vocat, siue recto tramite, siue in gyrum ambulare. *Cor fatui velut rota curri*, Sunt qui dicant Prophetam hic metaphoram à iumento molam volutante transumpsisse, quod nunquam ex vno circulo exit & in vno eodemque gyro semper incedit & ad eundem locum reuertitur, vnde exijt, sicque terram quam calcat duriorem reddit. Sic peccator quod hodie, idem cras pluribusque diebus facit. Si huc vsque libidinosus, idem & amplius hoc anno patrabit, sic de cæteris, & hoc

Psal. 11. *Eccles. 33.* *Sic Basil. de const. mona. c. 9*

& hoc sub intelligitur de his qui ex consuetudine praua habitum malum imbuerunt. ***Nam peruersi difficile corriguntur.***

Ad hoc videbatur hanc sententiam adaptare Proph. Quam *Vilis facta es iterans vias tuas.*

D. August. paulo aliter videtur interpretari. Nam comment. in ps. 139. in hæc verba. ***Caput circuitus eorum*** &c. dicit sic: Quid est circuitus ipsorum? vt circumeant & non stent, in gyrum eant erroris, vbi iter est sine fine. Qui enim in longum it, aliunde incipit, alicubi finit. Qui in gyrum it, nunquam finit. Ipse labor qui hic incipit & finem nunquam habebit, est labor impiorum qui demonstratur in alio psalmo euidentius. ***In circuitu impij ambulant.*** In omni opere malo labor est. Hæc ille. *August. psal. 139.* *Psal. 11.*

Idem hoc ita esse testatur exponendo ps. 102. vbi dicit & bonos & malos multa pati in hac vita sed diuersa ratione. Malos hic & in inferno pati, bonos autem in hac vita dumtaxat. ***Non in finem erit obliuio pauperis*** &c. Affert etiam illud Genes. ***In sudore vultus tui*** &c. & tandē dicit: Aut si est aliud vita nostra, si poteris, conuertere te ad aliquam voluptatem vbi spinas non sentias? Elige quod volueris, esto auarus, luxuriosus, ambitiosus. In honorum cupiditate quantæ spinæ? in luxuria libidinum quantæ spinæ? amores turpes quantas molestias habent? quantas sollicitudines in ista vita? Omitto iehennam, vide ne iam tibi ipse iehenna sis. ***Tandem concludit de labore iustorum dicens:*** Non finitur labor nisi cum finierit vita. Oportet in vita laborare vt in patria gaudeamus: ergo consolatur promissione sua laborem tuum, & dicit tibi. ***Non in finem obliuio erit pauperis*** &c. Vide locum. *August. in psal. 102.* *Genes. 3.*

Vt autem precedentis fundamenti veritas elucescat, vnicus in mediū nobis prodeat Iudas quem heri relinquebamus denarijs locupletatum,

vel

vel saltem promissione de habendis denarijs diuitem. (Non enim constat vtrum in ipso pacto dederint. Nam dicit vnus ex Euangelistis. *Pacti sunt pecuniam illi dare*. Marc *Promiserunt*, & Matthæus, *Constituerunt*.) Relinquebamus ęre alieno grauatum, sacrilegio turpi infamem, pro certitudine futuræ proditionis animā forsitan spondētē, peierantē, forsitā etiāvitam in vadē promittentē si falleret. Sed non satis erat: *Oportebat illum opportunitatem quærere, &c.* Quid hoc est quærere?

Luc. 22. Marc. 14. Matt. 26.

Oportunitatem quærit.

O bone Iesu quanta anxietas insidebat quærentis animo! quantus labor, quot sollicitudines! quot mærores! credo tormentum illi fuisset si per tormenta Christum non quæsisset. O quot spinæ? Quod vt intelligatis. Considerate mecum quod mox ab impio concilio versipellis resilijt, & clanculum in societatem non mentę sed corpore redijt, qui forsitan vel ad emendum quidpiam iuerat, vel negotia Hierosolymis se habere simularat, vel fortè nescientibus cęteris se subduxerat. Redijt igitur. Quis in mentem reducat quas in itinere post pactum, cerebri habuerit reuolutiones? Nunc de denariorum incremento, de cautela qua extorserat nouos nummos, & alios prius furatus fuerat, nunc de tropheo quod se reportaturum credebat, nunc de gaudio quod ex pacto cum magistratibus conceperat, nunc de familiaritate quam gloriabatur se cum magnis habere, de libertate futura, nunc de vlciscenda fraude quam sibi factam credebat in subtracto vnguenti precio, nunc de loco vbi insidias strueret, de medijs quibus Christum adoriretur, de catenis quibus vinciretur, de medijs quibus elaberetur. Deinde cogitabat qua via posset ad cænam cum cęteris comparere.

Auaro est tormentū viuere absq; tormento.

Anxietas Iudæ in quærenda opportunitate.

Credo quod si quis in regressu fuisset illum intuitus apparentem vidisset truculentiam, oculos vindictam rubore pręsignantes, verba subdola, labia

labia trementia, linguam incerta verba proferentẽ, halitum nihil aliud nisi ferocitatem respirantem; & caput huc illuc agitantem, sibi ipsi non satis securum, frontem nunc demittentem nunc attollentem, atque in obtutu suspensum & ad singula verba pensitantem.

Quid cum Apostolis. At vero vbi iam mensæ cum cæteris accubuerat, quot sollicitudines in animum proterui hominis subiere? cum iam non se solum cerneret, sed coram eis se videret qui suspicionibus & cõiecturis poterãt aliquid ex eius vultu colligere quod eorum animus suspicionem mali generaret. Væ fronti rugosę.

Quid in Paschali cæna volvebat. Saltem, ô Iuda tunc cum cænam Agni mysticam manducabas cum cęteris, meminisse debueras illius mysterij ob quod instituta erat, videlicet liberationis populi Israelitici ab Ægypto, vt Christum innocentem non traderes, sed à traditoribus tuereris, & teipsum iterum ab Ægypto, idest tot malorum & vitiorum tenebris liberares. Sed quid, grata tibi erat peccati seruitus, exosa tibi erat Christi societas.

Quid in extẽsione. Quid cogitabat dum manum sacrilegio fœdatã catino paropsidique adhibebat, & cum Christi manu escas easdem captabat, nisi quod forsitan in mentem subiret istas manus breui libertatem edẽdi perdituras & catenis intẽpesta nocte vinciendas?

Quam fuerit vorax. Crediderim ipsum vt voracem cum auiditate cibos manducasse, quoniam præcipitatum in consilijs animum, sequitur velox quędam agitatio corporis, agitationem sequitur quędam insolita in cibis edendis auiditas. Quod etiam postremæ vices essent quibus cum Christo vesci liceret ac proinde reduplicabat vices, & frustra suis faucibus infaustis frequentius cęteris applicabat, adde, quod hoc videtur fecisse vt appareret securior & minus sibi cõscius. Ac presertim dum rei exitum Christus prædicebat, & quasi illũ prodebat. Cum cęteri expiscarẽtur

tur de eo qui rē tā nefandā perpetraturus esset, tunc inquā poterat cogitare: O si mihi iam liceret, aut si vires suppeterent ego hominem istum nedum traderē sed in nihilum redigerē qui mihi conetur hoc facinus imponere. Atque vtinam liceat mihi tutò hinc semel egredi! Nec dubito quin etiam aliquid mali de Apostolis concepisset, nisi suspendio prȩuentus fuisset: Forsitan enim spoponderat post Christum se reperturum rationes quibus Apostoli possent intercipi. Ad quod videtur respicere Christus dicens: *Si me quaritis sinite hos abire.* Et illa tam sollicita & accurata à Petro inquisitio. *Et tu ex discipulis es hominis istius?* Ita exosum erat nomen Christi.

In cœna sacramētali. In Sacramentali verò cæna quas subsannationes rei sacrȩ in animum reduxerit, quantum Christi verba contempserit, & mysterium tanquam hȩreticus spreuerit, quis satis dicat? Ideo dicebatur ad rem: *Mundi estis sed non omnes, Scio quos elegerim.* *Ioan. 13.*

In ablutione. In ablutione pedum quis facile conijciat quid in eius animum occurrerit? Nisi quod actionē Christi vt sui mancipij deriserit? se futurum de cætero illo maiorem? locupletiorem? atque merito illi pedes ab illo lauari, qui pedes & cæteras partes corporis postridie istius diei debebat ad columnam ligatas habere, se tam vili in statu vltra non mansurum, vitā in delicijs & voluptatibus trāsacturum?

O quantæ in hanc animam congerebantur & conglomerabantur angustiæ! quæ illum à seipso distrahebant, vt similis esset homini curis pleno & periculis. In animum suum redire non poterat, vt sese intueretur qualis esset, quia tot huiusmodi circumuolutionibus agitabatur vt sese vbi esset, vix videret. O quam verè dicebat propheta. *Impij quasi mare feruens quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs dicit Dominus.* *Esa. 57. v. vltimo.*

Idem

Idem accidebat Iudæ quod accidere dicit B.Aug. quibusdam coniugatis malas vxores habentibus. Et hoc in comment. in ps. 33. adferens hunc versum ex Euang. *Intra in cubiculum tuum, claude hostium tuum, & ora in occulto.* Cum intras cubiculum tuum (inquit) intras cor tuum. Beati qui gaudent quando intrant ad cor suum, & nihil mali inueniunt. Quomodo nolunt intrare in domos suas qui habent malas vxores, quomodo exeunt ad forum & gaudent! Cæpit hora esse qua intraturi sunt in domum suam & contristantur. Intraturi sunt enim ad odium, ad murmura, ad amaritudines, ad euersiones, quia non est domus composita vbi inter virum & fæminam pax non est. Si ergo miseri sunt qui cũ redeunt ad parietes suos timẽt ne aliquibus suorum perturbationibus euertantur, quanto sunt miseriores qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum euertantur? Qui tempore niuis iter faciunt, dum redeunt ad ædes nihil vident. *August. in psal. 33.* *Matth. 6.* *Similitudo à mala Vxore.*

In Iuda foris & intus timores, sollicitudines, de quibus satis ante: & hoc ipsum est quod quærebat, erat mare feruens, quod nunquam quiescebat cor eius, cuius fluctus. i. cogitationes & mentis commotiones in lutum, in sui conculcationem, idest interitum, verti certò certius debebant. Et spopondit.

Sed quid dicam, Vt quid in quęrendo tot habebat sollicitudines? Quia oportunitatem quærebat? Cur illam quærebat? Quia spoponderat. O infidelis hominis perfidam fidelitatem! Egregiam vero hinc laudem & spolia ampla parabat. Quid faciam (inquiens in seipso) si à promissis resiliam: Omnes me vt impostorem digito monstrabunt Non faciam? Improperabunt tanquã meticuloso. Non patiar. Audaces fortuna iuuat timidosque repellit: Aut vt seductorem ipsi me comprehen- *Incumbit Virtuti sæculi qui desperat de adiutorio Dei. Hier. filij huius sæc. prudentiores &c.*

prehendent aut vt seductoris discipulum. Non feram. Ad pristinum potius vadam quam eius causa quicquam patiar. Tum si pollicitationibus meis non faciam satis, & ad istius magistri mei consortium rediero, deteget factum, exulabit nocentem, non feret traditorem; Absit, ac tunc forsitã symbolum & mulctam ipsemet cogar soluere. Non fiet. Inter socios si mansero nunquam securus consistam. Quid agam igitur? Quo me sors & animus feret, illuc ferar. *Quaerenda opportunitas.* Res maturanda est aut periculum mora tardior vehet. Ecce hominis consilium.

Sed ô nefande traditor quis te docuit eum in quem nihil iuris habebas traditurum spondere? Vt quid contra fas & nefas, contra leges militas? vt quid audes promittere quod legibus caueris obseruere? *Displicet enim in Deo stulta & fidelis promissio.* Hinc igitur discere poteras te legibus promissionum nõ teneri, cum & illae stultae essent, quia Deum hominẽ promittebas, qui toties transiens per medium eorũ ibat & euadebat. Infideles, quia magistrum fidelem tradere volebas, factus infidelis.

Eccles. 5.

Documẽta.

Hinc capimus documentum quod ad huiusmodi promissiones seruandas quae diuinis legibus derogant, non tenemur. Talis eorum erat promissio qui in actis dicebant Principibus Sacerdotum, & Senioribus iurantes in caput Pauli: *Deuotionẽ deuouimus nos nihil gustaturos donec occidamus Paulum.*

Act. 23.

Duellũ.

Tales sunt qui per duellum sese excommunicationis, mortis, & aeternae damnationis sese periculo quam manifestissimo exponunt, quia prouocati, in arenam se promiserant venturos; ac hoc data pro pignore chyroteca, vel alia quapiam re, vt annulo, &c.

Talis erat Herodes qui iuramento affirmarat se da-

ſe daturum ſaltatrici Herodiadis filiæ quod peteret, & qui renitente tamen & contradicente conſciēcia, quę iudicabat infidele eſſe promiſſum, iuſſit ei dari in diſco caput Ioannis Baptiſtæ quod petierat. *Marc. 16.*

Ex hoc capite ſunt reprehendendi cæteri Principes, aut quotquot authoritate legum ferendarum pollent iure dominij, qui leges humanas diuinis contrarias condunt, & eas ſiue armorum viribus aut alia via cogunt ſubditos in damnum animarum obſeruari. Talis fuit Darius qui ſatraparum ſuorum, imò potius aſſentatorum, & fortunæ Danielis inuidorum importunitate victus, vetuit ne quis triginta dierum ſpacio ad quenquam Deorum inſcio rege recurreret, aut alium quam regem rogaret. Quod fecit Daniel qui non Deos nec Idola colebat, qui rupta hac iniqua lege, vnum Deum adorauit & in adoratione fuit interceptus & in lacum leonum condemnatus. *Vide locum.*

De Regibus qui leges iniquas condunt.

Dan. 6.

Imo ſi ad Iuriſperitos recurſus habeatur: *Impia eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur*, text. in c. in malis. 22. q. 4. & in l. Quintus Mutius. §. fin. in fin. ff. De Annal. legat. vt refert recens Doctor Nobilis Dominus D. Andræas Gaijl l. 1. obſeruatione 26. num. 5. *Vide auctorem.*

Axioma iuris.

Andræas Gaijl. l. 1. obſeruationum.

Idipſum probabo cuiuſdam Imperatoris exemplo cui leges & condere & ſeruare licet. Narrat recens author Laurentius Beyerlinck ex Munſtero l. 3. de Germ. cap. 499. Nutriebatur apud Ratisbonam Iutha Othonis 2. filia in cęnobio quodam Religioſarum Virginum. Vnde eius fama permotus Vdalrici Regis Bohemiæ filius, eam vi rapuit & ſibi matrimonio iunxit. Deteſtatus illud facinus Imperator iureiurando affirmat exercitum ſe in Bohemiam ducturum, & Vdalricum eiuſque filium ſcelris pænas daturum. Caſtra mouent hinc Otho, illinc Vdalricus, cum Iutha victo magnitudine

L. de Apophteg. Chriſt. titulo Iuramentum. ex Munſtero.

dine periculorum mulicbri fauore) per media tela Patris colloquium priusquā furor ardeat amplior, exposcit. Impetrat non alloquium tātum, sed & pacem. At iusiurandum quo se obstrinxerat, vrget pater. Cui illa: *Vana est religio quæ scèleri locum facit. Vim criminibus sacramenta non addunt.*

Istis & similibus rationibus ac exemplis patet quod Iudæ peccatum eo fuerit grauius quo studiosius & perniciosius quæsitum in sui ipsius periculum & exitium. Prouerb. 11. dicitur. *Bene diluculo consurgit qui quærit bonum.* Sed si ita est, à contrario sensu verum erit. Quod tardius cōsurgit qui mali oportunitatem quęrit. Satius fuisset, ô Iuda, te in meridiem vsque somnum tuum protraxisse, ne conciperes quod postmodum peperisti malum, hanc importunam oportunitatem.

Celuy la se leue biē matin qui cherche a bien faire.

Vt traderet eum sine turbis. An qui inter seniores & Magistratus fuerat, inter turbas venire non audeat. Nam & impij sociari desiderant impijs. Per turbas, pios & bonos. Nam potius turbę Christum secutę sunt in Euangilio quam Magnates. Horum præsentiam fugiunt mali vt peius agant. Sic & Amon solus esse vúlt vt sororem stupret.

Sic & Amon solus esse vult vt sororem stupret.

Cain fratrem suum volens occidere Abelem, finxit se negotium illi in agro esse cum illo, vt sine teste, sine adiutoribus occidere posset innocentem.

Genes. 39.

Vxor Putiphar vt vidit quod Ioseph esset absque socio, sibi tempus oportunum hoc elegit vt de scelere adulterij iuuenem & attētaret & penè cogeret.

Iob id satis probè dicebat: *Oculus adulteri obseruat caliginem.* In pœnam quippe peccati hanc Deus ab illis expetit vltionem, vt eo loco & tempore mala faciant quibus non sit qui prohibet, & sic plurimis peccatorum laqueis illaqueati, demum in inferno demergantur, & decuplo crucientur.

Iob. 24.

Hic reprehendendi veniunt huius ciuitatis, & aliarum ad cædes & rapinas nati ex fece plebis adolescen-

Documentū pro iuuentute.

descentes qui nocturnos agunt lemures, vt iuuenculis honorem & famam surripiant, & in tenebris (quod est absque turbis) suos iniquos & infames agant concubitus, & furtis suis quietem ciuium interturbent, seditionibus, homicidijs, &c. Monendi parentes, ne filias suas cum iuuenibus patiantur solas versari, aut ad suspectas domos vbi non sunt turbæ. j. bonæ conuersationis virgines aut alię personæ passim se conferre. In turba j, inter multos tutius quam in abscondito, fit enim semper. *Vt qui male agit, odit lucem.*

Ne sint sine turbis virgines.

Ioan. 8.

Vt igitur concioni finem faciam paucis volo vos monitos. Vt oportunum Deo seruiendi tempus quæratis & instetis virtutibus. Abrahæ vobis exēplum relinquo, qui vt vir misericors erat, in ostio tabernaculi sui expectabat in horam prandij, si quis peregrinus transiret. Sic & oportunitatem quęrite.

Genes. 18.

Loth quoque videtur hunc sequi voluisse, cum soleret præ foribus sub vesperam sedere vt si qui transirent peregrini, illos cogeret vel rogaret ingredi. Et hoc pacto meruit vterque in specie virorum, Angelorum frui consortio. Nam sicuti Iudas & omnes impij tempus furandi norunt, adulterandi, diuagandi, & quęcumque illicita committendi, profecto magis est rationi consonum vt nos Deo seruiendi tempus quæramus.

Genes. 19.

CONCLVSIO.


Ecce nunc tempus acceptabile &c. Faciamus id quod de Moro narrat Plinius: Nam & ipsa nouissima omnium germinat & tamen parit inter primas, ita nos quia tempus idoneum optimur procurandæ salutis, etiamsi serius cæperimus, tamen maturius conficiamus. Apes etiam dicit, opus suum non statutis diebus sed quoties cęli cōmoditas inuitat peragunt. At nos semper ipsa commoditas inuitat. Nam nobis plus ocij est ad

Plinius l. 5. cap. 24. De Moro.

Apes, sic & Alauda.

bene agendum quam Iudæ ad oportunitatem quærendam. Nobis non tanta est sollicitudo ad virtutis loborem, quam huic traditori ad sui sceleris perpettationem. *Iugum enim Christi suaue est & onus eius leue.* Huic oneri nos & Christo ipsi supponamus, ipse nostros solabitur & promouebit conatus, vt fæliciter virtutis itinere peracto, vitam quæ æterna est inchoemus. *Gloria hac esto conscientiæ nostræ testimonium.*
2.Cor. 1.
Illam habeamus vt in eternum viuamus AMEN.

CON-



CONCIO DECIMA-QVINTA.

In qua agitur de Iudæ obduratione, qui Chriſti præmonitionibus non mouebatur. Cur Chriſtus quem ſciuit peccaturum non ſeruauit à peccato? Cur ſpiritu turbatur cum Iudam ſe traditurum denunciat? Et ex his documenta.

THEMA.

Cum hæc dixiſset turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt & dixit: Amen Amen dico vobis vnus ex vobis tradet me. Aſpiciebant ergo ad inuicẽ diſcipuli dubitantes de quo diceret. Ioã. 13. Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22.

QVi diuinitati ſummæ quod dignum eſt tribuunt, illi abſque dubio omnium futurorũ ſumma præſcientia eaque infallibili illam cohoneſtant. Non minus enim iniuriæ facit, qui præſcientiam Deo tollit, quam qui negat omnipotentiam. Vno enim & eodem gradu ſummo gradiuntur hæc attributa, potentiæ ſcilicet & ſcientiæ. Accedit, quod niſi ſummè perfectus eſſet, haud Deus diceretur, & pro Deo non haberetur. Non defuerunt olim tamen qui per blaſphemiam auderent præſcientiæ Dei derogare, aut

saltem nonnihil de illa subdubitare. Hos tibi depingebat Psal. *Quomodo scit Deus & si est scientia in excelso &c.* q. d. in persona dubitantium. Qui potest fieri omnia noscere cum mala non videat, quæ sub sole fiunt: Quoniam si videret, vel de diuitibus aliter disponeret, aut impotens aut iniustus esset, qui daret immeritis quod haberent?

Psal. 77. v. 11.

Pro responsione & nostræ concionis fundamento, dicimus duplex esse malum, vnum pęnę & aliud culpæ, & hoc vtrumque præuidet & præscit Deus, ita vt necessitatem illud committendi non inferat. De malo pręuiso loquitur Ionas 3. c. *Et vidit Deus opera eorum quoniam conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super maliciam quam locutus fuerat vt faceret eis & non fecit.* Hic prius vidit malum culpæ inde malum pęnę; & alibi loquens Deus Moysi: *Scio quod non dimittet vos rex Ægypti, vt eatis nisi per manum validam, extendamque manum meam & percutiam Ægyptum.*

Iona. 3.

Exod. 6.

De malo culpę. *Sciebat quis traditurus esset,* &c. de malo pænæ. *Væ homini per quem* &c. Item fletus ex præuisione destructionis Ierusalem satis indicat scientiam & cognitionem mali pęnæ. *Quia si cognouisses & tu.* q. d. Sicut ego noui.

Matth. 26

Quod cum ita sit mirum videri poterit, cur ipse Christus præuidens malum culpæ in Iuda & duplex malum pænę quod ab hoc causaretur ęternæ, & temporalis, ab his non eripuerit eum à peccato præseruando? Saltem si dicas non fuisse defectum pręscientię, sanè potentię defectus accessisse videtur, qui non seruarit ouem sibi commissam à peccato, nam & ipsemet post longam orationem æterno Patri præsentatam inter cætera rogat dicens: *Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.* Sed ô

Luc. 19.

Ioan. 17.

bone

bone IESV, ſi tibi datus fuit cur non ſeruaſti, vt non periret? ſi ſeruaſti quomodo perire permiſiſti? Reſpondemus vnico hoc articulo. Potuerat Christus ſi voluiſſet à ſcelere Iudam diuertere ſicut potuiſſet mortem euadere qui tamen mori venerat, ſed non debuit agere omnia quæ poterat. Nam ſic nemo peccaret, nemo periret, imò qui perierunt ſeruarentur. Deus tamen non voluit agere quicquid poteſt, quia tunc fruſtra in eo eſſet iuſtitia. Non egit ergo cum Iuda quantum potuit, quia potuiſſet eum ſaluare, ſed quantum debuit iuxta ſapientiam & iuſtitiam, & quantum conueniebat cum creatura libero arbitrio donata.

Hæc doctrina ex ſummis theologis eruta eſt. D. Thomas primus nobis ſuffragabitur, ex cuius prima parte deſumpſimus ſequentes propoſitiones: Quod reprobatio ſit pars diuinæ prouidentiæ reſpectu eorum, qui ab vltimo fine decidunt; ſicut prędeſtinatio eſt pars eiuſdem diuinæ prouidentiæ reſpectu eorum, qui ad vitam æternam ordinantur. Sicut ergo ordinat aliquos ad illam vitam, ita quoſdam permittit ab hoc fine deficere, & ſic dicitur reprobare. Vnde reprobatio non nominat præſcientiam tantum, ſed aliquid addit ſecundum rationem ſicut prouidencia. Sicut enim prędeſtinatio includit voluntatē conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. Vnde ſequitur quod etſi Deus omnia quæ ſunt diligat, in quantum vult omnibus aliquod bonum, non tamen quodcunque bonum vult omnibus. In quantum igitur non vult hoc bonum quod eſt vita ęterna, dicitur odio habere aut reprobare. *Thom. p. q. 23. art 3 in corp.*

Clarius forſitan capietis, ſi dixero: Quod aliter

se habeat in prædestinando Deus quam reprobando circa suos effectus, sit Petrus hinc, inde Iudas. Ille prædestinatus, hic reprobus. In Petro ipsa prędestinatio fuit causa & eius quam modo possidet mercedis æternę, & eius quam in præsenti habuit gratiæ. In Iuda reprobatio non fuit causa eius quæ erat in præsenti culpæ & peccati, sed causa derelictionis a Deo. Est tamen causa euis quod redditur in vita futura, scilicet pęnæ eternæ, culpa verò prouenit ex libero arbitrio eius qui reprobatur & à gratia deseritur.

Cyrillus Alex. Hæc veritas fundatur etiam in Patribus. Quorum primus mihi testis erit Cyrillus Alex. qui de Iuda nobis resolutionem dabit. l. 7. c. 10. in Ioannē vbi exponit verba Christi ad Iudęos: *Ioan. 10.* *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis* sic dicit: eos qui in se credere nolebant, dicebat non esse ex ouibus suis, quia videbat iam eos æternæ perditioni præparatos, nec sui sanguinis præcio ad vitam ęternam comparandos. Suis autem ouibus Dominus æternam vitam se donare affirmat, *pascua* scilicet, vberrima bonorum omnium copia, affluētia, vbi lux clarissima, pax secura, quies dulcissima, gloria perpetua. *Et non peribunt in æternum.* Quia pastor eorum talis est, vt apud eum nihil omnino perire possit. Videbantur (inquit Cyrillus) quidem sancti perire martyres cum hanc mortalem vitam per tormenta amittebant, sed non peribant in æternum, quia soluti vinculis carnis debita sibi a Christo præmia percipiebant, iuxta illud. *Iustorum animæ in manu Dei sunt & non tanget illos tormentum maliciæ, visi sunt oculis insipiētium mori; illi autem sunt in pace, & non rapiet eas quisquam de manu mea* dicit Christus. Eos enim quos prædestinando semel Christus assumpserit, nulla vis diabolicæ tentationis, non immanitas humanæ persecutionis de sorte & latere eius potest aufferre. Sed nōne Iudas, dicet

Ego sum ostium per me si quis ingressus fuerit. &c

Martyres non pereunt.

Sap. 3.

Textus. Ioan. 10.

De Iuda Cyrillus.

dicet quispiam, in æternum perijt & surreptus est à Sathana de manu Domini & multi viā Domini ambulant à qua decidunt tandem? Verum ad finem vsque in bono perseuerantes duntaxat oues Domini sunt & dicuntur. Qui igitur post perceptā gratiā de numero ouiū Christi pereunt, hi certè in Dei oculis oues non sunt, quare nec Iudas nec alij retroabeūtes ad ouile Christi pertinere dicendi sunt. Hęc Cyrillus.

Nemo itaque Dæmonis patet insidijs nisi qui sese exponit. Hinc bene monet qui dicit. *Nolite locum dare Diabolo* & alibi *Resistite diabolo & fugiet à vobis.* Item illud. *Cui resistite fortes in fide* Non potest enim prosternere nisi volentē. Vis igitur verbo tibi de Iuda satisfaciam? Seruauit Iudam Christus sed non se seruauit Iudas. Non sufficit te seruari nisi te serues. *Ephes. 4.* *Iacob. 4.* *1. Petr. 5.*

Hæc doctrina & veritas iterū ex Cyrillo Alex. allata est l. 11. c. 21. in Ioannē. Vbi sic dicit obijciendo Si propria voluntate potestateque libera cæteri Apostoli diaboli laqueum fugerunt, solus autem Iudas incidit, quomodo illum seruauit Christus, aut cur Iudæ non profuit hęc saluatio? Sed studium (inquit) atque vigilia quamuis proba & laudabilis sit, non sufficit tamen ad perfectę operationem virtutis, sed salutem quidem vigilantes attendentesque acquirimus. Non sufficit autem id nobis, quum diuina gratia, quæ difficilia facilia faciat, & arduam iustiæ viam planam nobis reddat, necessario indigeamus. Quod psalmista confirmat: *Nisi Dominus ædificauerit domum* &c. Quare necesse est vt iugiter magnoq; animo ad acquirendam salutem studeamus & opem qua protegamur, orando petamus. Cuius auxilio facilè diaboli vires superabimus, nisi ei obsequamur, ad voluptates aliosque peccandi modos prouocati: Nisi quoque nos nec tentati quidem illi voluntatis nostræ habenas largiamur. *Quum essē cum eis seruabam eos.*

 Nam

ſe habeat in prædeſtinando Deus quam reprobando circa ſuos effectus, ſit Petrus hinc, inde Iudas. Ille prædeſtinatus, hic reprobus. In Petro ipſa prędeſtinatio fuit cauſa & eius quam modo poſsidet mercedis æternę, & eius quam in præſenti habuit gratiæ. In Iuda reprobatio non fuit cauſa eius quæ erat in præſenti culpæ & peccati, ſed cauſa derelictionis à Deo. Eſt tamen cauſa euis quod redditur in vita futura, ſcilicet pęnæ eternæ, culpa verò prouenit ex libero arbitrio eius qui reprobatur & à gratia deſeritur.

Cyrillus Alex. Hæc veritas fundatur etiam in Patribus. Quorum primus mihi teſtis erit Cyrillus Alex. qui de Iuda nobis reſolutionem dabit. l. 7. c. 10. in Ioannē

Ioan. 10. vbi exponit verba Christi ad Iudęos: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis* ſic dicit: eos qui in ſę credere nolebant, dicebat non eſſe ex ouibus ſuis, quia videbat iam eos æternæ perditioni præparatos, nec ſui ſanguinis præcio ad vitam ęternam comparandos. Suis autem ouibus Dominus æternam vitam ſe donare affirmat, *paſcua* ſcilicet, vberrima bonorum omnium copia, affluētia, vbi lux clariſsima, pax ſecura, quies dulciſsima, gloria perpetua. *Et non peribunt in æternum.* Quia paſtor eorum talis eſt, vt apud eum nihil omnino perire poſsit. Videbantur (inquit Cyrillus) quidem ſancti perire martyres cum hanc mortalem vitam per tormenta amittebant, ſed non peribant in æternum, quia ſoluti vinculis carnis debita ſibi à Christo præmia percipiebant, iuxta illud. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt & non tanget illos tormentum maliciæ, viſi ſunt oculis inſipiētium mori; illi autem ſunt in pace, & non rapiet eas quiſquam de manu mea* dicit Christus. Eos enim quos prædeſtinando ſemel Christus aſſumpſerit, nulla vis diabolicæ tentationis, non immanitas humanæ perſecutionis de ſorte & latere eius poteſt aufferre. Sed nōne Iudas, dicet

Ego ſum oſtium per me ſi quis ingreſſus fuerit. &c

Martyres non pereunt.

Sap. 3.

Textus. Ioan. 10.

De Iuda Cyrillus.

dicet quiſpiam, in æternum perijt & ſurreptus eſt à Sathana de manu Domini & multi viã Domini ambulant à qua decidunt tandem? Verum ad finem vſque in bono perſeuerantes duntaxat oues Domini ſunt & dicuntur. Qui igitur poſt perceptã gratiã de numero ouiũ Chriſti pereunt, hi certè in Dei oculis oues non ſunt, quare nec Iudas nec alij retro abeũtes ad ouile Chriſti pertinere dicendi ſunt. Hęc Cyrillus.

Nemo itaque Dæmonis patet inſidijs niſi qui ſeſe exponit. Hinc bene monet qui dicit. *Nolite locum dare Diabolo* & alibi *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis.* Item illud. *Cui reſiſtite fortes in fide* Non poteſt enim proſternere niſi volentẽ. Vis igitur verbo tibi de Iuda ſatisfaciam? Seruauit Iudam Chriſtus ſed non ſe ſeruauit Iudas. Non ſufficit te ſeruari niſi te ſerues. *Epheſ. 4. Iacob. 4. 1. Petr. 5.*

Hæc doctrina & veritas iterũ ex Cyrillo Alex. allata eſt l. 11. c. 21. in Ioannẽ. Vbi ſic dicit obijciendo Si propria voluntate poteſtateque libera cæteri Apoſtoli diaboli laqueum fugerunt, ſolus autem Iudas incidit, quomodo illum ſeruauit Chriſtus, aut cur Iudæ non profuit hęc ſaluatio? Sed ſtudium (inquit) atque vigilia quamuis proba & laudabilis ſit, non ſufficit tamen ad perfectę operationem virtutis, ſed ſalutem quidem vigilantes attendenteſque acquirimus. Non ſufficit autem id nobis, quum diuina gratia, quæ difficilia facilia faciat, & arduam iuſtiæ viam planam nobis reddat, neceſſario indigeamus. Quod pſalmiſta confirmat: *Niſi Dominus ædificauerit domum* &c. Quare neceſſe eſt vt iugiter magnoq; animo ad acquirendam ſalutem ſtudeamus & opem qua protegamur, orando petamus. Cuius auxilio facilè diaboli vires ſuperabimus, niſi ei obſequamur, ad voluptates alioſque peccandi modos prouocati: Niſi quoque nos nec tentati quidem illi voluntatis noſtræ habenas largiamur. *Quum eſſẽ cum eis ſeruabam eos.*

huic penitentiæ irritamenta non dare. Hæc Chryſoſtomus.

Pro documento primo ex malitia Iudæ & eius proteruia colligimus verum eſſe quod dicitur: *Peruerſi difficile corriguntur.* Imo & illud veriſsimum quod dicitur per Salomonem: *Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit.* & Iob. *Si deſtruxerit nemo eſt qui ædificet. Si incluſerit hominem nemo eſt qui aperiat.* In quæ verba erudité Gregorius admonet, deſtruere & recludere Dominum nihil aliud eſſe, quam peccatorem in ſuorum operum tenebris relinquere. Et inter alia ita ſcribit: Quia ad perditionem ſuam ſufficit mens humana ſibi dimiſſa, plerumque vt cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis gratia non repletur, incaſſum exterius a predicatione moneatur. Quia mutum eſt os omne quod loquitur ſi interius in corde non clamet qui aſpirat verba quæ non audiuntur. *Et ſtatim ſubdit:* Cain & diuina voce admoneri potuit & mutari nõ potuit, quia exigẽte culpa malitię iam intꝰ cor reliquerat, cui foris ad teſtimoniũ verba faciebat. Et in I. Reg. illud: *Si autẽ in Deũ peccauerit Vir, quis pro eo orabit?* propterea dictum exiſtimat, quia plerique eorum qui ad intercedendum pro alijs inſtituti ſunt, peccatorum ſuorum magnitudine in impœnitentis cordis caliginem conijciuntur & nulla hominis adhortatione reſipiſcunt. *Et poſt pauca.*

Eccleſ. 1. *Eccleſ. 7.* *Iob. 21.* *Greg. 11. moral. c. 5.* *1. Reg. 2.*

Vnde & de filijs Hely quibus hæc ipſe Hely dixerat, ſtatim ſubiecit ſcriptura: *& non audierunt vocem Patris ſui quia voluit Dominus occidere eos*: Hæc Gregorius.

Propterea licebit hic exclamare cum Propheta: *Terribilis Deus in conſilijs ſuper filios hominum.* *Pſ. 65.*

2. *Documentũ* hinc accepimus, ex premonitionibus Iudæ factis, quibus perditioni proximum conabatur

putandum, atque ijs omnibus qui eodem morbo laborant. Non enim Iudęis solum id accidit, sed multis quoque fidelibus. Nam Iudas filius regni erat, audiuitque vna cum alijs discipulis illud: *Super duodecim sedes* &c. Sed factus est iehennæ filius. Hæc ille.

Caueamus igitur ne nobis idem accidat.

Oportuit sanè morbum Iudæ, eius inquam animum, ita contumacia & proteruia tunc fuisse deprauatum, vt remedio neque locus, neque tempus pateret. Atque hæc causa est cur spiritu Christus turbatur, .i. interius contristatur atque animi dolore pænitus afficitur. Cum videt se perperam verba facere, oleum iam perdidisse cum dixit: *Vos estis mundi sed non o͂es*, & rursus. *Non de omnibus dico*, & illud. *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum.* Postmodum clarè profert re͂ vsque adeo veram esse de traditione per vnum ex ijs futura, vt nedum turbetur, sed protestetur & per seipsum qui veritas est, iuret. Ad instar medici faciens, qui morbum tenacem vincere non valens (vt ait Cyrillus) quadam indignatione in ipsum fertur.

Cur spiritu turbatur.

Ioan. 13.

Simile.

Cyrill. li. 4 cap. 13. in Ioannem.

Doctè admodum Cyrillus & verè, quoniam vbi maior & tempestiuior est mali præuisio, ibi est maior futuri mali apprehensio. Præuisio vero peccati Iudæ in Christo sequebatur ipsius præscientiā vniuersalem rerum omnium contingentium.

Cyrillo subsignat D. Ioannes Chrisostomus & aliud dicit in homilia de traditione Iudæ, vbi sic loquitur. *Vnus ex vobis me tradet*: Verbum traditionis non contristet auditum, nec cum perceperis quod Iesvs traditus est dolore mouearis, imò & doleas suadeo, prædico, vt lachrymis & vt nimia te lamentatione contristes, exhortor. Sed ne proditum lugeas, ne traditum fleas, sed proditoris factū ingemisce, & futura eius supplicia lamentare.

Chrisost.

Nam

Nam proditus Christus orbem liberauit vniuersum, proditor iehennam meruit possidere. Traditus in cælis Patris sedet in dextera, traditor autem apud inferos collocatus, tormenta debita sceleratis expectat. Et ideo lugendus est. Nam & dominus delictum illius lachrymatus est, vt ait Euangelista: *Turbatus est spiritu*, &c. *Vnus ex vobis*, &c. Quanta misericordia Domini! Pro traditore dolet traditus. Pro traditore traditus turbatur. Simul & misericordiæ suę ostendit potestatem.

Documentum. Et nos docet hinc non eos qui mala patiuntur, sed eos qui mala committunt nos debere miseros & dignos fletibus æstimare. Hoc enim peius est imò illud penitus malum non est. *Nam malum pati, malum non est, malum facere malum est.* Et ideo malorum sustentatio cælorum regnum nobis pollicetur, malorum autem commissio, iehennam nobis minatur, & tormenta promittit. *Beati enim qui persecutionem patiuntur.* *Matth. 5.* Vides quod malorum perpessio mercedem sperat, & sufferentiæ suę præmium cælorum meruit regnum. Hæc & multo plura Chrysostomus loco citato.

CONCLVSIO.

Si malum igitur Iudæ præuisum Christum eo vsque mouit vt turbaretur, quantum nos propria delicta conturbare debent, & commouere vt de ijsdem in nobis vindictam sumamus? Ne inquam desides simus, sed futurum in sæculum nobis prouideamus, & præuideamus lachrymis nostris, peccata abluendo, Dei misericordiam acquirendo, &c. Sic fiet vt salui fiamus. Amen.

CONCIO DECIMA-SEXTA.

In qua agitur de mærore discipulorũ Christi, qui eis ex prenunciata traditione eius cõtigit. Rationes cur se aspicerent, cur intincto pane voluit illum Ioanni designare. Cur ipse Christus porrexit illi: & inde documẽta.

THEMA.

Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quẽ diligebat Iesus. Innuit ergo huic Symon Petrus & dixit ei, quis est de quo dicit. Itaq; cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dixit ei: Domine quis est? Respõdit Iesus: Ille est cui ego intinctum panẽ porrexero. Et cum intinxisset panẽ dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Ioã. 13.

PVlchrè admodũ mihi dixisse videtur D. Paulus cum ipsemet suũ in se iudicium retorquẽs sic loquitur: *Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum qui autẽ iudicat me Dominus est.* Sciebat quippe vir Dei nos ab alijs quidẽ videri melius quã nosipsos nos intueri posse. Fit enim vt sæpius vt cũ in propria causa nos ipsos iudicamus in iudicijs nostris nimium cęci simus, nimium nobis ipsis tribuam⁹. Adam qui cæteris rebus nomẽ indidit, sibi 1. *Cor.* 4.

ipsi

manducat mecum, addit quod magis est exaggeratiuum. *Qui intingit mecum manum in paropside.*

D. Hieronymus notat dominum his verbis voluisse designare Iudam sic scribens in Mattheum: Iudas cæteris contristatis & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo, temeritate & impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem, vt audacia bonam cõscientiã mentiretur. Itaque intelligit solum Iudã tum cum hęc Dominus diceret intinxisse manum, quia dicitur per tempus præsens: *Qui intingit manum*, apud Marcum. At si solo Iuda intingente cum Domino manum hæc dicta sunt à Domino, ad designandum Iudam, ergo certum & manifestum signum agnoscendi proditoris datum fuit Apostolis, quos tamen ad exitum Iudæ non constet, quem voluerit notare. *Marc. 14.*

Videri autem potest Dominum cum Emphasi quadam manus fecisse mentionem, quod per manum fiat traditio. q. d. Qui mecum iam manum immittit in patina ac summam amicitiam præ se fert, hic eadem manu me tradet.

Hic dum dicit: *Nunquid ego sum Rabbi.* Animaduertere licet Iudæ summam impudentiam, & veritatis agnitæ tacitam quandam impugnationem, quod est peccatum in Spiritum sanctum: qui non dubitauerit interrogare: num ipse cum esset proditurus, cum satis aduerteret ex verbis Domini nõ latere eum quis esset se traditurus. *Pertinaces enim non volũt tales haberi sicut nec auari.*

Sed dices: quomodo non agnouerunt cæteri Apostoli quod Iudas, postquã interrogauit. Nunquid ego sum? ex responso Christi. *Tu dixisti*, quod ipse esset? Sed dicit doctè Iansenius Christum satis submissa voce locutum, ne cæteri audirent.

Nota quod Marcus dicit cum Matthæo. *Quod ipsi cæperunt quærere inter se quis esset ex ijs* &c. .i. vnus cum altero per coniecturas, per rememora-

tiones

tiones verborum Christi, vel per collationem si-gnorum. Cum igitur nec hac ratione deprehenderetur author, Petrus Ioannem monet vt interroget, qui toties alias repulsus per se non audebat petere. Præ nimio enim erga Christum amore & zelo Petrus tenebatur summo desiderio cognoscendi proditorem, insurrecturus in ipsum agnitum, & conatum eius prohibiturus. Innuit igitur Ioanni Petrus, & ipso nutus signo quodammodo dixit ei: *Quis est de quo dicit?* Non enim quod in nostra lectione dicitur. *Innuit & dixit*, sic est accipiendum, quasi prius Petrus innuerit & deinde etiam verbis illum sit allocutus, sed dixisse intelligendus est, quia ipsum nutus signum pro sermone & verbis illi fuit. Græca enim habent *Innuit ergo huic Symon Petrus, vt interrogaret quisnam esset de quo diceret.*

Iansenius.

Ioannes Christo dilectus.

Cæterum cum omnes suos diligeret Dominus, Ioannem tamen eximiè & singulariter inter cæteros diligebat, ita vt singularis ei familiaritatis signa exhiberet. *Primum* ob singularem eius chastitatem cuius à puero dicitur, teste Euthimio, tãtam habuisse curam, vt ne turpem quidem cogitationem vnquam in cor suum ascendere permiserit, ideo etiam virgo postmodum cognominatus est. Deinde propter eximiam animi eius modestiam & dulcedinem, quæ & chastitatem eius ornabat & Christo tum simillimum reddidit: qui de se dixit. *Discite à me, &c. Postremò* quia & ipsum Ioannes singulari prosequebatur amore. Amor enim amoris merces est.

Euth. de Ioan. cast.

Matth. 11

Certè vt illius nobis commendat castitatẽ quod illi postea Dominus suam virginem Matrem commendauit, ita eiusdem erga Christum dilectionem ostendit specialem, quod solus è discipulis in afflictionibus magistri permãserit donec spiritum emisisset, Eandem dilectionem sicut & eiusdem mansuetudinem respirant eius epistolæ, Rursum suam

commen-

commendauit humilitatem quod hic se subticeat, circumlocutiuè se notans ad fidem historiæ non dicens: *Discipulus qui diligebat Iesum*, sed *quem* (scilicet gratis) *diligebat Iesus.* In hoc etiam detestandam se magis præbet Iudæ impudentia, qui nec discipuli huius humilitate, nec cæterorum mansuetudine mitescit.

Porro quod dicitur Ioannes recubuisse in sinu IESV, non ita est accipiendum, quasi accubuerit mensæ sedens in sinu Dñi, nec quomodo dormiẽtes puluino incumbunt vt voluit Faber, quia rusticanũ hoc fuisset: Sed cũ pro eo quod hic dicitur discipulus recubuisse in sinu, postea dicatur recubuisse supra pectus, intelligendum relinquitur Ioannẽ caput suũ inclinasse super pectus IESV, ibique quieuisse, Christo fortè altero suo brachio caput ipsius amplexante, atque ob id dicitur in sinu Domini recubuisse, quia pectus ad sinũ pertinet, & alioqui cũ caput Ioannis super pectus Iesu quiesceret brachiũ ipsius forte fuit in inferiore sinu ipsius Domini, hinc facilè potuit in secreto Christi respõsum audisse: *Respondit Iesus ille est cui ego,* &c.

Quid recumbere in sinu.

Reclinauit super pectus Iesu.

Proprium traditoris necdum exprimit nomen, sed charissimo discipulo panis intincti signo suum prodit Dominus proditorem, idque conueniẽter. Notabat enim hic illius ingratam impudentiam & impudentem ingratitudinem, & Iudas rursũ prouocabatur ad pœnitentiam. Et alijs Apostolis occultũ eius crimen tegebatur. Quis enim credidisset ipsum suo traditori voluisse dare panem intinctũ? hoc igitur faciebat ne proditorem proderet.

O diuinam Christi bonitatẽ! ô impudentiã praui & scelerati hominis! O discipulorum mansuetudinem & incredibilem patientiam! Sed ô scelerate, eia ego ad te modo redeo. Tu Neronẽ hic tacitè Tirannũ illum insignem ô Iuda referebas, dum tacitus animi tui conceptus detestãdos occultabas.

De Neronis Tyrānide. De illo fertur quod dum odium dissimulabat, dum beneuolentiam fingebat, sæuitiam suam ferè in præclarissimum quemque, tum ciuem, tum senatorem exercebat. Hæc Pontanus l. 1. de magnanimit. c. 8

Pōtanus. *Domitianus.* Nihilo melior hoc erat Domitianus Romanorū Imperator, qui nunquā quenquā verè & ex animo dilexit præter paucas mulieres; eum se diligere simulabat semper quem maximè interfectum cupiebat. Simulabat etiam se fratrem (quem tamen clā cum Patre summo odio prosequebatur) maximè amare ac lugere, laudabatque non sine lachrymis cum tamen omnia contra quam vellet præ se ferret. Xiphilinus in eius vita.

Veruntamen mirari satis nequeo qui fieri potuerit hominem tot signis non moueri, non terreri, neque verecundiā aliquam pati, latibulum aliquod non quærere, aut ex propriæ conscientiæ remorsu ad Christi pedes non prouolui. Pulchrè hic respondet quidam F. Ioannes Maria Capalia Ordinis Prædicatorum dicens: Cum igitur sibi ipsi cōscius esset adhuc Pharaone proteruior obstinato animo persistit, vt nec Christi maiestatem reuereatur, nec corona coassistentium Apostolorum ab instituto amoueatur, quia ille perductus erat, vt in sortem sathanæ conuersus esse videretur, de quo dictum erat: *Vnus ex vobis diabolus est.* Obstinatus est diabolus nec vllis vnquam resipiscit, aut probris aut obsequijs. Tales sunt quicunque obstinato & inconcusso animo in sua malignitate perseuerant. Et ideo: *Cor durum malè habebit in nouissimis.*

Ioannes Maria Capalla. libro quē vocat Arca salutis.

Ioannis 6.

Alia ratio. *Aspiciebant ergo ad inuicem,* non tantum vt scirēt quis esset, sed vt ostenderent se de quoquam temerè non velle iudicare. Et sic credebant vnumquemque iure bonum præsupponi debere, donec aliter constaret. Neminem reum facinoris existimare

mare poterant, qui quales ipsi erant cæteros esse credebant. *Nolebant ante tẽpus iudicare, donec* &c. *1. Cor. 4.*
Non poterant inquam capere qui fieri posset, vt inter eos tam scelerati patrator facinoris reperiretur. Iudas autem sciebat solus, ipse seipsum intus agnoscebat, qui seipsum ab alijs occultabat. Ipse etiam inuicem cæteros aspiciebat, non vt authorem agnosceret qui se sciebat authorem, sed vt vel exploraret an à quoquam agnitus esset, vel vt se mutuo aspectu à crimine securum esse pariter ostenderet.

Obseruandum hic ex eodem quale nobis periculum immineat. *Ex falsis fratribus*. Quis rogo Lynx aut Argus conspicere potest Hypocritam? proditorem agnoscere? & impium distinguere valeat suis obtutibus? Neque enim id licet, cum dictum sit: *Nolite secundum faciem iudicare*. Item illud: *Ne laudes hominem in specie sua*. Sub ouino vellere sæpe tegitur lupus. *Sathanas se transfigurat in Angelum lucis*. De Christo enim ipsimet Apostoli post resurrectionem. *Putabant se spiritum videre*. Inerat enim Iudæ vna exterior facies cum cæteris communis, Hypocrita non poterat à iustis, proditor a probis, & impius ab ipsis assistentibus pijs agnosci. Videamus inquam inter quos ambulemus, qui tales nobiscum sphynges habemus. Canes infernales, Cerberos habemus, quibus associamur, Crocodilos nobiscum nescientes patimur, & Angues in herba latentes, non aduertimus, quorum virus non nisi infixo dente sentitur. Hoc autem aduertant qui sibi credito inuigilant gregi, vt insontes moneant, scrutentur & perspicacibus ocellis perspiciant, quod diuertant ab iniquo, à proditore caueant, impiumque detestentur hypocritam. Hos autem non secundum faciem iudicandos edocuit Dominus, sed à fructibus cognoscendos. Ne temerè mali aliquid suspicemur & iustum pro

Documẽtum de periculo ex falsis fratribus. *2. Cor. 11.* *Matt. 7.* *Eccles. 11.* *2. Cor. 11.* *Luc. 24.* *Matth. 7.*

impio condemnemus. Hæc infelix nostra conditio est, quç nec lupos ab agnis, nec Sanctum à prophano, nec ab immundo mundum discernere didicit.

Aduerte etiam quod hçc leuis sit valde Iudæ consolatio, quod ab hominibus nondum sit cognita impietas eius infixa pectori, quid faciet de illo insuper inspectore quem latere nihil potest? illum de quo dicitur: *Nec opus erat Vt quis ei diceret quid esset in homine. Sciebat enim quid esset in homine.* Leuis inquam eius est consolatio, cuius improbitas non ab alio, sed à seipso condemnatur, intus suæ impudentiæ habebat testes, & tamen cum cæteris, videtur animo perplexus & admirabundus.

Hier. 3. De illo poterat illud dici: *Turbatus est & non est locutus*, & illud. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Et illud psal. *Noluit intelligere Vt bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni Via non bona, malitiam autem non odiuit.* & Prou. 6. *Homo Apostata, Vir inutilis graditur ore peruerso.* *Psal. 33.* *Prou. 6.*

Alia ratio cur se aspiciebāt Deinde nota quod Apostoli qui timebant & reuerebantur dominum. *Aspiciebant se inuicem:* quia reū facinoris se prostraturum, vt veniā peteret, credebant. Sed frustra: De eorum numero erat, qui cū peruersi sint, tamen ab alijs videri volunt boni & alijs perfectiores. Tales ij sunt de quibus dicitur. *Quod abscondunt sicut homo peccatum:* Ab hoc se satis immunem scelere fatebatur Iob dicens: *Si (pro non) abscondi Vt homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* *Iob. 32.*

A Domino inquam abscondit se quisquis ab eo veniam non petit, a Deo seipsū abscondit, qui nullo excusationis velamine suam turpitudinē contegere potuit. Abscondebantur & illi primi peccatores, qui tamen quo potuerunt excusationis velo foliorum

liorum ficus, tenui velamine Dei maiestatem sunt, veriti & peccatum sunt coram ipso confessi, qui & à culpa fuerunt absoluti, secundum quod scriptum est: *Hæc est quæ illum qui primo formatus est à Deo, Pater orbis terrarum cum solus esset creatus, custodiuit & eduxit illum à delicto suo*. Sap. 10. Confitens autem, non quod Deus non videt, manifestat confitendo, sed eundem placat se recognoscendo.

Vnde propheta ait: *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam &c*. Psal. 31. Quid est confiteri peccatum? nisi veniam implorare de peccato? Et ideo iudicem peccatorum instituit Sacerdotem qui audita culpa vltionem pænę per pœnitentiam iniungat. *Quorum (inquit) remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Ioan. 20. Datur insuper gloria Deo à peccatore confitente coram vno saltem confessario, suam iniquitatem confitendo. Nam & Iosue ab eo qui offenderat & tulerat de Anathemate, licet occultè diuino præcepto contrauenientè, petijt, *Vt daret gloriam Deo* & suum confiteretur transgressionis errorem. Iosue 7. Ipse namque Deus qui culpa offenditur pœnitentia placatur, & homo qui in peccando intumuerat, confitendo se humiliat, contestatur namque Sapiens: *Quoniam qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem illa confessus fuerit & reliquerit ei misericordiam consequetur*. Prou. 28.

Inter eos Principes qui Romanam rempublicam rexerunt C. Caligula fuisse traditur maximè impudens, vt qui diceret se nihil in sua natura magis probare, quam inuerècundiam. Caligula. Pudor enim vt ad honestas actiones obstat, ita nonnunquam improbæ mentis homines à turpibus reuocat. Vox vt ait Erasmus magis digna carnifice quam Imperatore. Talis erat inuerecunda illa

 vox

Vox huius dolosi Iudæ, quam magis dignam carnifice quam Apostolo censeo : *Nunquid ego sum Rabbi.* Bene de hoc impudente videtur locutus Sapiens: *Sicut Vrbs patens & absque murorum ambitu, ita qui nescit in loquendo spiritum suum continere.* Sicut vrbs enim quę talis est, facilè patet hostium insidijs; ita qui impudens est & inuerecundus in loquendo, præsertim cum manifestæ veritati repugnat, animam habet vndequaque patentem diaboli suggestionibus & deceptionibus. Vnde nec mirum quod postmodum in eum ingressus fuerit, vt in eo plenè dominaretur.

Prou. 25.

Cur intinctum panem dedit.

Sed quæritur cur intinctum panem, potius quā panem alium in signum dederit Christus? Hoc factum est ad rei mysterium vt falsum à veris discipulis discerneret. Nec enim alteri quam Iudę panis intinctus datus est, vt ei qui non nisi pinguem ex manu Christi reciperet. Nec desunt Ecclesiastici (inquit Capalla) qui Iudę luem hodie imitentur, qui ad solam pinguedinem muneris Ecclesiastici & beneficiorum obtutus defigentes anhelant, renuunt autem quæcunque non sunt conspersa pinguedine temporalium redituum, quæ autem pinguia conspiciunt, non solum porrecta suscipiunt, sed & inuicem & è manibus distribuentium, quo possunt conatu, extrahere moliuntur.

2. Dat intinctum panem & iure sordidatum vt se sordidum Iudas agnoscat, & à Christo dari vt resipiscat, vt mente peccata recoleret, quæ etsi vt pannus menstruatæ forent, & tincta vt coccinum, tamen aspersa Hyssopo doloris posse penitus contritionis conuersione emundari. Verum quia intinctus panis nullatenus emundari & abstergi possit, cuius iuris immunditia intima panis intrat penetralia Iudę peccatum designat, quo totus cōtaminatus ipse existebat. Immundo Iudæ panis debetur immundus cuius omnia sunt immunda. Sicut enim

enim omnia munda mundis, ita & contaminatis & immundis omnia sunt immunda. Sed quia habitaculum suorum pręcordiorum immundo spiritu præparauerat, sibi mystico sensu panis immundus porrigitur, & vt agnoscat à nemine se posse mundari nisi ab ipso porrigente, & suam necessitudinem significante, secundum quod scriptum est: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* *Iob. 14.*

3. Notandum quod Lucas c. 22. Melius videatur in hoc Christi mansuetudinem & bonitatem expressisse cum dicitur in persona Christi: *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Non est hic verbum quod suam non habeat emphasim. *Ecce* q. d. res sanè miranda. Quid inquam? *Manus,* illa inquam quæ toties indignè se manibus nostris iunxit, tam sordidè res sacras contrectauit, & miracula patrauit, manus quæ pecunias toties furto sustulit, manus quæ suum iugulo conficient hominem. *Prodentis.* Non manus ipsius Petri solum qui cum in maris fluctibus periclitaretur illam mihi porrexit vt adiuuaretur. Non illæ manus (inquam quæ toties super ægros positæ sunt, vt curarentur) non illæ manus quas offerebat, vt & cum pedibus etiam abluerentur. Non manus Andreæ qui duos Christo pisciculos, & quinque panes pręsentabat. Non cæterorũ qui præ reuerentia manũ paropsidi non admouent. Sed manus tradentis, Apostatę, seditiosi, factiosi, malefici, reprobi, proditoris. *Mecum.* Quomodo tecum ille bone IESV, cum nec Angeli desertores potuerint esse tecum, quia te non cognouerunt, te non adorauerunt, honorem tibi debitum non pręstiterunt? Quomodo tecum tanta iniquitas, cum quo tota residet indiuidua Trinitas, & totius curiæ cælestis exercitus? *In mensa.* Quomodo tecum in mensa, quem non debueras in tuam societatem admittere? *Luc. c. 22.*

Me, *non malefactorem, nõ latronem, sed innocentem filium Dei.*

tere? nunquid ille Magdalena melior quæ ſtetit retro ſecus pedes tuos? nunquid melior forſitan Cananea quæ micas de menſa tua ſi potuiſſet accipere, felicem ſe credidiſſet? nunquid Centurione fidelior cuius reuerentia te ſuam in domum non auſa eſt recipere? Sed quomodo tu ipſe in menſa illi panem porrigis? An non erat diſpenſatoris cibos diſtribuere? an forſitan qui omnem verecundiam exuerat, qui te amplius in animo pro magiſtro non habebat, te ſuo credebat miniſterio indignum? Ex hac igitur porrectione panis iterum Chriſti beneuolentia ſatis innoteſcit. Qua ſibi hoſti iurato ſe cupit reconciliare, & omni ex parte renitentem conatur beneficijs deuincire. Præuenit Chriſtus Iudam & quaſi cum ipſo pacem expoſtulat à quo fuerat laceſſitus, nec ſolum verbis ſed beneuolentiæ ſignis offenſus offendentem præoccupat. Etſi ille benefactori ſuo exacerbaretur, beneficijs obdureſceret, & interius intimeſceret, & ſæuius obrigeſceret animo. Iudas in hoc fuit cane frendente effrenior & inhumanior, quia ſolet hero panem & offam offerenti blandiri. Fuit boue rudior & aſino ſtolidior. *Cognoſcit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*, à quo fæni pabulum deſumit.

Beneuolētia Chriſti in porrigendo pane.

Eſai. 1.

CONCLVSIO.

Vtinam Chriſtum in hoc imitari dignarentur, qui vix etiam petitæ paci ab offendente conſentire cernuntur. Superborum potius ad aures sæculi formam præſcribunt, infinitis clauſulis & conditionibus expetitæ paci conſentiunt. Quod ſi rogentur vt primi amicitię & reconciliationis ſigna demonſtrent, nec ad vnum vale perſuaderi poſſunt. Qui quomodo Chriſti ſectatores

tores & Christiani dici possint non video, præsertim cum quod nunc suo docet exemplo Christus alibi pręcipiat obseruandum. *Diligite inimicos &c.* *Matth. 5.*

Hinc patet quod non solum Iudam, sed & nos omnes preuenit in benedictionibus dulcedinis, præuenit beneficio qui nos pręuenit amore, etsi criminibus primum à nobis lacessitus, nos ad pacem inuitat, ad reconciliandum nos secum vocat. *Vocaui inquit & renuistis.* Per nuncios & legatos pacem nobiscum postulat, sicut ait per prophetam: *Ite angeli veloces ad gentem.* Misit & filium, vt saluetur mundus per ipsum per quem reconciliationem accepimus. Misit Apostolicos & Euangelicos viros verbi Dei concionatores. Pro Christo enim legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Vide quam libenter, quam promptè se exhibeat Christus ad componendam pacem nobiscum. Christi disciplinam suscipe, & illum qui tibi se magistrum exhibet imitare. *Desine ab ira & delinque furorem, qui malignantur enim exterminabuntur. Relinque proximo nocenti tibi, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur* (inquit Sap) & subinde sequitur. *Homo homini seruat iram & à Deo quærit vindictam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit reseruat iram & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius. Memento nouissimorum & desine inimicari.* Quid est autem quod desinere iubemur inimicari, nisi à copijs inimicorum nos præseruare & illos non multiplicare? quasi dicat. Tantos enim tamque sæuos habentes inimicos, quibus ex nobis resistere non valemus, quomodo augere nobis inimicos non timemus.

Prou. 1. *Esai. 18.* *Psal. 36.* *Eccles. 28.*

Timebat Pharao ne ingruente aduersũ se bello Iudaicus populus inimicis suis adderetur, & ideo in bello

in bello magis periclitaretur, & sibi videbatur consulere masculos omnes infantes qui nascerentur occidere: *Nos autem quorum colluctatio non est solum aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates tenebrarum harum*, qui cum mundo, carne & dæmone continuis congressibus periclitamur, nobis inimicos cumulamus! Imo potius manum porrigamus; non enim habemus tam impios proditores, nobis aduersarios. Imò nostris potius passionibus inimicemur, vt ijs deuictis & Deo reconciliati pacem ad illum habeamus per gratiam in via, & per gloriam in patria.

AMEN.

CON-

CONCIO DECIMA-SEPTIMA

Tractabit quæ differentia fuerit inter vitam Iudæ, Thaddæi & vitam huius reprobi. Quod ad maledictionem Iudę concurrat maledictio Caini, B'alami & Chore. Et rationes cur ei maledixerit Christus.

THEMA.

Filius hominis vadit, sicut scriptum est de eo, veruntamen væ homini illi per quem &c. Matth. 26.

SÆpè numero apud me cogitans rationes ob quas æterni Patris sapientia Christus duos eiusdem nominis Iudæ ad apostolatus dignitatem vocarit, cur vtrumque per Euangelistas suos alterum post alterum tanquam socios nominari voluerit, mox in mentem venit id non sine summi consilij Sacramento factum esse. Dicant alij quas volent rationes, ego hanc in primis referam quod id nobis subintelligendum dederit, opposita iuxta se posita magis elucescere. Vt altero cadente staret alter, vt ne mox audito nomine Iudæ quod confessionem sonat, frustra confitentis munus assumpsisse crederent, cum eo quem à confessione Christi decessisse viderent. Voluit enim Christus vt si quis

Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuã. Apoc. 3.

quis hoc audito nomine ſcandalum pateretur ob inhumanos Iſcariothis Iudę mores, mox in alterum retorqueret cogitationes, vt ex aduerſo conſideratis Iudæ Thadæi contrarijs directè moribus, proditoris mox repudiato conſortio ad huius exemplum ſuam vitam componerent. Hinc diuinitus afflatum credo fuiſſe eundem Domini noſtri conſanguineum Iudam cum eam epiſtolam Eccleſiæ vniuſali tanquam Catholicam dedicauit, quatenus ipſe qui mores alterius olim confratris ſui Iudæ cæterorumq; huiuſmodi farinę hominum deſcriberet, poſteriſque notum faceret ſe non eſſe illum Iudam neque ad eius cognationem quicquã pertinere qui Dominum tradidiſſet, imò vt proteſtaretur ſuis ſcriptis vitam eius enarrando, cæterorumque huius farinæ hominum hæreticorum deteſtari. Quod vt ita eſſe probemus, quæſo quatenus mecum ad initium progreſſumque iſtius epiſtolę attendatis; In qua videbitis generoſi hominis ſigna quibus ſe ab hac ſuſpicione liberare cõtẽdit.

1. *Iudas Ieſu Chriſti ſeruus Frater autem Iacobi &c.* Duplici Epitheto ſuam indicat cõditionem ſimulque à Iuda proditore ſeipſum diſcernit de quo dictum eſt in actibus. *Notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem &c.* hoc eſt, erat infamis vbique, Chriſti ſeruum ergo ſe nominat, illum autem perfidum proditorem. Deinde Iacobi ſanctiſſimi Hieroſolymorum Epiſcopi fratrem, illum verò Iſcariotem vel à vno vel à tribu Iſachar vel potius à recipiendo & occludendo marſupio, quod Syri dicunt Secar, inter ſuos cognomen accepiſſe ſubindicare videtur.

Vnde Iudas vocetur Iſcariothes.

Feuardẽtius.

Hinc rectè ad mores animaduertit Feuardentius nihil virtuti aut ſaluti obeſſe ſi externum nomen cum infamibus ac reprobis ſortiaris, modo nõ ſis eorundem criminum particeps. Ob id enim nullus damnabitur quod Cain, Nemroth, Cã, Pharao,

Abyron

Abyron, Herodes, Iudas. Denique appelletur nisi eorum fuerit impietatem secutus sicut nec è contra aliquo nomine iusti insignitus, iustus censebitur nisi mores iustorum imitetur. Imò nec ipsa communio exterior in sacramentis, templis, ritibus, aut precibus qua pios cum impijs conuenire sępe contingit, quicquam illis officit vt multis probat August: Nam vndecim Apostoli aliquot annis cum Iuda proditore communicauerunt, & de sancta Ecclesia dicitur. *Sicut lilium inter spinas* &c. Vnde autem spinæ quidam nominantur nisi propter morum peruersitatem? Et ijdem filiæ nisi propter communionem Sacramentorum? Vidit Ezechiel signatos quosdā ne cū malis interirent. Zizania vult Dominus crescere cum tritico. Nulla igitur inquit Aug. malorū commixtio terreat bonos vt propterea velint ab ecclesia rescindi &c. vide eūdē l. 2. Contra Cresconium. Sicut nec Iudas ab impio Iuda altero quicquam mali contraxit quoniam eius malis operibus non adhæsit, etsi per triēnium noctu diuque conuersatus sit.

Aug. l. de Vnitate Ecclesiæ cap. 13.
Cantic. 2.
Ezech. 13.
Matt. 13.
Aug. lib. 2. contra Crescon.

Hinc etiā patet quātū inter hūc & hūc interfuerit discriminis. Ambo Apostoli, ambo eiusdē nomenclaturæ, ābo Chr. miracula viderūt & doctrinā audierūt, sed vnus electus, alter reprobus, vnus ad finē vsq; in vera pietate perseuerauit, alter apostata & desertor euasit. Vnus semetipsū pro C. nomine & gloria in mortē tradidit, alter vt videbimus pijssimum præceptorē hostibus iuratis crucificendū tradidit. Vnus residet nūc in throno cælesti, vnde iudicaturus est duodecim tribus Israel, alter inferis nūc animo mancipatus post resūptū in resurrectione generali proprium corpus seuiorem damnationem expectat. Sic olim ex duobus fratribus Caino & Abele, Ismaele & Isaaco, Esau & Iacobo, alter reprobus, alter vero electus est, ex duobus propè Christum in cruce pendētibus, vnus blasphemijs perditionē sibi

compa-

comparauit, alter misericordiæ petitione confitens & orans paradisum sibi vendicat, completurque interea quod illud diuinum prænunciarat oraculum. *Duo in lecto, vnus absumetur & alter relinquetur*. Ergo nec citò nec temerè nobis est de proximo iudicandum propter nominis impositionem.

Luc. 21.

2. Vt vero in suæ Epistolæ progressu Iudas se nō eum esse ostenderet Iudam, neque cum eius participare delicto sic prosequitur: *His qui sunt in Deo Patre dilectis & Christo Iesu conseruatis & vocatis, misericordia vobis & pax & charitas adimpleatur*. q. d. Ne existimetis me eum esse qui familiaritatem velit inire cum maleuolis hominibus, Christi aduersarijs, vt eorum in manus tradam illum, sed mea conuersatio & meum studium est, cum his qui per merita Christi Redemptoris à Patre sunt dilecti. In Iuda nulla fuit misericordia, neque in pauperes, neque in ipsum Christum, ego verò talem omnibus qualem mihi ipsi misericordiam deprecor. Ille quæsiuit seditione pacem perturbare, ego omnibus optando pacem, seditiones volo exturbare. Ille neque alijs, neque sibi ipsi charus fuit, ego vero & omnes vt meipsum charos habeo.

Postmodum vero ne quidam opinarentur eum esse cui Dominus maledictionem interminatus fuerat, ipsemet maledictis inuehitur in eos qui Iudæ vitam imitantur, ad Christi imitationem, cuius forsitan ipse verba conatur exponere dicens: *Væ illis qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt*, quasi insinuaret. Vultis scire qualis illa fuerit imprecatio Christi in Iudam dum dixit: *Væ homini illi!* &c. talis fuit qualis fuit horum trium Cain, Balaam, & Chore, ipse enim ijsdem cum ipsis fuit irretitus criminibus, imò & maioribus, quod in totius Epistolæ meę decursu patebit. *Væ*

per quem filius hominis tradetur, sensus igitur est iuxta verba Iudę: Maledictio, damnatio Dei patris mei prępotentis, ira sempiterna Iudam manebit, quoniam etsi de me scriptum sit quod debeam tradi, tamen væ ipsi impendet qui suo vitio hoc facit vt id accidat Hoc erit impietatis tuæ (ô Iuda) præmium, hęc tibi merces cum ijs communis quos imitatus es. O ter quaterque infelix! tu tibi ad imitandum non Abelem, aut Abrahamum, aut Moysem proposuisti: Sed è contrario, Cainum hominem Dei contemptorem & fratricidam: Deinde Balaam magum, auarum, consultorem pessimum. Postremò & Core virum seditiosum, rebellem, scismaticum, qui cum vniuersis suæ factionis participibus viuus in infernum præcipitatus est.

Profectò quantum conijcere licet in rebus quæ verisimilitudinis aliquid habent, mihi videtur omnino beatus Iudas exposuisse illo triplici. *Væ* simplex illud *Væ* quod Christus Iudæ interminatus fuerat. Nam & rei veritas ita huic negotio cõcordat, vt non aliam ob rem Epistolam suam contexuisse videatur Apostolus, nam si comminus rẽ inspiciamus. Quis non videat Iudam proditorem primo Cainum in vitijs coequasse?

1. Cain contemsit Deum. Nunquid ago custos &c. *sic Iudas quasi Deũ ignorare credens dicit:* Nũquid ego sum Rabbi.

Prima via Cain vt obseruat seu ardentius ex veteribus hæbreis fuit magna impietas in Deum qua derisit contempsitque omnem doctrinam, quam de illius diuina potestate, sapientia, prouidentia, & iustitia filijs suis tradebat sanctus Pater, & eius tẽporis summus moderator Adam. Habet enim hæbreorum Targum hierosolymitanum dixisse Abeli ipsum Cainum, quem ipse in agrum specie amici colloquij eduxerat: Non est iudicium futurum nec Iudex, nec aliud sæculum, nec merces pro iustis, nec pęna pro impijs &c. Hinc ad eius munera Deum non respexisse declarat, quasi diceret sine fide ac pietate fuisse, sine qua impossibile est

Nõ respexit Deus eius munera.

placere

placere Deo. Hinc Ioannes dicit: *Cain fuisse ex maligno.* An non in hoc Iudas illum est imitatus cū in Arianiſmum, cum in ſchiſma & peſſimam ſacramentariorum hæreſim lapſus? cum ceremonias ſacras inſtitutaque Chriſti contempſit. Et Deum vt hominem tradidit ne dicam vt magum? Applica.

2. fuit hypocrita. *Secunda* Cain via fuit hypocriſis qua fingebat ſe numinis cæleſtis ſtudio teneri, ac illud etiam ſacrificijs exterius colere. Nam offerebat de fructibus terræ, quam iuxta præceptum datum Patri coluerat. In animo verò nulla neque pietas, neque &c. Applica de Iuda quomodo ſe toties aliquo religionis zelo teneri proteſtatus eſt, qui tamen ſub ouina pelle maliciam lupi contegebat? De hoc & de ſui ſimilibus Paulus: *Spiritus manifeſte dicit:* *1. Tim. 4.* *Quia in nouiſsimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis. Dæmoniorum in hypocriſi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes ſuam conſcientiam.*

3. inuidus. *Tertia* Cain via fuit inuidentia fraternæ charitatis. Odio namque in ipſum exeſtuans, primo in praua proditione eduxit eum in agrum foras, à preſentia parentum: Deuium rixatus cum eo inſurrexit vſque ad internecionem. Horrenda hæc ſcelera breuiter enarrat D. Ioannes dicens: *Cain* *1. Ioan. 3.* *occidit fratrem ſuum, & propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, Fratris autem iuſta.* Applica.

4. Deſperauit. *Quarta* via Caini fuit horrenda deſperatio, qua diuinam bonitatem ac miſericordiam blaſphemãs *Greg. 25. moral. c. 7.* ait: *Maior eſt iniquitas mea quam vt veniam merear.* Et hanc ſecuta eſt violenta mors. Applica de *Auguſt. in pſal. 7.* Iuda de cuius deſperatione dicemus in poſterum.

Væ per quem, &c. Væ tibi ô Iuda, & *væ illis omnibus qui tecum errore Balaam mercede effuſi ſunt*, O ter quatérque miſer atque perdite. Nonne ſuffi-

ciebat

piebat tot in sceleribus impietatem primi fatricidæ esse imitatum, sed instar Balaami hominis auari atque maledici, cum maligno spiritu consilium inire? Deinde ad acquirendas & coaceruandas huius sæculi diuitias, incumbere quando illarum studio & desiderio nõ modo paratus fuisti veram fidẽ deserere ac impugnare, sed etiã his malè velle, quibus ab æterno prædestinationis promisso pignore benignè benedixit Deus! Oblatis huius sæculi honoribus pro his cum coniuratis Christi hostibus dextras iungis, consulis vt eum morti tradas, &c. Sed ecce etiam illum Balaamo similem.

Primo, Nota Balaamum fuisse insignem philosophum, astrologum, magum ac vnius veri Dei cognitione (quam Abraham, Isaac & Iacob quondam in Mesopotamia commorantes seminarant) imbutum, verum curiositate & auaritia ductum artibus magicis, diuinationibus, alijsque diabolicis fraudibus, tandem se dedisse testatur Augustinus, scribit enim eum arte magica famosissimum, & in carminibus noxijs præpotentẽ, potestatem nõ habuisse ad benedicendum, sed tantum ad maledicẽdum, eo quod dęmones quos cõsulebat ad maledicendũ & nocendũ tantum inuocẽtur. Adijcit illum plurima priùs artis suæ expedimenta in Oriẽte dedisse ac frequenter hostem armatum vertisse in fugam suis maledictis, alias rex Balaac non plus fidisset ei, quam armatis militibus suis. In hoc porrò laudabilem quod de Christo prophetauit & populo Israeli benedixit, vituperabilem autem cum aras & victimas imposuit dæmonibus, quos consulebat & consuluit vt populus per mulieres deciperetur. Hæc Diuus Augustinus. Videte porrò quam apprimè illum referat Iudas, qui, quantum coniectura probabili licet assequi, vir ingeniosus, & à natura magnę dexteritatis ac iudicij maximi fuisse videtur,

Balaam fuit Philosophus.

Aug. 103. de tẽpore.

Num. 12.

 cui

cui Christus denarios vt Economo commiserit; verum donis à natura concessis abusum esse, Dæmonis persuasionibus facile credidisse, in hoc quidem laudabilem quod Apostoli munus legitimè pro tempore exercuerit, veruntamen in hoc reprehensione dignum, quod in maledictum cadens à tam honorando cætu defecerit, etsi pro tempore bonus fuerit.

Num. 22. ꝟ. 22. *Balaamo similis Iudas.* *Hom. 64. in Ioannē.* *4. Reg. 5.* *Act. 5.* *Ioan. 11.* *Matt. 26.*

Secundo. Nota quam prodigiosæ fuerit auaritię sectator Balaam, qui etiam contradicente Deo, prohibente etiam Angelo, reclamante per miraculum asino, conatus est diuino populo maledicere, & cum id non posset, in eius perniciosissimā ruinam conspirauit. Grauis morbus auaritia, inquit Chrisost. qui & oculos cæcat & aures obstruit, & fera sæuiores reddit. Non cōscientiam, non amicitiam, non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere finit. Hic morbus Giezi lepra perfudit, hic Ananiam & Sapphiram perdidit, hic Iudæorum principes, hic ex apostolo apostatam fecit, hic innumerabilia bella indixit, vias sanguine, fletibus, & lamentis ciuitates impleuit. Hic mensas scelestas reddidit, & cibos iniquitate aspersit. Ideo Idololatriā appellauit eum Apostolus &c. Hactenus ibi Chrisost. *Applica* quod Balaam fuerit secutus Iudas. *Væ igitur per quem filius hominis tradetur.*

Chore Iudas similis *Num. 16.*

Chore verò contradictionem incurrit Iudas qui mores eius est imitatus. Pro quo notandum in Chore damnari & maledici ambitionem, perduellionem & scismaticam separationem, quibus seductores à Deo constitutū primum Ecclesię statum & ordinem turbabant, sicut olim Synagogæ Dathan & Abyron ordinem miscuerant & confuderant. Hi enim ambitione inflati diuinum sacerdotium ad se rapere tentauerunt, & superbia proterui aque turgidi Mosi & Aaroni summis Synagogæ

secto-

rectoribus obaudire detrectantes, insuper affectatæ in populum dominationis ac Tyrannidis eum accusantes, in hanc secum conspirationem ducentos & quinquaginta viros nobiles ac multitudinis proceres initio pertraxerunt. Hinc grauissima in castris excitata est plebis seditio, illis huic parti, isti, alteri impensè fauentibus. Verum Deo Ecclesiam suam administrante & sanctorum suorum iniurias vlciscente, omnes scismatici cum vxoribus, liberis, tabernaculis, & vniuersa substantia horribili terræ motu sub pedibus eorum dehiscentis absorpti, descenderunt in infernum. Vt verò de nostro Iuda loquar quis nescit quam ambitiosus? quamque seditiosus fuerit? ac præsertim cum discipulos ad murmurandum de vnguento tacitè cõmouit, & suo exemplo adduxit? Deinde cum quæstio ageretur quis esset, qui traditurus esset Christum, is qui veritatem nouerat vt seditionis fomitem foueret inter Apostolos, se indubiè talem non esse confessus est, temerè interrogando: *Nunquid ego sum Rabbi?* &c. Sed cur ei maledixit Christus.

De maledictione Iudę loquens in spiritu propheta sic scribit: *Dilexit maledictionem* & veniet ei. *Psal. 108.* In quæ verba August. Quanquam & Iudas maledictionem dilexerit, & furando de loculis & dominum vendendo atque tradendo, tamen apertius populus ille dilexit maledictionem quando dixit: *Sanguis eius super nos & super filios nostros. (Et noluit benedictionem & elongabitur ab eo)* Et Iudas *Ioan. 12. Matth. 27.* quidem quia Christum noluit in quo est æterna benedictio, sed apertius noluit benedictionem populus Iudæorum, cui dixit ille illuminatus à Domino: *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* *Ioan. 9.* Et noluit benedictionem & pro maledicto habuit & respondit. *Tu sis discipuli eius*. Et longè facta est ab eo benedictio quia transitum fecit ad Gentes.

 Sequi-

Sequitur: *Et induit maledictionem sicut vestimentum,* siue Iudas siue ille populus: *Et intrauit sicut aqua in interiora eius.* Ergo & foris & intus, foris sicut vestimentum, intus sicut aqua, quoniam in eius incidit iudicium qui potest & corpus & animam occidere in iehennam. Corpus foris, animā intus. *Et sicut oleum in ossibus eius.* Ostendit eum cum delectatione malefacere & comparare sibi maledictionem, hoc est pænam æternam, quia benedictio vita æterna est. Modò quippe malè facta delectant, sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius Sed ideo maledictio vocatur, quia talibus Deus tormenta prædixit. Tanquam in ossibus autem oleum est maledictio cū homines inde fortes se putant, quia licet eis mala tanquam impunè committere. *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur.* Cum superius iam dixerit de vestimento, quid est quod repetit? An quia dixerat induit maledictionem sicut vestimentum? differt ab eo vestimento quod non induitur, sed operitur. Induitur enim quisque tunica, sed operitur pallio?

Et quid est hoc nisi etiam in conspectu hominum de iniquitate gloriari? *Et sicut Zona,* inquit, *qua semper præcingitur.* Maximè homines ideo præcinguntur, vt ad operandum sint aptiores, ne vestis sinibus præpediantur. Ergo maledictione se præcingit, qui malum non repentinum, sed dispositum aggreditur & ita discit malum facere, vt semper paratus sit. Hæc docte August. & hæc prima est causa cur ei Christus maledixerit, nempe quia maledictionem ipse suam procurauit.

Secundo, vt notaremus & meditaremur reproborum peccata, non sine fructu ac vtilitate in sacris literis esse relata. Etenim sic docemur ab

eis

ctis paribusque cauere atque omnino abhorrere, siquidem cum illis iram Dei in nos accendere, ac in æternum perire vt decet meruimus. Hinc Iustinus ait: Prodest nosse conuersationes à vero alienas, ne quis improuiso studio in eas incidat. Non enim absimiles erunt in pœna qui pares fuerunt in culpa. Hinc Paulus. *Non ergo fornicemur sicut quidam ex illis fornicati sunt & ceciderunt vna die viginti tria millia &c.* Veterum enim delicta sunt ad nostram correptionem. Væ autem miseriæ seu potius malitiæ hominum qui scelera potius improborum quam proborum imitantur exempla. *Oratione Parenetica.* *1. Cor. 10.*

Tertio, voluit innuere Christus hac maledictione quanta cum acerbitate insurgendum in eos qui non facilè corriguntur. Non vtendum lenitate sed rigiditate: *Nam oderunt peccare boni virtutis amore. Oderunt peccare mali formidine pœna.* Maximè autem in rebelles Apostatas, hæreticos, animarum proditores, & hostes diuini nominis hic Apostolicus zelus & feruor debet primas tenere. Hoc idem fecit Esaias in morum corruptores, & pseudo-prophetarum fautores ac imitatores. *Væ inquit genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis.* Ad populorum autem oppressores sic clamat. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.* Contra ebriosos autem. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.* Et in adulatores. *Væ qui dicitis malum bonum.* Hieremias quoque pseudo-pastores increpans ait. *Væ Pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.* Ezechiel quoque in seductores his verbis inuehitur: *Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritū suū, & nihil vident. Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus.* *Esa. 1.* *Esa. 5.* *Ierem. 23.* *Ezech. 13.*

Daniel impudicos iudices qui hęreticorum mores adumbrabant, ait Cyprianus, in eo quod Susannę pudicitiam expugnare tentauerant, vt isti Ecclesię his verbis conuenit: *Semen Chanaam & non Iudæ*, &c. *Inueterate malorum dierum senex.* Dauid zelo accensus *Tabescere me fecit*, &c. *zelus domus tua comedit me. Quis consuget mihi*, &c. *Nonne qui oderūt te Domine oderā? & super inimicos tuos tabescebam?* Sic duro nodo durus adhibendus est cuneus. Et vt Tertullianus scribit de hæreticis. *Ad officium hæreticos compelli non illici dignum est, duricia vincenda est non suadenda* Grauiter ergo delinquunt qui cum huiusmodi proteruis colludunt, dissimulant, aut perfunctoriè de horum iniquitatibus tractāt. Perpendite Athanas. Hiero. Aug. Orig. Cyril. in diuersis Ecclesiæ cum acerbitate insurgentes aduersus Arianos, Iouinianos, Vigilantianos, Manicheos, Pelagianos, Donatistas, Nestor. Demum videamus Ioannem, Paulum, Petrum, Christum denique quomodo in peruersos homines & rebelles inuehantur, & eorum zelum imitemur.

Daniel 13. Psal. 118. & 66. Psal. 93.

Tertull. in scorpias.

CONCLVSIO.

Atque vt concludendo finem faciam, (Christiani Auditores) velim dumtaxat vos memores esse maledictionis illius infructuosę arboris fici, quę non seipsam referebat, sed quemcūque nostrum præfigurabat maledicto proximum, si bonorûm operum fructus non producat. Est enim omnium Philosophorum iudicio homo quædam arbor inuersa, cuius caput est radix, & pedes ac brachia rami, & truncus corporis longitudo. Hinc illa Saluatoris concordat sententia:

Marc. 11.

tia: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. Et illud: *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus, eradicabitur*. Mementote quomodo steriles in figura Christianorum inutilium execrabatur antiqua lex, quomodo mulieres infœcundæ opprobrijs patebant, in signum quod vita nostra maledicto pateret, nisi bonis operibus fouéretur & conseruaretur. Estote igitur vos, *Tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Videte, ne solum aliquando vestrum decidat, sed vt omnia vestra Dei benedictione prosperentur, vt in æterna vita Christi benedictio perseueret.

Num. 15.
Deut. 7.
Psal. 1.

AMEN.

N 4 CON-

CONCIO DECIMA-OCTAVA.

De Iudæ maledictione per Christum. Quod peccato suo non natura maledictum incurrerit. Non licere maledictis vti. Quo genere maledictionis fuerit per psalmistam condemnatus.

THEMA.

Væ per quem filius hominis tradetur. Matth. 26.

Apoc. 8. SAcra D. Ioannis Apocalypsis, inter cæteras suas contemplationes & extaticas visiones, continet, quod quadam dierum audiuit vocem magnam Aquilæ volantis per medium cælum dicentis: *Væ, væ, væ, habitatoribus super terram.* Qui rem propius intuiti sunt, per Aquilam Dei filium accipiunt, qui non absque iusto suę sententię iudicio mundanarum voluptatum, honorũ, delitiarũque amatoribus maledictionẽ cõminabatur. Videtur autem per trinam hãc istius *Væ* ingeminationẽ, miseriam triplicem nobis comminari, si peccatis irretiti remedium pęnitentiæ non quæramus. Miseriam (inquam) quæ culpæ est, alteram quæ pœnę temporalis, alteram æternæ. Tremendæ quidem sunt & multum horrendæ voces huiusmodi, verumtamẽ ego nusquã periculosiorem cõminatio-

Triplex Væ nobis impendet.

nem

nē reperiri posse existimo illa, quæ pro grauissimo peccato Iudæ à Christo (non per Angelicam vocē Christi personam referentem) prolata est. Videtur enim hæc non esse tam comminatio quā cuiusdam præsentis infernalis pœnæ inflictio, præsertim cum tam manifestè per[...]nam demonstret, cui tale maledictum optatur, vt iam maledicto certo certius subiacere videatur.

Hoc enim culpę tam enormis grauitas merebatur, vt quem nihil exhortationis ad pænitentiam reuocabat, tandem maledictum, viuentem & ferè in terminis reprobum ante terminum vitæ condemnaret; vt quantum futurum esset significaretur alterius vitæ infortunium in Iuda, quem iam adhuc respirantem tam infælix successus, & grauamen subinde maneret.

Profectò si quoties huiusmodi maledictis percutiuntur in scripturis delinquentes notauerimus, non absque ratione Christum his asperitatibus & mordacibus verbis vsum esse credemus in persona Iudæ.

Ex quo enim Iudas fur erat, cur non cū latronibus condemnetur? Esa. 33. *Væ qui prædaris, nonne & prædaberis? Tu qui prædicas non furandum furaris?* *Esa. 33.*

Si corde duplex erat & infamis hypocrita, quidni cōueniat illi quod ad Phariseos dicitur. *Væ vobis Scribæ, Pharisæi, hypocritæ qui similes estis sepulchro dealbato*, & totum illud quod ibidem sequitur. *Matt. 23.*

Si auarus erat, nonne illud Væ sequebatur illum. Abac. 2. *Væ qui multiplicat non sua.*

Quod si male rexerat & Apostolatum rexerat, & Episcopatus officium indignè administrarat, quidni maledicto hic subiaceat? Ierem. 33. *Væ Pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.* Et illud Ezech. 34. *Væ Pastoribus qui pascebant semetipsos.*

Si scandalosus nonne in illum quadrat hoc

symbo-

symbolum. Luc. 17. *Væ illi per quem scandalum venit.*

Si iam à gratia defecerat, & à fide iam recessurus ab Apostolatu, nonne debebat hanc vocem audire quæ huiusmodi farinæ hominibus insinuatur? Ecclesiastici 41. *Væ vobis impij qui reliquistis legem Dei,* & illud. Oseæ 7. *Væ eis quoniam recesserunt à me.*

Si deceptor & traditor certo futurus sciebatur, quidni traditoribus edictum maledictum non pateretur? Abac. 2. *Væ qui dat potum amico suo mittens fel.*

Viderisne (Auditores) quam iustè in eum maledicta coaceruantur, in quem omnium pene maledictorum à scriptura congeries concurrit, vt in quoddam omnium vitiorum barathrum, in cloacam & sentinam & receptaculum maledictionis, reprobationis, damnationis?

Vultisne plura ex scripturis audire: nonne per inuidiam alienæ probitatis, scilicet boni operis per Magdalenam patrati, cum serpente huic maledicto se subdiderat? *Maledictus eris super omnia animantia terræ.* Et cum Cain: *Maledictus eris super terram.* Quoniam vero cum propria matre concubuerat, vt dictum est, etiam sequenti maledicto fecerat locum. Deuter. 27. *Maledictus qui dormit cum vxore Patris sui.*

Genes. 3.

Notandum vero in scriptura, nisi semel nunquam à Deo dici maledictum. Deuter. 21. *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno*, quod notauit D. Hier. ad Galat. vt notat author Allegoriarum. Ideo autē dicitur maledictus à Deo Christus, quia in eo posuerat Deus peccata omnium nostrorum. Cæteri autem in Codicibus sacris dicuntur maledicti, non à Deo, sed à peccato suo, vt refert Rupertus in Ionam 2.

Hieron.
Lauretus.

Quod vt melius intelligatis notandum est ex

doctrina

doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 76. Illicitum esse cuiquam animo maledicendi maledicere, scilicet alteri malum imprecando, quod satis conforme est doctrinæ D. Pauli dicentis: *Benedicite & nolite maledicere.* Quod sic intelligendum est. Nemini licere quicquam mali peroptare sub ratione mali, quasi malum aliquod intẽdẽdo. Nam sub ratione boni licita est quędam maledictio, quæ non tam per se maledictio, quam per accidens dicenda est. Sic iustè maledicit Iudex scelerato homini, dũ propter scelera capitali pœna condemnat. Sic Ecclesia cum ferit discolos & proteruos anathemate. Sic & Prophetę sese diuinæ voluntati conformãtes peccatoribus mala precantur, quasi mala prænunciantes. Possumus & quandoque malum pœnæ imprecari sub ratione vtili, vt infortunium vel ægritudinem sub ratione melioris & vtilioris boni quo quis melior euadat. *Conuertantur & erubescant valde velociter.* Rom. 12. Psal. 6.

Alioquin creaturis ipsis siue rationalibus, siue ratione carentibus maledicere blasphemia est, si eas vt Dei creaturas spectemus. Hinc in Epistola Iudę: *Cum altercaretur Michael cum diabolo de corpore Moysi, non fuit ausus in eum iudicium inferre blasphemiæ.* Altercatio autem illa, vt vult glossator, erat, quia diabolus volebat inuenire corpus Moysi, quod post mortem vbi fuerit ignoratur, Deo id nolente, vt patet Deuter. 34. Diabolus vero volebat illud sciri, vt hac via mortales ad Idololatriã traheret. Sed Angelus prohibebat & tamen cum diabolo contendens, nolebat blasphemare eum. Quod si igitur summus ille cælestis militię Princeps, non fuit ausus diabolo & certè maledictionis dignissimo iudicium inferre blasphemiæ, quantò magis nos ab omni maledicto immunes esse debemus. Merebatur equidem diabolus maledictum, sed per os Archangeli blasphemia exire Iudas in Epist. Deut. 34.

non debuit.

Licet attamen quandoque per iustitiæ zelum, si quando nouerimus conformem illum esse diuinæ voluntati, & hoc viris solis qui sanctitate vel euidenti pietate pollent. Genes. 9 dixit: *Noe, maledictus Chanaan seruus seruorum erit fratribus suis.* Act. 8. Petrus maledicit Simoni dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Hinc sunt multum arguendi, qui quauis ex leuitate vel ex animi subreptione, vel ex linguæ lapsu proximis precantur suspendium, pestem, aut aliquod aliud infortunij genus, quod si fiat ex praua consuetudine, vel ex iracundia vel odio, aut quauis mala voluntate, peccatum quidem est, & inter mortalia charitati proximi maximè contrarium; *Charitas enim non irritatur.*

Genes. 9. Act. 8.

1. Cor. 13. Cæterum si creaturas ratione carentes consideremus, quia ex genere entis bonę sunt, maledictioni non subiacent absque maledicentis culpa. Verum si illas consideremus prout ad hominem vel eius peccatum referuntur, sic ea ratione licuit sanctis maledicere. Sic maledixit Christus ficulneę, non vt ficulnea erat, sed vt Iudaicam gentem & Synagogam, ac præsertim synagogæ principes significabat, qui non habebant nisi folia, id est, verba legis sine fructu. Quid mirum igitur si deberent arescere, imo si ab eis regnum Dei deberet auferri.

Matt. 21. Marc. 11.

Accedit etiam quod quandoque res ipsę fuerunt homini quodammodo ad peccatum coadiutrices. Quam ob causam terra fuit maledicta quæ primorum Parentum culpæ quadamtenus subuenerat. Deuter. 28. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui,* &c. *Maledictus eris in ciuitate, in agro,* &c. Vide locum.

Genes. 3. Deut. 28.

Demum creaturæ considerantur ad hominem in ordine ad tempus vel locum, aut aliam no-

centem

centem homini circumstantiam. Sic Iob maledixit diei suę natiuitatis: *Pereat dies in qua natus sum.* Iob. 3. *Iob. 3.*

Vt igitur ad propositum redeamus maledicto Iudam prosequitur Christus, sed vt omni maledictione dignissimum. Non hominem, neque eius naturam quam diligebat, vt in cęteris (quem ob id amicum vocauit) sed peccatū dānauit. Maledictio verò iure in illū ferebatur, qui nunquā aliter victurus, certò sciebatur ab eo cuius iudicia certa sunt & infallibilia. Prohibemur verò maledicere, quia de hominis interiori non facilè nouimus iudicare. Hinc illud Pauli. *Fratres itaque nolite ante tempus iudicare, &c. Sed neque meipsum iudico.* *1. Cor. 4.*

Præuidens igitur veridicus & futurorum ille prę{s}cius propheta Dauid, longè ante maledictiones recensuit quibus subiacere debebat malefidus ille Iudas, quas ex ordine recensebimus.

Dicit igitur propheta psal. 108. Primo. *Constitue super eum peccatorem*, &c. hoc exposuimus alibi 2. *Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum,* quasi dicat. Cum causa illius tractata fuerit in iudicio non abeat illinc, donec impietatis sit condemnatus, & precatio illius exasperet iudicem, & augeat peccatum magis quam remissionem impetret. Quid istiusmodi repulsa calamitosius? Atqui superbarum ea est conditio atque arrogantia mentium, vt ne tantillum quidem se agnoscentes cum Deo ferè audēt in iudicio (vt sic dicam) rixari verum reiectæ atque explosæ mulcta aliqua insigni afficiuntur. Interim verò quæcunque agunt, nedum orant peccatum est grauissimum. Licet illis ob duritatem ex peccandi licentia contractum occultum. Quare subiungit.

Paraphrasis Ioannis Bapt. Folengij. Rupertus in hunc psalmum dicit diabolum vsum Iuda tanquam instrumēto vt Christū occideret, sicut fuerat vsus serpente, ideo cū serpente maledici.

3. *Fiat dies eius pauci & Episcopatū &c.* De dignitatis oblatione loquitur vates. Duas hic igitur imprecatur

catur

catur, tum Iudæ, tum eius complicibus calamitates, vitę nimirum ac dignitatis abscissionem. In ordinem quidem redactus viuat inglorius, imò ignominiosam quamprimum subeat mortem. Insuper.

4. *Fiant filij eius orphani, & Vxor eius Vidua.* Argumentum hinc sumunt nonnulli quod vxorem habuerit Iudas, non est, credo, qui id neget: verum diræ istiusmodi non solum ad Iudam attinent, sed etiam generatim ad omnes qui illius imitantur perfidiam. Nam qui innocuum traducit hominem venditque mendacijs fit par Iudæ.

5. *Nutantes transferantur filij eius & mendicent & eijciantur de habitationibus suis.* Orat Iudę liberos & proditorum filios patrijs à sedibus depelli, incertoque vagari vitæ genere, & sic paterna ab hęreditate exclusos mendicitati fore obnoxios. Ex Hebræo sic ferè: Instabiles vagentur filij eius, & mendicent & inquirant de vastationibus suis: hoc est vbi omnia quæ illorum erãt, deuastata fuerint, prę inopia inquirant, num ex ipsa rerum suarum ruina aliquid quo queant viuere residui sit, atque hoc modo & domi & foris mendicato viuere cogantur. Causam subinde huius calamitosæ inopiæ subnectit.

6. *Scrutetur fenerator omnem substantiam eius & diripiant alieni labores eius.* Irretiat aut (vt vult Campensis) perdat fænerator, exactorque quæcunque illorum sunt, ac, quod maiorem illis excitet dolorem, quæ labore illorum immenso & sudore sunt parta, depredentur alieni. Corradant pænitus quicquid possident fęneratores, exactoresque violentissimi, atque labore congesta vi rapiant extranei. Quid infælicius cum res nostræ integrę à fæneratoribus deglutiuntur raptãturque ab inexorabilibus, decimarum, vectigalium, donorum quoque ac mutuorum exactoribus? Quis vnquam

donauit

donauit inuitus? Donant nihilominus nunc homines, atque ea dant mutuo quorum nulla speratur restitutio. Deestne suus tantæ calamitati cumulus? Audi & Psalmistam plura adijcientem:

7. *Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius*. Forsitan hic precatur. Vt sicut Christo nullus fuit adiutor cum eum inter manus perfidorum militum tradidit Iudas, sic nec illi sit aliquis adiutor cum seipsum suspendio tradet. In desperatione sua moriatur. *Baptista Folengius in hunc locum.* Dicit vero Folengius in hęc verba paraphasticè: Certè quod inops pater à ditioribus spernatur, nec sit inter ciues qui illius subueniat miserię, ferri vtcunque potest: at filios & hos interdum teneros & præ fame ingemiscentes videre, vitæ subsidium magis lachrimis & nuditate quam voce à prætereuntibus rogare, ab omnibus tamen surdis auribus pręteriri, & contemni, quis tam durus Pater est qui totus prę‹dolore non rumpatur? fateaturque se propter liberorum magis calamitatem angi, affligique acerbius quam ob propriam? Vnde non id mirum esse debet si inter acerbissimas diuinę vltionis pęnas hanc quoque connumerari vides, in quá rogat vates vt non sit quē vel ante Patris oculos illius misereatur prolis. Omnem id quidem dolorem superat. Id videre est in Sedechia. Quid adhuc addi posset? Estne aliquid dirius quod non sit dictum? Est sane quid? oro. *4. Reg. 5.*

8. *Fiant nati eius in interitum in generatione, vna deleatur nomen eius* Sit (q. d.) finis illius posteritatis, in secundamque non transeat generationem, sed vnica tantummodo consumpti, vna cum Patris memoria aboleantur filij. Quid vltra?

9. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur*. Longa hic esset disputatio qui fit, scilicet; quod Patrum peccata ferant posteri, cum alio tamen loco asserat Deus filium non laturum

iniqui-

iniquitatem Patris? Verùm quod ad sensum psalmi attinet, est dicendum filios improbos à Deo acerbè puniri, vt penè videantur patrum errata plerunque Dei iudicio æquissimo non animaduersa ferre, pro illisque puniri. Si quidem quamdiu mali sunt filij atque à malis exorti parentibus, illorum meritò dicuntur perferre iniquitates, quippe qui à corrupta producti radice corrupti & ipsi sunt. Quod si tamen à parentum prauitate abhorrent illorumque abominantur vitam, tum quidem Dei filij efficiuntur non hominum. Idcirco de illis illud dici potest Elogium: *Quod filius non portabit iniquitatem Patris*, de illis vero: *Quod Deus illos puniet in tertiam & quartam generationem.* Illud quoque: *Reddam peccata Patrum in filios*, eo quidem modo videtur maiorum scelera maximopere detestari Deus, dum sic in longum mulctas protrahit.

De Matris peccato postea fit mentio, propter sordidum hominis conceptum ortumque immundum, ac propter innatam illi voluptatem in coitu peccato obnoxium. Illud tamen nō ignorandum peccata illa parentum, pro quibus filij dant pęnas ad presentem dumtaxat spectare vitam. Cæterum suum quilibet onus in futuro sæculo ferre cogetur: Quicunque enim peccauerit ipse, non filius aut quicunque alius, luet pœnas. At ne citius quam illorum fert improbitas consumantur, sequitur in textu.

10. *Fiant contra Dominum semper & dispereat*, &c. Iugi, inquit vltione, qui huiusmodi sunt puniantur, vt & ipsi & qui ad illos attinent penitus exterminentur, adeoque in nihilum abeant, vt nulla amplius eorum supersit memoria. Interminabilis sit illorum mulcta coram Domino. Paulò secus detorquet sensum paraphrastes: sint hęc (inquit) veluti ob oculos posita Domino: sed

sed in obliuionem veniat apud homines qui terram incolunt, si quid gessit vnquam memoratu dignum. Vt quid?

11. *Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctũ corde mortificare.* Voces omnes istę maximam præ se ferunt miseriam & calamitatem. Quocirca quid atrocius excogitari vnquam potuit, quam fractum denuo frangere? canemque excoriatum vt est adagium iterum excoriare? Tam quidem graue est scelus quod primum illud posuit vates inter illa propter quæ diræ illæ factæ sunt in superioribus imprecationes. Quia scilicet nunquam illi vel semel in mentem venit misericordiæ in proximos exercendæ, imò ipsum proximum fractum quo eum penitus extingueret, atrocissimo insectatus est odio, lingua &c.

12. *Dilexit maledictionem & veniet ei, & noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Nihil enim tam exactè ab homine Deus requirit, quam misericordiam & charitatem, quibus sanè tanquam pernicibus alis anima ad propriam transuolat originem, qui Deus est in quo præcipuè istæ insunt partes amor & clementia, imò amor ipse solus cuius stimulus est clementia. Alioquin nisi summa in Deo esset misericordia, quid in nobis esset, cui nos tam charé vt nos facit, amaret? cur tam sinceré custodiret?

Rupertus numerat distinctè omnes maledictiones & tot fuisse recẽset quot fuerũt denarij, quibus Christus venditus est.

Cæterum maledictionem hic vocat Dauid Dei execrationem & vindictam, qua hi in primis qui in innocuos crudeles sunt & duri, impetuntur, vnde cæcitas promanat animæ peruersaque consilia, vecordia ac exitialis illa religionis lues superstitio. A benedictione verò quam illius esse misericordiam asserunt mens vegeta ad diuinaque peruestiganda solers & acuta, hanc noluit, illam quã voluit habuit.

13. *Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Cur non in ossa eius vertit interpres, quemadmodum vertit in interiora eius? Vide an quicquam miseriæ cumulo atque execrationi addi posset. Ipsum ait, totum obruat calamitas, occupet, premat, cingat, penetret. Eę quidem sunt proprietates aquæ, olei ac vestis. Obruimur certè aquis & suffocamur, illis maximè quæ internè perfluunt. Olei verò vnctio mirum quam penitus; vel vsque ad ossa penetret. Cæterum veste tegimur occupamurque.

Hisce vocibus vult vates exprimere quam hi deplorati sint & perditi, qui abiecta humanitate ferinos eligunt mores. Nec hoc satis est nisi etiam addat:

14. *Fiat sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur.* Ad significadã rei alicuius perpetuitatem & cognationem, nulla efficacior potuit afferri similitudo quam vestis illius, qua toti ambimur aut balthei quo cingimur: vtraque enim res totum colligit hominem, continetque in sese. Ita agit impietas si quem semel adorta fuerit, eum quippe totum, vt solet corpus tunica aut cingulum, conuoluit, atque adeò strictim coarctat vt vix illum respirare sinat, hoc faciat illi maledictio.

Et hæc sunt maledicta quæ meritò in Iudam congesserat Propheta, quæ sub vnius maledicti voce à Christo prolati continentur: *Væ per quem &c.*

CONCLVSIO.

Vt igitur C. A. ad vos iam me conuertam: Terreat vos diuinæ comminationis hæc tam acerba sententia, & videte ne cui peccato subiacearis stabiles, quo Iudæ complices vos esse testemini. Et

vt cum Moyse vos horter. *Eligite benedictionem vel maledictionem.* Vitam aut mortem, lucem aut tenebras, sed potius maledictionem fugite. Quod vt fiat, virtutis viam ingredimini arctam illam quidem & angustam per quam pauci ambulant, vt de vobis tanquam Deum timentibus illud veritatem inueniat. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Timor ille inquam qui fons vitæ dicitur vos declinare faciet à ruina mortis, & à maledicto quod audire cogentur, qui vitam Iudæ secuti cum reprobis ad sinistram locabuntur & audient, velint, nolint, quod antea elegerint: *Discedite à me operarij iniquitatis.* A quo nos liberet Sancta Trinitas. Amen.

Deuter. 11. *Psal.* 111. *Prou.* 14. *Luc.* 13.

Qui longiorem pro alia Concione volet interpretationem horum verborum legat, D. Augustinum, Iacobum de Valentia in psalmos & omnes, quotquot de Iuda locum hunc interpretantur.

CONCIO DECIMA-NONA.

Perquirit qua ratione Iudas fuerit iteratò à dæmone ad malè agendum possessus. De abusu Sacramentorum. An Christi corpori & sanguini communicauerit? An eius pedes abluerit & quando?

THEMA.

Cum intinxisset panem dedit Iudæ Symonis Iscariothæ, & post buccellam introiuit in eum sathanas. Ioan. 13. v. 26.

Beda in c. 13. Ioãnis. Angeli boni ad bonum, & mali ad malum sunt incentores. Empedoclis de homine opinio.

APposité admodum videntur Angelorum tũ bonorum tum malorum naturam contemplati qui *Incentores* vocarunt, ab illis translatione desumpta qui sopitos quosdam succendunt ignes donec flamma prodeat. Sunt enim in nobis ipsis quędam velut scintillæ, vel igniculi, quæ sunt ad bene vel malè agendum procliuitates, vel animi naturales propensiones quæ vel in memoria, vel intellectu nostro, vel ipsamet voluntate, tanquam in quibusdam cineribus fouentur. Hoc ipsum considerasse visus est Empedocles, qui dicebat hominem animal monstruosum compositum ex ligno & igni, quasi voluisset innuere corpus arbori penitus

nitus eſſe ſimile, vtpotè ad inſtar arboris inconſtans, caducum, fragile, mortale, ruinoſum. *Eſt enim homo arbor inuerſa.* Animam verò igni perſimilem, quæ ſua actiuitate ſenſum, motum, vitamque dat corpori. Hinc ipſa animæ à corpore ſeparatio ignis extinctio vocatur: hinc illa Sapiens Thecuitis loquens de morte filij ſui dicebat Dauidi: *Quærunt extinguere ſcintillam meam.* Spiritus verò Angelici, ſiue cæleſtes, ſiue ſubterranei, ſiue aerij vocantur *flamma ignis.* Et hoc ratione perfectioris, ſubtilioris, & supereminentioris naturæ: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos flammam ignis.* Angeli igitur ſunt illi ſpiritus ignei vel flammei, qui ſcintillas & igniculos noſtros, id eſt noſtra deſideria vel ad bene agendum ſuccendunt, id eſt inſtigant, vel ad malum nos incendunt, id eſt omnibus conatibus promouent, donec de ſcintilla fiat ignis & flamma quę non poſſit extingui, iuxta materiæ pręparationem & diſpoſitionem.

Pſ. 1. lignū quod plātatum eſt ſecus decurſus aquarum.

2. Reg. 4.

Hebr. 1.

Pſal. 103.

Solet enim vehementius & velocius arundinetum quam viride lignum ſuccendere. Atque vbi paleas ſemel flamma complexa fuerit, non facilè recedet ignis donec in fauillas omnia reuertantur. Sicubi bonorum deſideriorum igniculis anima calefacta fuerit facilè per Angelum cuſtodem paulatim ad flammas vſque bonis ſuaſionibus incendetur, vt dicat Spiritus & ipſa mens accenſa: *In meditatione mea exardeſcet ignis, & in lumine tuo videbimus lumen.* Et illud: *Quid mihi eſt in cælo & à te quid volui ſuper terram:* Vel illud. *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Et illud cum Paulo quaſi in extaſin rapto: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia?* &c.

Pſal. 38.

Pſal. 35.

Pſal. 72.

Rom. 8.

E cōtra vero mali ſpiritus qui die noctuq; quærūt

 quem

quem deuorent inuidia quadam succensi nostra desideria si mala sint succendunt, incendunt & inflammant vt vlterius peccatis peccata coaceruando cumulus in tantum accrescat, vt iam non igniculus sit aut scintilla, sed flamma quę non possit extingui. De hac dicitur per Ecclesiasticum: *Ne incendaris flamma ignis peccatorum.* Et vt ad propositum veniamus. Prima Iudæ proditoris peccata erant quidam velut igniculi seu desideria per cupiditatem in cordis meditullio, tanquam in cineribus nutrita, quæ postmodum dæmonis instigationibus eousque sunt accensa, vt iam peccati flāmam, hoc est consuetudinem deserere nequiret. *Sunt illæ immissiones per Angelos malos,* quæ teste D. Thoma voluntatem non immutant, sed ad appetendum cogitata instigant, & ad implenda quæ conceperint desideria promouent, per modum persuadentis & passionem incitantis. Et eo sensu dicuntur immittere vel incendere. O quam verè & plenè consummatum fuit incendium, quando denuo in Iudam; *Intrauit sathanas.* Quę verba vt exponat D. August. primo concordat dicta Euangelistarum sic dicens: Ioannes sibi ipsi repugnare videtur, quia iam dixerat superius antequam istam buccellam acciperet. *Et cæna facta cum iam misisset in cor* &c. Quomodo enim intrat in cor, nisi immittendo persuasiones cogitationum iniquarum? Sed nunc intelligere debemus à diabolo Iudam plenius esse possessum sicut contra in bono illi qui iam acceperant Spiritum Sanctū, quando eis post resurrectionem insufflauit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum,* postea enim cum desuper missus esset die Pentecostes vtique plenius acceperunt. Vbi videtur insinuare Augustinus quod Iudas post calicem Christi traditum, & cæteri Apostoli iterum accubuerunt, & tunc dictum est à Christo: *Manus me tradentis mecum est,* &c. quod tunc accepta buccella

Eccles. 8.

Psal. 77.
Thomas. 1. p. q. 111. art. 2.

Quid sit immittere in cor.

Ioan. 20.

cella intincti panis intrarit in cor Iudæ sathanas.

D. Ambros. illud aduerte quia cum interficitur impius, Christus infunditur, & vbi abominatio aboletur, sanctificatio congregatur, quia Dominus dixit: *In ea die qua interfecero omne primogenitum Ægypti, sanctificabo mihi omne primogenitum Israel.* Quod non ad vnum diem afflictionis Ægypti referes sed ad omne tempus: cum enim renunciatur improbitati statim ascitur virtus: egressus enim maliciæ virtutis operatur ingressum, eodemque studio quo crimen excluditur innocentia copulatur. Habes hoc in Euangelio, quia vbi sathanas immiscuit se in corde Iudę Christus recessit ab eo, momentoque eo quo illum recepit, hunc amisit. Hęc præclarè Ambrosius.

Ambrof. tom. 1. de Cain & Abel c. 4. Exod. 12.

D. Ioannes Chrisost. vt ostendat Iudam cum cęteris accubuisse, eiusque impudentiam declaret, dicit Euangelistam Matthæum dixisse Christum vespere facto cum duodecim accubuisse. In hoc enim legis decretum seruauit præcipientis, vt cum tota domesticorum familia, Pater familias agnum ederet.

Maldon.

Exod. 12.

Veruntamen sunt quidam qui de Iuda dubitant. Nam sunt qui putant nouorum sacramentorum corporis & sanguinis Domini perceptioni non interfuisse vt Hilarius. Iam enim cum Christus agnũ edit discessisse existimat, vt cum Principibus sacerdotum ageret. Alij cęnę agni interfuisse putant, sacramentorum vero participationi non ita: quod asseueranter scribit Clemens. In qua sententia & Innoc. l. 4. de myst. alt. c. 13. videtur esse Argumẽta quibus probari potest hęc sunt.

Hilarius canone 30 in Matthaeum.

Clem. Apost. const. l. 5. cap. 16.

Primum quod Ioannes c. 13. scribat Iudam, simul atque buccellam à Christo porrectam accepit exijsse, buccellã autem illam ante distributionem sacramentorum datã illi à Christo fuisse credendũ est, cum corpus & sanguinem suum vltimo loco dede-

Ioannes 13. V. 30.

Luc. 22. Joan. 13. Vers. 2. Matt. 26.

dederit, & vt ait Lucas: *Postquam cenauit*, & vt Ioãnes cæna facta. Non igitur corpus & sanguinem Christi Iudas accepit.

Secundum, quod Christus de Sacramento sanguinis sui, vt videtur loquens versu 29. dixerit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Cum Iuda autem in regno Patris postea illud non bibit, ergo nec ante biberat.

An Iudas communicauerit.

Tertium: quod credibile non sit Christum fecisse quod nos facere prohibuit, vt corpus & sanguinẽ suum homini sceleratissimo nulla facta pœnitentia conferret. Nam quod quidam respondere solent fuisse quidem Iudam peccatorem, sed non publicum, cuiusmodi hominibus sacraméta negari non debeant, nescio quam verum sit, iam enim illũ Christus & data buccella ostẽderat & nomine prodiderat. *Tu dixisti*. Itaque cum corpus & sanguis Christi exhibita sunt, nemo Apostolorũ ignorare poterat Iudam esse proditorem. Hæc opinio satis probabilis videretur, nisi contraria plures haberet auctores & magis vulgo reprobata esset. Fuerũt etiã qui dicerẽt Iudam & cænæ agni, & cænę cõmuni & perceptioni corporis & sanguinis Christi fuisse prę-sentẽ eaq; percepisse, sed sanguinem quidẽ bibisse, corpus verò seruasse vt ad Principes sacerdotũ deferret, illisque per derisũ ostenderet quid Christus corpus suum appellasset, & quasi magnum quiddã discipulis suis tradidisset, queadmodum Theophilactus recitat, quod cum nulla probetur cõiectura, non est refutandũ. Omnes quotquot sunt auctores alij, præter supra memoratos, censent Iudã toti interfuisse actioni, corpusq; & sanguinem suscepisse. Cypria. l. de cæna Domini Chrisost. hom. in Matth. 82. & homilia de præd. Iudæ. D. Hieron. in Mat. 26. D. August. epist. 63. & tract. 62. in Ioannẽ. Theodoretus in c. 11. 1. ad Cor. Leo ser. 7. de pass. Domini.

Hæretici nostri tẽporis id fecerunt. Theoph. in 26. c. Matth. Mirabilis & execrabilis hypocrisis.

Potest

Poteſt & hæc ſententia ita probari quod credibile non ſit Iudam à menſa ſurrexiſſe, antequam omnia peracta eſſent, antequam ad Principes ſacerdotum abiret, hac enim ratione proditionẽ ſuam quam celare tantopore volebat, prodidiſſet. Deinde quod Lucas poſt datam a Chriſto Euchariſtiam de Iuda tanquam adhuc pręſente Chriſtum loquentem inducat: *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo qui pro vobis fundetur.* Veruntamen *ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*, ergo quod ait Ioannes Iudam accepta buccella ſtatim exijſſe, aut ita intelligendum eſt, vt Chriſtus poſt datam Euchariſtiam buccellam dederit vt proditorem indicaret, aut ita vt aduerbium illud *continuo* quo Ioannes vtitur, non temporis momentum, ſed breuiſſimum ſignificet interuallum, quanquam illud prius mihi magis placet, quia Ioannes ita videtur loqui, vt indicet buccellæ acceptionem cauſam fuiſſe, cur Iudas quaſi irritatus quod ſe indicatum videret, abſceſſerit.

Solutiones obiectionum.

Luc. 22.

Quod autem Chriſtus dicit *Non bibam* &c. non cogit vt dicamus Iudam tunc non adfuiſſe, quia etſi cum eo poſtea non bibit, cum alijs bibit, quod ſatis fuit vt dicere potuerit: *Donec bibam vobiſcum*, quia *vobiſcum* ad maiorem partem refertur. Res igitur ita ſe habet: Quod Chriſtus illa nocte qua per Iudam traditus eſt, tres fecit cœnas: *Prima* fuit legalis illa Paſchalis agni, ante illam Chriſtus non lauit pedes vel ea inchoata, quia ſtando fiebat, de lotione autem dicitur: *Cum ſurrexiſſet à cœna. Secunda*, fuit communis quæ finita iam paſchali cœna (quæ non tam exſatiandæ, nutriendeque naturæ quam ſeruandæ legalis ceremoniæ cauſa ſumebatur) apponi ſolebat, vt qui agnum ederent, ſi largiore ad ſaturitatem indigerent cibo, vſitatis cibis ſaturarentur. Poſt hanc Chriſtus lauit pedes, & ideo quam optimè dicitur:

Tres cœnas fecit Chriſtus. Ioãnis 13.

Cum

Cum surrexisset, scilicet à cęna communi, *lauit pedes*. *Tertia* fuit Eucharistia quam nemo Euangelistarum, vt videre est, cœnam vocat, quamuis iniuria sic vsurpata sit ab hæreticis, tanquam nomine ex scripturis desumpto.

A Iuda cepit lauare pedes.

Opinio Origenis.

Leontius.

Simile Origenis.

Cur lauit pedes.

August.

Per parenthesim hic licebit adijcere quod Origenes, Chrisost. & Theophilactus existimant ab Iuda cæpisse lauare pedes, & vt de proditore suo benemereretur, eumque beneficio quodam deuinciret singulari, nobisque pręberet exemplum, vt eodem modo nos erga inimicos nostros gereremus, & vt si qua ratione posset illum ad pœnitentiam commoueret, vel quia ipse primus Iudas lauandos pedes obtulit, vt Leontius ait, qui cum Origene dicit & Christum vltimo loco Petro lauisse pedes, in eoque Christum imitatum fuisse peritos medicos, qui cũ multos habent ægrotos ab ijs incipiunt, qui grauissimè laborant. Id quoq; videntur Euangelistę verba præ se ferre, qui cum prius dixisset cepisse lauare pedes discipulorum, postea addit: *Cum ergo venisset* &c. *ad Petrum*, quasi ab alijs lauare cæpisset. Propterea vero Christus pedes discipulorum lauit, vt externo illo doceret symbolo non debere homines impuros atque illotos ad sumendam sacrosanctam Eucharistiam accedere. His beneuolentiæ signis nihil Iudam remorantibus: post accubitum primum & secundum, post transitas tam charitatiuæ lotionis & distributionis, ac sãguinis Christi ceremonias, post indignè sũpta mysteria, moxque post buccellam panis iure tincti acceptam. *Introiuit in eum sathanas*, ita vt introitum buccellæ in os & ventrem secutus sit statim introitus sathanæ, sed ex vitio ipsius Iudæ qui sic se habuit, ac si diceret: vtcumque velis me deterrere, & lenitate tua abstrahere à proposito meo, manebo tamen in hoc meo instituto. Non fuit autem procul dubio (vt & Augustinus annotauit)

tauit) ille panis intinctus Eucharistia, cum hanc vt ex Luca patet omnes acceperint ante sermonem de proditore. Tamen ex eo quod in Iuda accidit, discimus quantum sit malum de mensa Domini sacrum accipere panem, conscientia adhuc sceleribus scatente & proposito peccandi coinquinata. Hunc enim panem Christus in signum amicitię porrigit, proinde qui fingens cum Domino amicitiam, inter fideles hunc accipit panem, non pascitur eo nec viuificatur, sed diaboli magis mancipium efficitur, iudicium sibi manducans.

Apostasia Iudæ.

1. Intrat quia Deus recedit.

Intrauit ergo sathanas in eum tanquam stabilem possessionem suscipiens: Nam à Christo nunc se Iudas discipulatui renuncians, separauit, ab eoq; omnino per indignationē quandā recedere decreuit. Sicque intelligendus est Ambrosius dicens: Vbi se sathanas immisit in cor Iudæ, Christus recessit ab eo, momentoque illo quo illum recepit, hunc amisit. Denique sic scriptum: *Post buccellam introiuit in eum sathanas,* intellige hoc de completa & integra separatione. Et eadem ratione intelligendus Chrisost. dic. Donec in aliorum numero fuit non est ausus in illum ingredi, sed extra oppugnabat, postquam verò palam factus est, licenter iam irrupit, neque enim inemendabilis erat amplius in eorum consortio tolerandus, ideoque eijcitur, quibus verbis significant hanc dæmonis possessionē in animum Iudæ, quia iam in totum à Christo recedit, & eius consortio renunciat. Non autem huius ingressus buccella causa fuit, quæ bona & signum dilectionis ad emendationem erat, ille verò bonum sua malicia & peruersitate in malum conuertit. Bonum enim male vtentibus nocet. Nam & cibus vitæ male accipientibus mors est. Hac ratione buccella nocuit, quia male accepit beneficium vt docet August. tractatu 62. propter ingratitudinem, qui tot beneficijs ingratus à suo malo propo-

Ambros. l. 2. de Cain & Abel. c. 4.

Chrisost. hom. 71.

August. 62. in Ioannem.

Cyrill. Alex. l. 9. c. 16. proposito non destitit. Idemque dicit Cyrillus: Beneficium enim nocet ingrato, non ex se, sed ingratitudine accipientis. Animus enim iniquus beneficio peior efficitur.

Nota bene 3. Quod intrat quia se videt insidijs patere. Præterea quia Iudas iam se manifestum alijs arbitratus est, videns Petrum ad Ioannem conuersum, & Ioannem secreto cum Christo colloquentem, posthęc autē sibi soli buccellam datam cum sibi maximè conscius esset, existimauit iam suā iniquitatem alijs reuelātam esse, idcirco in malo omnino obfirmatus est vt fieri solet, licentiosius enim peccat homo, quando peccatum quod occultè perpetrabat, iam ad aliorum notitiam peruenire cognoscit. Exemplum igitur nobis sit à Christo non recedendi Iudas, quem diabolus à Christo relictū, & à societate sanctorum pręcisum, ita inuasit animamque eius ita occupauit & sensus, vt deinceps nihil aliud (nisi vix) posset, quam quod diabolus præcipiebat. Et hoc est quod psalmista dicit: *Constitue super eum peccatorem & diabolus* &c. Super *Psal. 108. August.* quę verba sic August. hoc vtique vt super se diabolum habeat meruit, id est, diabolo subditus sit qui Christo subditus esse noluit. Stet autem à dextris eius dictum est, quia opera diaboli præposuit operibus Dei, hoc enim cuique non immeritò dextrum dicitur quod pręponit, sinistræ dextra pręponitur. Ideoque & de illis qui sæculi gaudia præponentes Deo: *Beatum dixerunt populum cui hac sunt,* *Psal. 134.* dictum est rectissimè. *Dextera eorum dextera iniquitatis.* Vnde quod dixerunt: *Beatum populum cui hac sunt,* dictū est de ijs. *Quorum os* &c. debet etiam ipse dicere, quod in eodē psalmo sequitur: *Beatus populus cuius est Dominus Deus ipsius.* Huic enim nō diabolus est à dextris sed Dominus. Sicut & alibi *Psal. 19.* dicit: *Prouidebam Dominum in consp.* &c. Diabobolus ergo stetit a dextris eius, quando pręposuit auaritiam sapientiæ, & pecuniam saluti suę, vt

eum

cum traderet à quo debuit possideri, ne ab ipso possideretur cuius opera ipse Christus soluit, à quo noluit possideri. Hæc ille.

Idem in eundem psalmum exponens illa verba; noluit benedictionem sicut exponemus alio sermone, valde moralem habet expositionem.

Primo ergo notandum quanta fuerit arrogantia in Iuda, qui permiserit se à Christo lauari absque contradictione, vel saltem leui aliqua excusatione. Quis Apostolorum quęso tam impudens fuisset, à quo si tale tamque abiectum officium facere cæpisset Christus, qui saltem aliquam excusationem non pręmisisset. Restitit primus, post hunc Petrus, idque fecissent cæteri nisi, Petrū reprehēsū intelligerēt, aut si primi fuissent, vt opinatur Theophilactus; Et tu Iuda (si ita est) primus es & nihil dicis? Credo te fauorem Christo exhibere, te credere quod ei permittas hoc obsequium, impiè & arrogans, & quis scit an apud se tam sanctum hoc seruitium irrideat.

Verba Theophilacti vel similia.

2. Notanda est eius hypocrisis & perfidia, qui tam temerè se sacramentis, tam admirandis immisceat & ingerat imparatus. Diximus nuper hunc Iudam hæreticum, ac pręsertim in materia Eucharistiæ primarium & Coriphæum. Nonne dixi non credidisse cū Capharnaitis, Christum carnem suam dare posse ad manducandā? O Deus bone, en quanta sequitur hypocrisis Sacramento non credere, & tamen ad illud accedere! non secus ac si credidisset dum audit: *Hoc est corpus meum* &c. ridet, dissimulat, tamen cum hypocrisi, neque veretur impius ore sacrilego, non secus, ac alij fideles Apostoli, simulatorie sacramentum tam excelsum recipere. O diabolicam amentiam! O horrendam impudentiam! O detestandam hypocrisim! Quid attentas impiè, quid facis?

Hoc documentum est Aug. 62. tract. in Ioannē qui & notat ingratitudinē.

Ecce tu ignem voras, mortem ruminas, infernum deglutis. Sed ô Iuda peior omni dæmone, imo homo diabolice, (si te iam diabolum dicere non audeo, in humana specie) quæ tua fuit cogitatio cum audisti. *Hoc est corpus meum &c*. Cum illam diuinam faciem in te conuersam vidisti? sed nō intuitus es radiantes oculos, misericordiam respirantes, cælos serenantes, istam faciem tēpestatibus silentium imponentem, & eam in quam desiderant prospicere Angeli, cum te istis oculis videri cōspicique vidisti qui pietate pleni sunt? qui ad cor vsque Petri penetrarunt, ad te autem non pertigerunt, quia tuum non repererunt consensum? quid cogitabas cum videres illam manum ori tuo admoueri, quæ mundum formauit & cælos regit? Cum videres in cibum tibi sacratissimū illud corpus porrigi? an tunc subsannare in te ipso an tremere incipiebas? Mouebaris, an ridebas? timebas an contemnebas? Quicquid sit non veretur tangere, aut fingit aut ridet, aut timet & recipit ore quod corde non credit. Interim dum Christi bonitas & impietas Iudæ pugnant ad inuicem, bonitas sese dans, impietas tradens. *Hic est sanguis* quem iam vendidisti. Hoc est corpus ô Iuda quod iam tradidisti precio tam exiguo, vendis corpus & offero me tibi totum quod perdere cupis. O scelerate, hæretice, murmurator, latro, arrogans, hypocrita. Et his similia.

Hic videbatur dicere Christus. Ecce do me tibi, vendidisti me trade me. Chrisost. hom. 3. de Resur.

D. Ioannes Chrisost. hom. *3.* de resurr. sic dicit de Iuda: Quid cęnam illam liberalem commemorem vbi tingebat discipulus mendax digitum? edebat cum pane cædem, & sorbebat cum sanguine potionem? O crudele proditoris conuiuium. Rogo quibus oculis aspiciebat quem sub dente premebat! Parricida pariter & conuiua vendidit argento dominum, fecit de magistro ferale commercium. Accepit aurum & perdidit Deum. Ipse

autem

autem Iudas inter epulas carnifex, inter nectareos cibos amarus vipeream cruentat animam, & cæcum alit sub pectore vulnus. Accepit à Christo mox buccellam quam malè sibi conscia mens ferre non potuit. Cucurrit ad Iudæos. Pensat in precio mortem suam qui dum alienum sanguinem vendit &c. Hæc ille.

Perditionis filius Hebraica phrasi dicitur, quasi ad perditionem destinatus, sicut dicitur AntiChristus à Paulo. Non quod ideo ille perierit quod adeò ad interitum, non solum vt August. loquitur, prædestinatus, sed etiam factus esset quemadmodum moderni docent hæretici. Nam si voluisset vt ibidem dicit August. & Leo magnus etiam per sanguinem quem vendiderat, etiam post venditionem saluus esse poterat. Quod vero dicit vt scriptura impleretur vt ibi non dicit consecutionem, sed rei euentum tanquam ex scriptura apparentem quasi sic accidisset. *Cur perditionis filius dictus. in psal. 68 & Leo. serm. 113. 5. de pass. Nota hoc vt reponas vbi agitur de filio perditionis.*

Cum essem cum eis seruabam eos in nomine tuo, id est, in virtute tua diuina & potentia, & efficax erat & sufficiens custodia, sed perijt Iudas sua mera malitia.

Prou. 23. *Quando sederis ad mensam vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Chrisost. hom. 60. & 61. ad popul. Antioch. Si Christus nos attenderet & non suam infinitam potentiam iam à nobis abstulisset sua diuina sacramenta, quia indignè ea tractamus. Hæc ille. *Prou. 23. Chrisost. hom. 60. & 61. ad pop. Antiochenū.*

Quotusquisque enim nostrûm est qui vita viuat tali, quam decet illum, qui quotidie vel frequēter hoc vtitur Sacramento: Neque enim vulgaris eorum debet esse viuendi ratio, qui se præ cæteris Deo familiares faciunt in huius sacramenti frequentatione. Dicit enim Ioannes, vel per Ioannē ipsemet Saluator: *Sicut misit me viuens pater &* *Ioānis 6.*

ego viuo propter Patrem &c. Quis ille est nostrûm qui vita viuat diuina? Imo quis ille nostrûm est qui vitam suam non reddat ab humanis moribus (ne dicam damnis) alienam? Diabolicam non diuinã, non Angelicam, non humanam ducunt vitam, qui Iudam imitantur. Atque hinc fit vt eos multa sequantur tum animę tum corporis incommoda. Nam & ipsa sacramentum hoc indignè sumentis temeritas, sæpius secum infirmitates corporis adducit, de quibus Doctor Gentium. *Ideo inter vos*

1.Cor. 11. *multi infirmi & imbeciles, & dormiunt multi: &c.* Et quia fit vt eodem Paulo teste rei fiamus corporis & sanguinis Domini, non mirum est quod sæpe per Sacramentorum abusum sathanas in cor nostrum ingrediatur. Quod sępe suo tempore memorat accidisse B. Cyprianus.

Cyprianus serm. de lapsis.

Hęc enim proprietas panis esse dicitur à Prophetis. *Vt confirmet cor hominis.* Quid potuit igitur buccella operari in eo qui impius erat & dolis plenus, non instituit buccella sed confirmat, igitur nõ impium ipsa facit, sed impium sumẽtem in impietate corroborat, iustum vero consolidat in iustitia secundum quod scriptum est. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc, & qui nocet noceat adhuc.* Hic panis prestat, operatur, hæc Dei beneficia in mentibus vel piorum inducunt vt vnde humiliantur isti, insurgunt illi. Vnde Dei digitum ad se conuertunt isti, Dei digitum in se concitant illi. *Nolunt, benedictionem & ideo elongabitur ab eis &c.*

Psal. 103. *Proprietas panis.* *Apoc. 22.* *Psal. 108.*

Esto autem: Non est hæc buccella panis ille viuus vel ille panis diuinus Eucharistiæ cum non fuerit vllo verbo à Christo consecratus, imò soli Iudæ traditus, cuius institutionis sacramenti apud Euang. recensetur memoria quod omnibus sit traditũ & ipsi Iudæ adhuc occulto proditori exhibitum; figamus hic pedem quid de illo pane cęlesti indignè

1. Obiectio.

sui indignè sumpto credimus, qui communem tantum panem quod mera beneficētia datum à Christo videmus, temerè desumptum tantum Iudæ damnum præstitisse, vt etiam sathanas totum sibi Iudam acquisiuerit, apertè conspicimus?

CONCLVSIO.

Attende igitur quanta opus est discussione, quāta oportet puritate pollere ad mensam Christi properantem. Quomodo hic sectarij suam incredulitatem & infidelitatem non arguunt, qui tantam irreuerentiam, imò & tam arduam contestationē audiunt, qua nulla maior in his qui indignè sumunt & ad illud indignè accedunt? Quid superest rogo hoc tantum conculcantibus sacramentum, tam temerè illi detrahentibus, & contra illud debacchantibus, nec non sacrilegas manus in illud inijcientibus, nisi vt in eos intret sathanas?


Cæterum hinc auspicari nostrum exitium & Ecclesiæ detrimentum possumus, qui indignè accedimus, indignèque sumimus tantum sacramentum & Iuda plerumque peiores efficimur, qui irretiti peccatis corde sordidato, panem sumimus corda confirmātem. Qui tanta abutimur præstantia, qui malè sumimus quod bonum in se est, & impræparato animo quod ad medicinam ordinatum est, & ad salutem in venenum & exitium pro mala sumentis dispositione cōuertimus. *Diiudicate igitur vos ipsos*, &c. Si dicis verò: vt quid hic Iudā calumniamur quod indignè sumpserit hunc panē, cum panis vsitatus fuerit, & talē esse crediderit. Dicere possumus ad hoc quod quia tanquam incredulus consecratum panem, vt vsitatum sumpserit, 2. obiectio.

serit,

ſerit, merebatur etiam ex manibus Chriſti panem vſitatum ſumendo in prioris delicti pœnam à diabolo poſſideri. Quoniam etſi quia infidelis erat non credebat ſe aliud quam panem cum cæteris accepiſſe, tamen non debebat qui tam humaniter panem à magiſtro porrectum accipiebat, poſtmodum magiſtrum prodidiſſe. Videant igitur qui panem vtrumque ſumunt indignè, neque porrigentis manum attendunt, neque pro vſitato pane gratias agunt, vel pro conſecrato conſcientiam diſponunt, ne contingat illis vt iudicium ſibi manducent, & ſic in æternum damnentur, à quo nos præſeruet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

AMEN.

CON-



CONCIO VIGESIMA.

Docens quod Deus non sit causa malorum quæ Iudas aut alij fecerunt. De eorum erroribus qui Iudam bene fecisse credunt tradendo Christum. Quod diuina sit permissio non mandatum.

THEMA.

Quod facis fac citius. Ioannis 13.

EA est fabrilis architecturæ ratio, vt qui magnificas aliquas ędes à fundamentis ad culmen vsque velit erigere, prius seriò similitudinem siue figuram aliquam in intellectu suo reperiat, ad cuius instar pręfatas ædes componat. Idem solet & in alijs operibus contingere. In illius enim mente qui aliquid ex ratione meditatur operari, oportet aliquod exemplar præcedere, tanquam depictam tabellam, quę sit exemplar ipsius rei in effectum producendæ. Quantò magis igitur in ipso rerum omnium sublimi Archetypo? Est enim eius æterna mens quoddam promptuarium omnium Idearum seu formarum, quæ res omnes creatas, creandas & fieri possibiles ad instar alicuius speculi representant. Quod & claré patet ex ipsis scripturis, rationibus & authoritate. D. Ioannes satis id declarat dicens: *Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Ipsum enim quod à Deo ab æterno intelligitur, in Deo viuere censetur.

Omnia habent ideam in Deo, præter peccatum.

Ioannis 1.

tur. Ipsum enim Dei viuere, est scire, & intelligere, vt dicit D. Thomas: quoniam verò Deus summa sua & infinita bonitate Deus est & deitate bonus, cum malum non cognoscatur ab ipsó per propiam rationem, (cum sit merè non ens) sed per rationem boni cuius malum est priuatio: Hinc est quod malum in Deo nunquam habuerit Ideam siue formam ad cuius exemplar potuerit Deus aliquod malum facere. Itaque ratum fixumque maneat Deum nec peccare, nec peccati causam esse vel fuisse, vel esse potuisse. Id videtur intellexisse Proclus Platonis discipulus qui dicebat: *In Deo non relucet Idea mali.*

D. Tho. 1. p. q. 18. art. 4. Idem ibidem q. 15. art. 3.

Proclus.

Tertullianus dicebat ob id in Deo peccatum nec peccati causam cadere posse, eò quod peccare posse sit impotentia, sicut non posse peccare potentia est & quidem perfectio.

Tertul. l. contra Marcionē

Quæ autem adducimus eo dicimus, quod non defuerint sicut nec modo desunt hæretici qui temerè sceleratoque corde, ac ore blasphemo non vereantur asserere malum à Deo causante procedere. Hic error (Alphonso à castro teste) tribuitur cuidam Hieresiarchę Florino & post eum Blasto, contra quos scripsisse Irenæum olim fatetur Eusebius Cæsariensis ad Blastum de scisimate librum vnum, & ad Florinum, quod Deus non sit causa malorum, librum alium. Veruntamen quantum hoc sit alienum à veritate probat ipsa ratio, conuincit authoritas, testatur Christus ipsa veritas dicēs: *Non potest arbor bona malos fructus facere.* At *Deus solus bonus est* ex se & à se. D. Paulus: *Si radix sancta & rami.* Et quis sanctus nisi is de quo & coram quo duo Seraphim clamabant alter ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus &c.

Alphonsus titulo Malum. Euseb. l. 5. histor. c. 16.

Matt. 7. Matt. 18. & Marc. 18. Rom. 11.

Sed *obijcies* illud Apostoli dicentis: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid figmentum dicet*

Obiectio.

dicet ei qui se finxit, quia me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem Vas in honorem aliud Vero in contumeliam? Ex quibus verbis videbitur alicui Paulum dicere mala esse à Deo, cum dicat Deum aliqua vasa fecisse in contumeliam. Veruntamen aliter se res habet. Pro cuius intelligentia, veniamus ad id quod nostri est instituti ne videamur extra materiam vagari. *Rom. 9.*

Nonne videtur is fuisse causa peccati ipsius Iudæ, qui hominem reprobum elegerit in Apostolatu, sacrilegum tolerarit? malè agere gestientem, & agentem non impedierit? imò in manus eius se prodere volentis vltrò proiecerit? Sed illud magis vrget quod post lotionem pedum, postquam certò certius prædixisset discipulis in conuictu familiari præsentibus, futurum ex illis qui illum traderet, postquam etiam sibi dilecto Ioanni, suo pectori incubanti insinuasset eum fore facinoris huius perpetratorem qui secum paropsidi manus admoueret, tandem dixerit: *Quod facis fac citius.* An non dicam hæc vox ne dicam permittentis sed imperantis esse videretur, nisi Christus huic imperio contrarius esse diceretur? Ratione verborum huiusmodi dicit *Ioannes Maldonatus* insignem illum tot malorum nostræ ætatis cum dæmone coauthorem aliquando dixisse non minus proditionem Iudę quam conuersionem Pauli opus fuisse Dei. Opinio sanè digna tali magistro, digna perfido, nec indigna homine planè proprijs malis ac erroribus perdito. *Maldon. in cap. 13. Ioannis.* Lutherus

Huic difficultati procedit obuiam Chrisostomus satisfacitque in interpretatione horum verborum: *Nunquid ego sum Rabbi?* & illorum. *Tu dixisti.* *Chrisost. hom. 82. in Matt. tom. 2.*

Sed obicjet (inquit) quispiam: Atqui si est scriptum hæc fuisse passurum, quamobrem Iudam qui scripta perfecit criminamur? Quia non illo certè animo, sed improbitate sola in illud facinus fuit impulsus. Nam nisi mentem respicias ipsum quoque diabolum ab omni crimine liberalis. Sed non est ita. Malè enim vterque meretur supplicia, etiamsi orbis salutem inde consecutus est. Quippe non Iudæ traditio, sed sapientia Christi atque potentia salutem peperit vniuersis. Christus enim improbitate aliorum ad salutem nostram vsus est. Sed iterum inquies: Quid igitur? si Iudas non prodidisset, aliusne ipsum prodidisset? Quid hoc porrò ad quæstionem? Quia inquies crucifigi omnino Christum oportebat, nec crucifigi poterat nisi per homines. Quid si erga ipsum omnes boni fuissent? hæc pro salute nostra dispensatio non processisset: *Et tandem huic obiectioni respondet Chrisostomus*: Absit hoc omnino, nam inestimabilis sapientia Christus si ita contigisset, nouit quomodo res dispensanda fuisset. *Hæc præclarè Chrisostomus.*

Quibus responsis abundè videtur ijs fecisse satis qui sinistrè hęc verba retorquent, vel qui per maleuolentiam Deo propter hęc tanquam malorum iussori, cooperatori, ne dicam effectori videtur obloqui. Accipite igitur horum Christi verborum appositam expositionem.

Toletus. *1. Ne timidus videatur.* Videns dominus inemendabilem Iudæ maliciā & firmum proditionis propositum, ne ille existimaret se timore aliquo eum beneficijs affecisse, nempe lotione pedum, communione corporis sui, & buccella intincta, quasi his omnibus sibi timēs eum retrahere vellet, & non potius illi consulere, idcirco dicit: *Quod facis fac citius*, id est, ne me existimes timore aliquo te tot beneficijs detrahere à mala tua cogitatione studuisse. Quod facis, id

est,

est, quod facere iam decreuisti exequere cito & celeriter, non contradico, nec obsisto, nec timeo. 2. Rursus ne existimaret Iudas se a Christo non posse impediri, & suas fraudes inanes reddere si vellet, propterea dicit: *Fac citius* quasi dicat: Quod facis vtique facere nisi me permittente non posses, ne me tibi resistere non posse arbitreris. Fac citius non prohibeo. Si enim prohibere vellem non valeres efficere. 3. Rursus ne videretur ignorasse quis recumbentium esset eum proditurus, & Iudas id putaret, ideo hæc verba profert, q. d. scio te esse & tuam proditionem sciens tibi consului, nec ergo ignorantia nec vllo timore à malo proposito tuo te auertere curaui. sed tuo bono, nec potentia mihi deest te impediendi si vellem. Fac igitur quæ facis. Est igitur quidam modus loquendi eorum qui non curant, vel timore non mouentur aliorum factis. Non igitur sunt verba præcipientis, sed permittentis ob has causas.

2. Ne putet impediri non posse.

3. Ne videretur ignorare.

Ferus in Ioannem dicit hæc verba, non solum ad ipsum Iudam dirigi, sed ad dæmonem qui in ipsum iam intrauerat, & ei maximè q. d. Tuum opus ô diabole quod semper tibi facere cordi est fac citius. Prophetas occidisti, Iudæorum animas ingressus, lapidasti eos qui salutarem doctrinam afferebant, nemini qui a Deo missus esset pepercisti. Ego post ipsos veni, nec ignoro te nequaquam quiescere posse, quare quod solitus es facere, imò quod dudum lubenter fecisses, nisi te prohibuissē nunc fac, non te amplius prohibeo.

Hæc opinio est Cyrilli lib. 9. cap. 17. Ad dæmonem.

Similis locutio est ac si fortis quispiam hosti suo diceret, quem scit infirmum & confusibiliter vincendum irrisoriè, immo minitabundus dicat: Fac quod facis citius vt meam fortitudinem experiaris. Sic Christus diabolum ad ea quę præparauerat velocius currere iubet, vt citius victus a tyrannide sua orbem dimittat.

Sic Goliath ad Dauid.

Sed obicjet (inquit) quiſpiam: Atqui ſi eſt ſcriptum hæc fuiſſe paſſurum, quamobrem Iudam qui ſcripta perfecit criminamur? Quia non illo certè animo, ſed improbitate ſola in illud facinus fuit impulſus. Nam niſi mentem reſpicias ipſum quoque diabolum ab omni crimine liberalis. Sed non eſt ita. Malè enim vterque meretur ſupplicia, etiamſi orbis ſalutem inde conſecutus eſt. Quippe non Iudæ traditio, ſed ſapientia Chriſti atque potentia ſalutem peperit vniuerſis. Chriſtus enim improbitate aliorum ad ſalutem noſtram vſus eſt. Sed iterum inquies: Quid igitur? ſi Iudas non prodidiſſet, aliuſne ipſum prodidiſſet? Quid hoc porrò ad quæſtionem? Quia inquies crucifigi omnino Chriſtum oportebat, nec crucifigi poterat niſi per homines. Quid ſi erga ipſum omnes boni fuiſſent? hæc pro ſalute noſtra diſpenſatio non proceſſiſſet: *Et tandem huic obiectioni reſpondet Chriſoſtomus*: Abſit hoc omnino, nam ineſtimabilis ſapientia Chriſtus ſi ita contigiſſet, nouit quomodo res diſpenſanda fuiſſet. *Hac praclarè Chriſoſtomus.*

Quibus reſponſis abundè videtur ijs feciſſe ſatis qui ſiniſtrè hęc verba retorquent, vel qui per maleuolentiam Deo propter hęc tanquam malorum iuſſori, cooperatori, ne dicam effectori videtur obloqui. Accipite igitur horum Chriſti verborum appoſitam expoſitionem.

Toletus.

1. *Ne timidus videatur.*

Videns dominus inemendabilem Iudæ maliciā & firmum proditionis propoſitum, ne ille exiſtimaret ſe timore aliquo eum beneficijs affeciſſe, nempe lotione pedum, communione corporis ſui, & buccella intincta, quaſi his omnibus ſibi timēs eum retrahere vellet, & non potius illi conſulere, idcirco dicit: *Quod facis fac citius*, id eſt, ne me exiſtimes timore aliquo te tot beneficijs detrahere à mala tua cogitatione ſtuduiſſe. Quod facis, id

eſt,

est, quod facere iam decreuisti exequere cito & celeriter, non contradico, nec obsisto, nec timeo. 2. Rursus ne existimaret Iudas se a Christo non posse impediri, & suas fraudes inanes reddere si vellet, propterea dicit: *Fac citius* quasi dicat: Quod facis vtique facere nisi me permittente non posses, ne me tibi resistere non posse arbitreris. Ea ç citius non prohibeo. Si enim prohibere vellem non valeres efficere. 3. Rursus ne videretur ignorasse quis recumbentium esset eum proditurus, & Iudas id putaret, ideo hæc verba profert, q. d. scio te esse & tuam proditionem sciens tibi consului, nec ergo ignorantia nec vllo timore à malo proposito tuo te auertere curaui. sed tuo bono, nec potentia mihi deest te impediendi si vellem: Fac igitur quæ facis. Est igitur quidam modus loquendi eorum qui non curant, vel timore non mouentur aliorum factis. Non igitur sunt verba pręcipientis, sed permittentis ob has causas.

2. Ne putet impediri non posse.

3. Ne videretur ignorare.

Ferus in Ioannem dicit hæc verba, non solum ad ipsum Iudam dirigi, sed ad dæmonem qui in ipsum iam intrauerat, & ei maximè q. d. Tuum opus ô diabole quod semper tibi facere cordi est fac citius. Prophetas occidisti, Iudæorum animas ingressus, lapidasti eos qui salutarem doctrinam afferebant, nemini qui a Deo missus esset pepercisti. Ego post ipsos veni, nec ignoro te nequaquam quiescere posse, quare quod solitus es facere, imò quod dudum lubenter fecisses, nisi te prohibuissē nunc fac, non te amplius prohibeo.

Hæc opinio est Cyrilli lib. 9. cap. 17. Ad dæmonem.

Similis locutio est ac si fortis quispiam hosti suo diceret, quem scit infirmum & confusibiliter vincendum irrisoriè, immo minitabundus dicat: Fac quod facis citius vt meam fortitudinem experiaris. Sic Christus diabolum ad ea quę præparauerat velocius currere iubet, vt citius victus a tyrannide sua orbem dimittat.

Sic Goliath ad Dauid.

Deinde si ad Iudam referimus verbum, permissio est talis, qualis in Iob scribitur: *Ecce in manu tua est*. Imò hoc verbum nihil aliud est quam iudicium & condemnatio Iudæ in sua malitia obstinati. Talis enim est sermo qualis solet esse parentum erga deploratę & desperatę mentis filios. Quasi diceret Christus: Quoniam nullis meis beneficijs ad resipiscentiam inuitaris, age, perfice quod cæpisti. Non te amplius prohibeo. Noluisti me audire, quære ergo diabolum. Prædico tamen tibi te hoc non impunè laturum. Amodo tuo te relinquam arbitrio, nihil pro te curabo siue pereas siue non. Hic monebis discolos.

Iob. 2.

Opinio Ambr. l. 2. de Cain & Abel. c. 4. Vt quia introierat in eum sathanas ipse abiret à Christo, vide locũ.

Verè horrendum iudicium sic à Deo derelinqui. Hinc non abs re Dauid precatur. *Ne projcias me à facie tua & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

Psal. 50.

Hinc etiam promptitudo Christi ad patiendum, resignatio in patris manus, desiderium fructuosæ redemptionis; quæ deducere poteris latiore discursu. *Festinauit vt gigas ad currendam viam suam:* & alibi *Baptismo habeo baptizari. Quomodo coarctor vsque dum perficiatur.*

Psal. 18.
Luc. 12.

Chrisost. dicit esse verbum reuocantis ad emendationem. Aug. dicit esse verbum prædicentis malum Iudæ, nobis verò bonum quod impendebat à passione Christi.

Chrisost. hom. 7 in Ioannem.
Aug. trac. 62.

Ratione vltimæ rationis non defuerunt hæretici Caini, nomine à Patriarcha Cain sic dicti qui temerè assererent, nos magno beneficio erga Iudam teneri tanquam ei qui nostrę redemptionis causa esset. De hac hęresi mira scribit Epiphan. l. 1. contra hęreses tit. de Cainis, vbi multis verbis enarrat quod præfati hæretici laudent Cainum & suum Patrem faciunt. Hi dicunt Cain ex fortiore virtute esse imò ex superna authoritate, imò Esau & Chore & Sodomitas. Abel verò ex

Epiphan. l. 1. cõtra hæreses.

De heresi Cainorũ.

rò ex debiliore virtute esse. Gloriabantur se cognatos esse ipsius Cain, Sodomitarum, Esau & Chore. Et hi inquiunt perfectę ac supernæ cogitationis sunt. Quapropter etiam creatorem huius mundi aiunt circa ipsorum sublationem ac deletionem occupatum nihil potuisse lædere. Occultati enim sunt ab ipso & translati ad supernum sæculum vnde fortis virtus est. Sapientia enim ipsos ad seipsam adduxit vt qui proprij ipsius sint. Et ea de causa Iudam exactè de his cognouisse dicunt. Nam & hunc cognatum suum esse volunt & in cognitionis excessu eundem connumerant vt etiam libellum quendam ex nomine ipsius inscriptum ferant, quem Euangelium Iudæ vocant. Et *post multa alia* dicit iterum: Alij dicunt eo quod malus esset Christus traditum esse à Iuda cum peruertere vellet doctrinam legis, & dicunt ea de causa: tradidit ipsum quoniam volebat dissoluere ea quæ rectè tradita erant. *Alij verò ex ipsis*. Non (inquiunt) sed cùm bonus esset, tradidit ipsum Iudas iuxta cælestem cognitionem. Nouerunt enim inquiunt Principes quod si Christus traditus esset cruci debilis, ipsorum virtus euacuaretur. Et hoc aiunt, quum nosset Iudas tradidit ipsum iuxta cęlestem cognitionem, & omnia commouit vt traderet ipsum, bonum opus faciens nobis ad salutem. Et oportet nos laudare ac laudem illi tribuere quoniam per ipsum parata est nobis crucis salus. Cæterum omni modo hi seducti sunt quod nō bonū quendam colunt ac laudant. Palam est autē quod hęc ex diabolo ipsis insita sunt ignorantia videlicet & seductio: impletur autem in ipsis id quod scriptum est: *Væ his qui dicunt bonū malum, & malum bonum, tenebras lucem, & lucem tenebras, qui dicunt dulce amarū & amarū dulce.* &c. vide etiā eundē Epiphaniū eodē loco de Auar. Iudę.

Euangeliū Iudæ.

Opinio mala hæretica.

Esai. 5.

Huc vsq; Epiphan.

D. Aug. t. 6. l. de Heresibus idem asserit de Caianis

Deinde si ad Iudam referimus verbum, permissio est talis, qualis in Iob scribitur: *Ecce in manu tua est*. Imò hoc verbum nihil aliud est quam iudicium & condemnatio Iudæ in sua malitia obstinati. Talis enim est sermo qualis solet esse parentum erga deploratę & desperatę mentis filios. Quasi diceret Christus: Quoniam nullis meis beneficijs ad resipiscentiam inuitaris, age, perfice quod cæpisti. Non te amplius prohibeo. Noluisti me audire, quære ergo diabolum. Prædico tamen tibi te hoc non impunè laturum. Amodo tuo te relinquam arbitrio, nihil pro te curabo siue pereas siue non. Hic monebis discolos.

Iob. 2.

Opinio Ambr. l. 2. de Cain & Abel. c. 4. Vt quia introierat in eum sathanas ipse abiret à Christo, Vide locũ.

Verè horrendum iudicium sic à Deo derelinqui. Hinc non abs re Dauid precatur. *Ne proijcias me à facie tua & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

Psal. 50.

Hinc etiam promptitudo Christi ad patiendum, resignatio in patris manus, desiderium fructuosæ redemptionis; quæ deducere poteris latiore discursu. *Festinauit vt gigas ad currendam viam suam:* & alibi *Baptismo habeo baptizari. Quomodo coarctor vsque dum perficiatur.*

Psal. 18.
Luc. 12.

Chrisost. dicit esse verbum reuocantis ad emendationem. Aug. dicit esse verbum prædicentis malum Iudæ, nobis verò bonum quod impendebat à passione Christi.

Chrisost. hom. 7 in Ioannem.
Aug. trac. 62.

Ratione vltimæ rationis non defuerunt hæretici Caini, nomine à Patriarcha Cain sic dicti qui temerè assererent, nos magno beneficio erga Iudam teneri tanquam ei qui nostrę redemptionis causa esset. De hac hęresi mira scribit Epiphan. l. 1. contra hęreses tit. de Cainis, vbi multis verbis enarrat quod præfati hæretici laudent Cainum & suum Patrem faciunt. Hi dicunt Cain ex fortiore virtute esse imò ex superna authoritate, imò Esau & Chore & Sodomitas. Abel verò ex

Epiphan. l. 1. cõtra hereses.

De heresi Cainorũ.

rò ex debiliore virtute esse. Gloriabantur se cognatos esse ipsius Cain, Sodomitarum, Esau & Chore. Et hi inquiunt perfectę ac supernæ cogitationis sunt. Quapropter etiam creatorem huius mundi aiunt circa ipsorum sublationem ac deletionem occupatum nihil potuisse lædere. Occultati enim sunt ab ipso & translati ad supernum sæculum vnde fortis virtus est. Sapientia enim ipsos ad seipsam adduxit vt qui proprij ipsius sint. Et ea de causa Iudam exactè de his cognouisse dicunt. Nam & hunc cognatum suum esse volunt & in cognitionis excessu eundem connumerant vt etiam libellum quendam ex nomine ipsius inscriptum ferant, quem Euangelium Iudæ vocant. Et *post multa alia* dicit iterum: Alij dicunt eo quod malus esset Christus traditum esse à Iuda cum peruertere vellet doctrinam legis, & dicunt ea de causa: tradidit ipsum quoniam volebat dissoluere ea quæ rectè tradita erant. *Alij verò ex ipsis.* Non (inquiunt) sed cùm bonus esset, tradidit ipsum Iudas iuxta cælestem cognitionem. Nouerunt enim inquiunt Principes quod si Christus traditus esset cruci debilis, ipsorum virtus euacuaretur. Et hoc aiunt, quum nosset Iudas tradidit ipsum iuxta cęlestem cognitionem, & omnia commouit vt traderet ipsum, bonum opus faciens nobis ad salutem. Et oportet nos laudare ac laudem illi tribuere quoniam per ipsum parata est nobis crucis salus. Cæterum omni modo hi seducti sunt quod nõ bonũ quendam colunt ac laudant. Palam est autẽ quod hęc ex diabolo ipsis insita sunt ignorantia videlicet & seductio: impletur autem in ipsis id quod scriptum est: *Væ his qui dicunt bonũ malum, & malum bonum, tenebras lucem, & lucem tenebras, qui dicunt dulce amarũ & amarũ dulce.* &c. vide etiã eundẽ Epiphaniũ codẽ loco de Auar. Iudę.

Euangeliũ Iudæ.

Opinio mala hæretica.

Esai. 5.

Huc vsq. Epiphan.

D. Aug. t. 6. l. de Heresibus idem asserit

de Caianis

Aug. l. de Hæresibus c. 6.

Caianis, Caiani (inquit) sic appellati, quia Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis, simul & Iudam traditorem diuinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant, asserentes eum præsciisse quantũ esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Iudęis propterea tradidisse. Idem Theodoretus l. 1. hæreticarũ fabularum, & Irenæus l. 1. aduersus hæreses.

Veruntamen non opus est alia subiungere ad hanc hæresim abrogandam, quam quæ in Euangelio traduntur de bonitate ipsius Christi, & de ipsius Iudæ malicia. Superest vt vnum dicamus etiam quosdam fuisse qui dicerent malos reges aut pseudoprophetas non a sua venire voluntate, sed à Dei iussione. De qua opinione Castro de malo. Sit tamen quiuis huius sententiæ author, constat illam esse à fide Catholica alienam. Nam Hieremias ad Sedechiam regem Iuda, & ad populum eius loquens ait: *Subijcite colla vestra sub iugo regis babylonis & seruite ei, & populo eius & viuetis. Quare moriemini tu & populus tuus & gladio, & fame, & peste, sicut locutus est Dominus ad gentem, quæ seruire noluerit regi babilonis. Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non seruietis regi babilonis, quia mendaciũ ipsi loquuntur vobis, quia non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetabant in nomine meo mendaciter vt eijciant vos & pereatis tam vos, quam propheta qui vaticinantur vobis.* Dicit hic de falsis prophetis quod non miserit eos. Et de malis Regibus per Oseam prophetam loquens ait: *Ipsi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt & nõ cognoui.* Quibus verbis decem tribubus Deus exprobrat quod Hieroboam & succedentes illi reges præter Dei voluntatem reges instituerunt. Mali ergo reges non mittuntur a Deo vt mali sint, sed suo ipsorum arbitrio mali fiunt, sed permittuntur. *Effeminati dominabuntur eis.*

Alphonsus à Castro de malo.

Hiere. 27.

Osea. 8.

Esa. 3.

Verum

Verum obijcient illi quod in lib. Reg. legitur de Ahia propheta Silonite quod lacerauit pallium suum in 12. sectiones, ac decem quidem dederit Hieroboam prædixeritque illi: *Rex decem tribuum eris.* Et postea dehortans Roboam regem à bello quod parabat facere aduersus Israelitas vt illos ad suũ imperiũ reduceret, dixit Deus: *A me enim factũ est verbum hoc*: quibus verbis videbatur testatus esse Deus se decem tribuum regnum tradidisse Ieroboamo, ergo ille regnauit ex Deo. Cui resp. quod multa dicuntur facta à Deo: quæ permissiuè facta sunt, ita scilicet quod malignis hominũ voluntatibus obstare noluerit, sed illos ex proprio eorũ arbitrio agere permiserit. Deus enim non est culparũ nostrarum author. Sic etiam accipiendum est quod de malo propheta qui populo propter illius iniquitatem datus est, Dominus ait: *Et cum errauerit propheta & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Alioquin enim & deceptiones & fallacias prohibet. Quando vero dicit: *Ipsi regnauerunt sed non ex me*, sic accipere debes, quod non Dei consilio factum sit. Sed vt apertius intelligas duo notanda sunt in Rege aut propheta. Alterum est propria illius nequitia, alterum quod malus existens alijs prophetet aut regnet. Primum nunquam est à Deo. Et si de hoc intelligit hęc sententia quæ docet malos reges aut prophetas esse à Deo, non solum est hæresis, sed aperta in Deum blasphemia. Alterum est quod cũ Rex aut propheta ex se sit, hoc est suo arbitrio iam malus sit, Deus illum mittit vt prophetet aut vt regnet populo alicui malo propter sua peccata. Ille autem sic missus non à Deo mittitur vt prophetando decipiat aut regnando tyrannidem exerceat, sed postquam suo arbitrio malum factum Deus mittit, ad aliquod bonum sinit illum iuxta suam malitiam agere vt sic populum puniat. Et quidem hoc verum

3. Reg. 12.

Obiectio.

Resp.

Ezech. 14.

Nota.

est

Iob. 34. est. Nam vt ait Iob. *Regnare facit Hypocritam propter peccata populi.* Non facit illum hypocritam sed cum ille iam sit hypocrita & malus, illum Deus regnare facit propter peccata populi: Et per Esaiã Prophetam Dominus ait: *Væ assur, virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum & contra populum furoris mei mandabo vt auferat spolia & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.*

Dabo eis pueros principes. *Esa. 3.* *Esai. 10.* *Attila Goth. Rex vocabatur flagel.*

2. Thes. 2. Et Apostolus Paulus ait: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio.*

Quod ad propositum nostrum ergo de Iuda Christus ei non præcepit sed permisit, vt quia malus erat per eum accelераretur negotium passionis. Sæpius enim Dei permissio eius actio iudicatur in scripturis. *Ego inquit indurabo cor Pharaonis.* Tunc enim Deus peccatorum corda obturat, cum illos pro magnitudine suæ bonitatis tolerat, non eos statim puniens, sed expectans ad pœnitentiam, propter cuius benignitatem & patiẽtiam qua peccatores abutũtur, & quotidie peiores euadunt, quemadmodum Dominus habens seruum improbum quem humaniter & benignè tractans facit deteriorem, non quidem quod Dominus seruum malicia imbuat sed quod seruus sit abusus Domimini benignitate ad agendum maliciam suam

Exod. 4. *Simile.*

Rom. 9. Ad eundem modum etiam intelligendum est Paulij verbum superius allegatum quo ait: *alia Deum facere vasa in honorem, alia in contumeliam,* facit enim Deus omnia quod ad eorum substantiam. Iuxta autem illorum bonitatem & malitiam aliter se habet. Nam illorum bonitatem facit Deus cum illorum bono arbitrio libero

Vide locũ vbi dicit quod ad ostendendum suã potentiam

quod

quod simul cum Deo operatur. Illorum vero malitiam Deus non operatur, sed solum illorum liberum arbitrium. Postquam ergo fecit vasa, lapsa sunt in ignominiam, facta est natura bona à Deo, malitia autem venit abs homine, prout sequente concione annotabimus. *cū magnā patientia sustinuit vasa iræ apta in interitū.*

Notandum insuper non sine diuina permissione plures reperiri, quibus etiam illud verbum eque bene possit dirigi, sicut & ipsi Iudæ: *Quod facis fac citius*, ijs videlicet quorum accelerata damnatio tanta non est quanta foret, si diutiùs viuentes in peccato perseuerarent. Ea est ratio cur dicatur vnumquemque Deus in meliori quo fieri potest statu ab hac vita vocare, etiam impios, ne videlicet magis peccando, magis etiam damnentur: hinc fit quod Tyranni nunquam ad ætatem iustam perueniant; iuxta illud: *Viri sanguinum nō dimidiabunt dies suos.* Videbat igitur Christus damnationem Iudæ fore tam pœnosam vt ex compassione moneat accelerari eius supplicium, ne magis extensum & intensum foret in inferno. Nam sicut quanto magis filius à paternis recedit legibus, eo se maiore dignum pæna constituit: sic & peccatores, & ipse Iudas quamdiu in ista animi contumacia perdurabat, congerebat carbones damnationis super caput suum, longior enim obdurationis huiuscemodi mora maiorem pertrahebat culpam. Nam & repentini casus etiam humanis quoquomodo excusantur legibus, eo namque grauius efficitur peccatum quo longior mora versatur in animo. Quæ circumstantia morositatis, presertim si deliberata fuerit in confessione propalanda est, quia etsi speciem non variat, peccatum tamen quo diutius in animo persistit eo grauiùs efficitur & repetitus sæpius actus voluntatis, quasi in vno peccato plura

Fuit vtilitas Iudæ proditiōnis acceleratio.

Psal. 54.

plura peccata committit.

Vrget igitur hic diminutionem accidentalem ipsius pęnę quam passurus erat Iudas. Vrget etiam mori, & sollicitat propter salutem nostram. Surgamus & nos saltem pro salute nostra. Grandis enim nobis restat via, sollicitemus ergo & currere qui post cursorem progredimur.

Capalla de serm. dominico. *Postremò*: Colligimus ex istis verbis Christum voluisse Iudam tanquam incorrigibilem ab Apostolorum suorum consortio reijcere, vt bene notat Capalla quasi diceret: Te impium ex nunc à consilio iustorum separo, te excommunicatum à domo mea repello, te lupum ab ouibus meis segrego, te sathanam à filiorum Dei consortio eijcio. *Quod facis tu fac citius*. Nos alio itinere ambulamus nos aliò tendimus, nobiscum venire non vales, qui aliò tendis. Nos in consilio impiorum non abimus & in via peccatorum non stamus, nec in cathedra pestilentiæ sedemus, qui te vltra sufferre non possumus. Ideo te expedias, & quod facis elongando te à nobis scientiam viarum nostrarum repellens, fac citius. Sic docuit nos sapiens: *Noli ambulare nec commoreris cum impiis, quia pedes currunt ad malum*, id est, ad præcipitium, ad interitum, ad infernum. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*. Te vltra sufferre nequimus, nobis effectus es grauissimus qui vlterius te sustinere non valemus. *Patiens fui, vsquemodo sustinui vt parturiens loquar. Quod facis fac citius.* Nobis consule, vade in adinuentionibus tuis. Non est conuentio lucis ad tenebras.

Psal. 1.

Prou. 2.

1. Cor. 5.

Esai. 42.

O quàm grauis est iustis impiorum societas! ô quam insupportabile iugum societas malorum! *Non potes duobus Dominis seruire*. Ideo quod spopondisti adimple, quod elegisti perfice, Tu superbus, tu detractor, tu murmurator, inuidus, auarus, crudelis, hypocrita, tu hostis veritatis,

Matt. 6.

exosor

exosor paupertatis, insidiator honestatis, æmulator pacis, discordię seminator, tuique Magistri proditor. Nil iam nobiscum commune habes, Ideo *Quod facis fac &c.*

CONCLVSIO.

Vt igitur concludam: Caueamus nos à malorum consortio, & si lactauerint nos peccatores non ambulemus cum eis, nec commisceamur malorum societatibus. *Sex namque sunt quæ odit Dominus, & septimum quod detestatur anima eius. 1. Oculos sublimes. 2. linguam mendacem. 3. manus effundentes innoxium sanguinem. 4. Cor machinans cogitationes pessimas. 5. Pedes veloces ad currendum in malum. 6. Testem fallacem proferentem mendacia. 7. Et eum qui seminat inter fratres discordias.* Prou. 6. Hos Christus repellit à suo consortio, Iudas illius fratricidæ Cain in facinore socius, pari dolere potest ærumna. *Ecce* (inquit ille) *eijcis me hodie à facie terræ & à facie tua. Abscondar & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me occidet me.* Genes. 4. Genes. 4. Imò Iuda non alij te, sed tu te desperatus occides. Isa. 48. *Scio quia durus es tu & neruus æneus ceruix tua, & transgressorem ex vtero vocaui te.* Esa. 48. Et ideo perditio tua ex te.

Idem iudicium videtur de Iuda quod de maledico legitur spiritu illo seductore: *Egressus est* (inquit) *Spiritus & stetit coram Domino & ait: Ego decipiam & egrediar, & e o spiritus mendax in ore prophetarum. Cui dixit Dominus: Decipies, & praualebis, & egredere & fac ita.* 3. Reg. vlt. Statuerat malignus contra Regem Achab consilium, ne prophetis Domini pręstaret fidem, quod permisit Dominus vlterius non impediens, ne scelestus ille suis deceptionibus caperetur in ea in qua oblectabatur impietate.

Pro 2. parte conclusionis hinc discite quod sicut impij velut citati & veloces sunt ad quoduis malum, ita nos ad bonum quod necessarium est esse debemus, citatissimi, vt de nobis dicatur: *Qui sunt hi qui vt nubes volant?* Veloces pedes ad effundendum sanguinem Iudas habebat, qui iam laxatis habenis pleno animo ad interitum properabat. Iusti autem longè velociores sunt impijs. *Quia via impiorum complanata lapidibus, & in finem illorum inferi & tenebræ & pœnæ.* Et sēper iusti impios præcedunt, & capitur impius in impietate sua. Propterea dicit propheta: *In silentio & spe erit fortitudo vestra, & dixistis nequaquam sed ad equos fugiemus, ideo fugietis & super veloces ascendetis, ideo velociores erunt qui persequentur vos.* Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Hoc ipso in loco nos docuit dicens. *Quod facis &c.* quod se promptiorem ad Iudæ salutem ostenderet, quam ipse Iudas esset ad sui perditionem. Hoc enim ait Dominus Iudę quod & cuidam alteri iubet. Esa. 8. *Detrahe, cito, prædare, velociter spolia.* Viros segnes ignauosque reprehendit Apostolus. *Sollicitudine non pigri.* Sap. Eccles. 21. *De stercore boum lapidatus est piger, quia sicut ostium vertitur in cardine suo ita piger in lecto.* scilicet, pigritię suæ. Maximè autem nos nostram vicem dolere debemus qui omni negligentia in diuinùm opus ferimus, qui tam lento pede ad ea quę nostræ salutis sunt incedimus, & tanto torpore nostra velut aliena negocia tractamus. Ita tepidi sumus vt euomi mereamur, ita in opere Dei sumus socordes & inertes vt maledici mereamur. Excutiamus nostram hanc in opere Christiano socordiam. *Quia regnum cælorum vim patitur. Sic currite inquam vt comprehendatis. Ne tardes conuerti ad Dominum &c.* Virginibus negligentibus clausa fuit ianua. Ideo namque viatores sumus qui quotidie tanquam aqua dilabimur

Marginalia: Eccles. 21. — Esai. 51. — Esa. 8. — Rom. 12. — Cor. 9. — Eccles. 6. — Matt. 25. — 1. Reg. 14.

bimur, & sola mente detinemur vbi velut vmbra transimus & tanquam ventus vita nostra decurrit. Inquiramus futuram ciuitatem ex quo remanentem hic non habemus: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant? Sicut, Aquila prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans.* Adhuc velocius currunt, qui tanquam sagittæ transeunt: *Sicut sagitta in manu potentis ita &c. Posuit me Dominus quasi sagittam electam.* Sic fiet vt postquam per cursum properaueримus & legitimè perseuerauerimus coronam accipiamus in gloria. Amen.

Sap. 5.
Esa. 56.
Psal. 126.
Esa. 45.

Q CON:



CONCIO VIGESIMA-PRIMA.

Tertiam cæteris grauiorem Iudæ proditoris Apostasiam, & defectionem ab Apostolatu considerat. Quanta cum inciuilitate & ingratitudine recesserit, A Sathana pulsum fuisse, Quomodo ille corpora & mentes obsideat.

THEMA.

Cùm ergo Iudas accepisset buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox. Cùm ergo exißet, dixit Iesvs: *Nunc clarificatus est Filius hominis & Deus clarificatus est in eo.* Ioan. 13.

NON alienum à ratione videbitur si causas exquisierimus & rationes ob quas Redemptor noster, in sacratissimo sui corporis, & sanguinis conuiuio & in eius institutione dicitur; manibus panem tenuisse, oculos in cælum sustulisse, & postremò gratias egisse patri suo cælesti. Neque enim hoc mysterio vacare censendum est. Atque vt penitus rem ipsam consideremus; Neminem latere potest, quam olim veteres & ante cōuiuia nec non & inter & post epulas laudabiliter se gesserint.

Fornerius de Temul l.4.c.21.

Et

Etenim in illis & inter has non tam corporũ quam animorum satietas, & morum honestas laudanda est, presertim apud Christianos homines.

Alexander ab Alex. in Genialibus de moribus antiquorum conuiuantium loquens ait: Ante cibum de modestia disputabant quemadmodum ante sacrificium de iustitia, ante bellum de fortitudine. Apud Gymnosophistas paratis instructisque mensis antequam dapes apponuntur, adolescentes singuli, qui ad epulum conueniunt, quid generi humano lucrifecerint, quodue sapienter dictum factumue fuerit illa luce coram senioribus exprimere coguntur. Et qui deses nihil in mediũ, quod frugi sit affert, impransus manet. *Alex. ab Alex. l. 5. cap. 21.*

De Ægyptis tradunt alij quod cum mense accumberent ante appositas epulas ligneum cadauer cum hoc elogio conuiuis proponebant: *Hunc intuens pota & oblectare; talis post mortem futurus.* *Herodot. lib. 2.*

Veteres Babilonij ante conuiuia dijs suis sacrificabant, eorumque simulachra ad mensas adhibebant quo præsentium deorum respectus & reuerentia modestiæ intra & temperantiæ fines eos cõtineret. Hoc ipsum videtur Daniel innuisse cum ait de illis: *Bibebant Vinum & laudabant Deos suos* aureos, argenteos, æreos, ferreosque & lapideos & ligneos. *Atheneus l. 5. Dipnosoph. c. 13. Daniel. 5.*

Persæ vero soli inter conuiuandum de rebus arduis consultabant. Spartiatæ excellentum virorum laudes & ignauorum fœda scelera in epulis cantare ad lyram solebant.

Peractis vero conuiuijs diuersi diuersa faciebant. Nobis non probantur nisi quæ virtutem sortita sunt, hæc tamen inter alia ibidem memorat Alex. ab Alex. Quidam eorum sublata mensa eruditas confabulationes, quidam fides & tybias ac symphonias introducebant quibus maiorum laudes carmine decantatas adhibebant. Græci ænigmata *Alex. ab Alex. 5. supra.*

proponebant, quorum captiones soluenti præmij carnis portio, non soluenti pæna erat, vt salsum hauriret poculum.

Iouian. Pont. c. 1. de conuiu. Alphonsus Aragoniæ rex authore Iouiano Pontano, à prandio statim vel Anthonium Panormitam vel alium è doctis viris audiebat vt animum pasceret.

De Alex. Farnesio R.E. Card. & Cancellario qui suis sumptibus domū professionis PP. Socit. Romę exstrui iussit refert vbi supra Fornerius, quod cum ipse literarum expers esset, post epulas inter se de rebus grauibus differentes doctissimos viros lubenter vt audiret, conuocabat, sic ex eorum eruditione & resolutionibus omnium rerum scientia instructissimus euaderet.

Poterit hoc ampliari. Et hæc dicta velim, vt probem quantis parasangis, veterum omnium honestatem excesserit in cōuiuijs Saluatoris consuetudo: hic narrabis dilatando, quod ante epulas de humilitate sermonem egerit pedes lauerit discipulorum & Iudæ, in mensa *1. Cor. 11. Matt. 26. Luc. 22.* longum illum sermonem animarum superexcellentissimam refectionem adhibuerit, corpus suū & sanguinē cōmunicarit, & vbiq; & in omnibus gratias egerit, atque quod in idem recidit, benedixerit.

Vide Had. Hoffstadiū ser. Eucha. 220. Porrò hæc gratiarum actio suspensos haud dubiè tenuit discipulorum animos, nec dubium quin aliquid magni ponderis, aliquid eximij expectauerint ex ea. Nam & illud obseruatu dignum est in Euangelio, quod quotiescunque legimus gratias egisse patri cęlesti fere aliquid magni subsecutum esse v. g. Cum in deserto vellet pascere turbas se *Ioan. 6.* sequentes gratias egit Deo Patri mox secutum est ingens miraculum. Suscitaturus Lazarum dicit: *Ioan. 11.* *Pater gratias ago tibi quoniam audisti me* Et hinc illud stupendum etiam inferis miraculum accidit. Nec dubium quin & in sacratissimo hoc conuiuio magnum

magnum acciderit & stupendum mysterium. Hinc docebat quanta in his deberet esse reuerentia, iuxta rei contentæ magnitudinem, & quanta cum humilitate & animi demissione, suijpsius nihili pensione, gratiarum actione, in melius proposita emendatione oporteret ab hac mensa recedere.

O Iuda impie tu solus es inter cæteros, qui nec hac gratiarum actione nec exhortatione moueris. Tu solus es qui nihilo melior factus ab hac mensa recedis, qui beneficij magnitudinem vilipendis, qui etsi dumtaxat corporali ferculo fuisses pastus, à mensa cum gratiarum actione non recedere debueras, tamen hoc spiritali cibo gustato mox ad tuas recurris insidias, fraudes, & proditionem.

Videte quęso circumstantias parum grati animi *Acceptis epulis exiuit*, quasi eorum amplius societatem non ferens, vt rusticus à mensa surrexit. Exiuit sed non satis est, additur. *Continuò*. Tu qui continuo gratijs actis ponderare beneficia in te collata debueras, verba proposita pro concione ruminare, Saluatoris bonitatem admirari, patientiam suspicere, &c. Inciuilitas Iudę.

Notandum hic quod in hoc maxime peccarit Iudas, quod noctem contemplationi valde accommodam ad suę mentis tenebras securius occultandas accommodarit. Hinc & saluator nocte in orationibus pernoctasse legitur. Hinc Dauid: *Psal.118.* *Media nocte, &c.* Hinc & ille cum D. Virg. cætus *Matt. 4.* Apostolorum Spiritus sancti gratiam per totas, *Act. 1.* noctes in precibus & contemplationibus expectabat. Hic vero noctis silentium suis tumultibus adaptabat.

Monemur hic noctis quietem orationibus dedicare, & post sacratissimas epulas, gratia-

rum actioni non minus vacare. Quia enim Pontifex noster IESVS CHRISTVS sacramentum istud instituit præuia gratiarum actione recepto vocabulo inter Christianos etiam latinos idem sacramentum vocatur sacra Eucharistia, quę teste Chryso. idē significat quod gratiarum actio; Reuerenda illa salutaria mysteria, quę in omni congregatione Ecclesię celebramus (inquit) Eucharistia id est gratiarum actio nuncupantur. Hæc ille.

Chrysost. hom. 26. in Matt.

Et merito sanè. Nam hoc sacramentum continet fontem omnium gratiarum, ideoque eius aspectus deberet in nobis excitare animi gratitudinem. Hoc autem fine sacrificus priusquam sacramentum hoc consecret & populo ad orandum ostendat, tremula voce clamat, *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Clero autem respondente, *dignum & iustum est*. Ipse rursus subsumit, *Verè dignum & iustum*, *&c*. Nam opus istud nouissimæ cœnę ob oculos nobis ponit summam filij Dei erga genus nostrum Philautropiam & amorem. Proinde dum sacramentum istud sumere decreuimus, imo vel in sacro altari cernimus, sumus, memores Apostolicæ lectionis qui dicit: *Grati estote*. Dicamus viritim hęc aut similia: Gratias tibi ago ô Fili Dei viui qui immortalis! Deus cum esses assumere dignatus es humanam nostram naturam, nec eo contentus corpus & sanguinē in cruce obstulisti, cuius beneficij vt nunquam sim immemor idem corpus, eundem sang. nobis sub panis & vini specie supernaturali modo reliquisti. Concede vt qui iam te velatum & latentem sub his speciebus per fidem video, aliquando facie ad faciem videam, &c. Vide Hositadum vbi supra.

Coloss 3. v. 15.

Oratio gratias agentis in salutatione corporis Christi.

In hoc igitur scelus Iudæ grauius factum est, quod sicut irreuerenter, & temerè sacramentis vsus est, ita post eorum susceptionem susceptæ gratiæ vel oblatæ saltem beneficium non agnouit. Ille

non

non absimilis fuit illis, qui cum ad eos amici diuerterent impendendi beneficij causa, eos qua possēt feritate, & crudelitate expulerūt, aut è domo cōtinuo recesserunt ne eis congratularentur. Attende quid diceres tu de his qui tecum sic actitarent. Si tum Christus in Zachæi diuertit hospitium is domo exisset que gratia? quis honos? Simile.

Accedit quod quo maius est donum quod nobis affertur, maior est eorum incuria qui contemnunt.

Obiectio.

Quanquam si dicas nullam illi vtilitatem accedere potuisse ex Christi corporis & sang. refectione ex quo indignè ea sumpserat. Respondeo, quod saltem in hoc sibi potuisset consulere si remansisset, & Christo se reconciliasset ex quo ab illo tanquam omnia sciente videbat animi sui deliberationes detectas esse, per multa quibus præmonitus fuerat præsertim per hæc, *Vnus ex Vobis*, &c. *Qui intingit*, &c. Vide quæ dicta sunt prius, sed his aures obturarat. Faciebat vt hi qui modicis verbis in suis detecti per inimicorū suorū astutias nouas technas parant.

Hic monebitur populus primum de reuerentia maiore sacris hisce mysterijs exhibenda. 2. de consideratione vtilitatis que ad eos redire potest, si dignè receperint hæc sacramenta, quam tunc maximè acquirunt cum Deum in se habitantem habere possunt. Quis est qui in curia tempus expectasset, quo beneficia petiturus à Rege eum aliquandiu expectasset, & eo veniente recederet? Et quis ille qui aduentu medici diutius expectato, venientem fugeret? Si ergo his sacramentis susceptis te per horam colligere potes Deum prope te habens, cogitabis quam facile tuas audi & preces. Inuoca eum dum prope est. Huius vt tua vti poteris opera, cum ei te tradideris & ipse se tibi. Cùm durant species in te Christus est, & tu quasi ciborium es. Cum Documētum.

tu te collegeris attende quid, quemque hospitio exceperis. In buccella accepisti Deum Deorum; in te contines eum, qui beatos facit sanctos in gloria, quem D. Virgo suscepit, & in vtero concepit, qui vitę fons est, &c. Dic igitur. Tantusne in me thesaurus est? Insomnium ne an veritas est quod Deum, in me contineo? Possibile ne (ait Salomon) quod
3.Reg.9. habitet *Deus cum hominibus*. Ex huiusmodi ruminatione innumeri affectus in anima suborientur, qui sunt velut pij quidam amplexus sponsi & sponsę. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera*
Cant.8. *matris meæ, &c.* Et illud Psal.8. *Quid est homo quod memor es eius &c.* Et illud Elizabeth, *Et vnde hęc mihi vt veniat mater, &c.* Hinc prodibunt mille quæ ex eodem fonte manabunt, quibus homo sese
Psal. 85. tantis beneficijs agnoscat imparem. *Magnus es*
Psal.118. *tu & faciens mirabilia. Bonitatem fecisti cũ seruo tuo. Benedic anima mea Domino &c.* Tunc anima quasi in Deum absorpta se Deo totam illi submittet;
Act. 9. *Domine quid me vis facere? Quam bonus Israel Deus,*
Psal.72. *&c. Eructauit cor meum verbum bonum. Gusta-*
Psal.44. *te & videte*, & his similia in seipso Deo colloquens proferet. Sic se paulatim hominis menti Deus ingeret vt ab eius omnino voluntate dependeat. Et hæc eò dicta sint, vt ex Iudæ rusticitate, & ingrati animi proteruia colligamus debitas pro beneficijs, & talibus quidem & tam ineffabilibus donis grates referre, quod post acceptam buccellam non fecit.

Exiuit continuò, Vnde exiuit? & à quo pulsus exiuit? *Primò*, à Christo eijt & ab Apostolis. Apostatarat primum à gratia per latrocinium. Defecerat à fide per incredulitatem nunc Apostata fit ab Apostolatu, & à Christo per malorum consortium. Quis ille est, qui cum vel Ciceronis, vel sancti Ioannis Chrysostomi

ſtomi mutuatam habeat dicendi vim & eloquentiam, qui poſſit ſatis exprimere, quam infauſtus ille fuerit ab Apoſtolis & à Chriſto diſceſſus? Vbi ille eſt Petrus, qui iterum pro Iuda reſpondeat & cæteris, rogatus an vellet abire: *Domine ad quem ibimus verba etenim, &c.* O Petre quid ſinceritatem tui cordis poſſe valere credercs, ſi Iudam ab hoc ſenatu diſceſſurum videres? Ecce vides hunc à Chriſto non expelli qui venientes non eijcit foras, ſed ipſum ſeſe Chriſto expoliare, & velut anguem à manu tenentis proſilire. Quomodo autem qui à Chriſto exijt non abijt ſine donis Chriſti? Exijt à vita miſer & inuenit mortem. A Saluatore CHRISTO cucurrit ad diabolum perditorem. Et deſcendit in profundum quaſi lapis. Sed audi quid improbo contingat: *Inimici Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati cito decident & deficientes quemadmodum fumus deficient. Adhuc puſillum & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies.* Quandoquidem Iudas tanquam fœnum in tecto priuſquam euelleretur exaruit.

Ioan. 6.

Cum Iuda dona exierunt.

Pſal. 36.

Ex hoc tempore deletus eſt de libro viuentium, ille inquam proditor ſui magiſtri & egenorum oppreſſor è cathalogo Apoſtolorum eiectus & excluſus, ille igitur, qui indignus eſt vt vlterius nominetur, aſſumpta buccella, qua factus eſt proteruior à Sathana prorſus occupatus, auaritiæ morbo deuictus, æternæ mortis fit mancipium, nec valedicens hoſpiti quaſi bonorum ſocietatem non vltra perferre volens, diſceditdirum ſub pectore vindictæ virus fouens & ſancti ſanctorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiēs. O deteſtandam prauitatem?

Quantus fuerit Iudæ caſus facile percipiet, qui conſiderauerit vnde exierit & à quo

gradu exciderit: Mirandum sanè vehementer si hoc casu repentinoque præcipitio non terreantur quicunque præsunt, & quicunque in sublimioribus, & fastigijs honorum sunt constituti, & in eis suas quærunt consolationes. Et reperient quod facilius sit de huiusmodi gradu descendere, quã ad tales honores cõscendere. Quippe dicit summus ille Vates 6. Æneid:

Virgilius Æneid. 6.

Facilis descensus Auerni,
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,
Hoc opus hic labor est.

Videbunt inquam quibus expositi sint periculis qui templi pinnacula conscendunt, non secus enim cum illis agere dæmon conatur, quam cum Iuda: *Videbam, inquit Saluator, Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem,* inquiebat Christus septuaginta discipulis cum gaudio dicentibus: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Qui enim prius sublimis & excelsus atque gloriosus, cæteris præeminebat, oblitus Domini creatoris sui dum vlterius quam par erat exaltari voluit seipsum, deficiente pede innixo rei instabili corruit in præceps è sublimi, vt forma sit omnium qui cum nimium volunt efferri subito deprimuntur.

Luc. 10.

Dic quæso cur diabolus in deserto Christum tentat, & in templo, & tentat in monte? sed non portat in deserto? nisi quia ibi Christum inuenit ieiunantem & orãtem, portat autem ad locum excelsum vnde præcipitare possit in sublimi loco montis & pinnaculi. *Applica.*

Ingressus igitur erat vocatus tanquam Aaron, sed præceps ruit tanquã Sathan, & fulgur de cælo, id est de Apostolatus fastigio, & in eo impletur quod dicitur: *Quid edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. Psal. 40.* Quia dum Christum voluit supplantare, seipsum supplantauit, & vnde sperabat ascensum reperit ruinam.

Psal. 40.

Nunc

Nunc dicendum nobis est. Quis illum mouerit vt exiret? Pro quo nota quod quia se pluries vt patuit diaboli legibus obstrinxerat, vix ab eius seruitute postmodum retrahi poterat, hinc fuit ex eorum numero, quibus dicebatur quod diaboli opera perficerent quia erant ex *patre diabolo.* *Quis mouit Iudã vt abiret?* *Ioan. 8.*

Aduerte inde documentum quod ex Euangelio iterũ, verum est filios tenebrarum prudentiores esse filijs lucis, festinat ille toties repetitis vicibus ad malum, & nos in bono sumus vndequaque socordes, & mox vbi cæpimus ab incæpto opere pedem retrahimus, sola voce ipsius deterremur Similes sumus potius illi de quo dicitur: *Exultauit vt gigas ad currendam viã, &c.* Oportet vi rapere regnum cælorum. Quod allegoricè figuratur in Rebecca quæ suasit filio paternam benedictionem surripere in fraudem Esaü. Vinea nobis custodienda est, id est nostra conscientia, hanc nobis colendam tradidit Deus ne de nobis dicatur illud: *Propter frigus piger arare noluit* Hinc ad formicam remittitur. *Psal. 18.* *Genes. 27.* *Prou. 20.*

Ad hęc verba notat *Capulla* quod quidam sunt obsessi corpore qui Sathanico quodam furore agitantur, quidam sola mente, quorum cogitatio diabolicis impulsibus agitatur. Torquentur primi & difficilius curantur, agitantur isti, & damnabilius possidentur. Si causam requiris. Hoc inde fit quia pluribus concessa est facultas eijciendi Sathanam a mente quam à corpore. *Primo* quia Christus descendit, sanaturus animam & non corpus, 2. quia in carne dæmon habet aliquam iurisdictionẽ ex fomite, & radice peccati & vnaqueq; res difficilius à suo loco repellitur. 3. vt fugiat locum infernalem cui est addictus, & dum deputatur nobiliori loco minus tristatur. Vnde corpora iuuenum & virginum lubentius occupat. 4. quia caro ministra est peccati & instrumentum diaboli ad peccandum. 5. quia oblectatur torquere hominem, quia patitur tor- *De obsessione corporali & spirituali.* *Causa obsessionis*

torqueri vt torqueat. 6. quia interdum pati permittitur homo in corpore, vt torqueatur a Sathana, quo spiritus saluus fiat. 7. ad meritum & præmium. Expellitur autem sacræ scripturæ verbis:
Matt. 4. *Vade Sathana, &c.* *Secundo* ieiunio. *Hoc genus dæmo-*
Marc. 9. *niorum non eijcitur nisi oratione & ieiunio.* *Tertiò* oratione & lachrymis vt Chananæa. *Quartò* iecoris euaporatione, & castitatis obseruantia, Thobias &c. *Quinto* Domini authoritate & inuocatione:
Mar. vlt. *In nomine meo Dæmonia eijcient, &c.* Iudas autem à se repellere Sathanam potuisset, si ab incepto facinore per conuersionem ad Christum resipuisset.

Hinc apparet Iudam fuisse ex ijs de quibus dici-
1. Ioan. 2. tur: *Quidam ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; ex nobis.* Iam experimẽto discimus. *Nullam conuentio-*
2. Cor. 6. *nem esse Christi cum Belial, &c.*

Ex hoc loco discant à quo spiritu ducantur hi,
Documẽtum ad Religiosos qui tam facile tamq; libenter à suis conuentibus, & claustris exeunt, vt per mundum vagentur. Qui fieri potest, vt ei regularis vita dulcescat, quem delectat adhuc conuersatio sęcularis. Cain vt fratrem
Genes. 4. fallat, foras educit. Esaü dum foris ad venandum vagatur, suis primogenitis frustratur. Petrus Damia-
Petrus Damian. nus dicit, vir vtique omni virtute conspicuus; Nouerit Monachus quisquis vitio vagationis est addictus, quia nisi à sæculo pedem retrahat, & ad remotiora se ad Deo seruiendum accingat, nec suæ professionis posse munia custodire, nec ad perfectionis culmen pertingere, quia per vagationem vbi animus relaxatur, virtus Religionis in eodem deperditur.

Dina. Dina suam pudicitiam semper in paterna seruat domo donec foris dum vagatur, vt alienigenas
Genes. 34. mulieres specularetur, propriæ honestatis deprauatorem inuenit, irreparabilemq; virginitatis aureolam deperdidit cum suorum pudore.

Vxor

Vxor leuitæ de latere montis Ephrain donec in suis mansit penetralibus, & domesticas curas tractauit, thori coniugalis pudorem non amisit; verũ vbi suos visitatura domo egreditur, a multis corruptoribus inhonestè deprauata est. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ &c. Vidi contradictionem in ciuitate, &c.* *Iudicum. 19.* *Psal. 54.* *ibi.*

CONCLVSIO.

Quisquis igitur tutius cupit innocenter viuere, à mundanis curis debet procul abscedere, malè blandientis mundi promissa respuere, & oblata debet contemnere, quisquis se dicit vitam Apostolorum imitari velle. Heliseo enim nemo perfectior qui nec regis consortio voluit famulari, nec Principi Syriç vel ostium voluit aperire, aut ad ipsum saltem ne videretur exire, sed per internuncium mandatum, quod exequeretur edixit, quod quidẽ nõ superbè sed ad instructionẽ nostram fecit, quod & ad nostram doctrinam scriptura contexuit. Pro sola Sunamite ad rediuiuum restituendum filium suæ cellulæ limites egressus dicitur: vt significetur nobis ad ea licere claustrum egredi, quæ nostræ salutis aut alienæ vtilitatem concernunt. Quotquot igitur sunt à monasterijs & claustris Apostatæ, suum Antecessorem habent Iudam, quem nisi resipiscant socium æternę damnationis habebunt, à qua nos liberet Sancta Trinitas Pater &c. Amen. *4. Reg. 42.*

CON-

CONCIO
VIGESIMA-SECVNDA

Deducet causas quibus motus Saluator, Iudam filium perditionis appellarit, quo nomine similem illum facit Anti-Christo, Neminem quamdiu viuit à Deo totaliter derelinqui.

THEMA.

Pater cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo, & nemo ex eis perijt nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. Ioan. 17.

INTER honorum titulos quibus Anti-Christi cumulatissimam peccatorum congeriem, & consummatam vitiorum perniciem describere volunt sacræ literæ, præcipuus ille videtur esse qui
2. Thess. 2. à Doctore Gentium illi assignatur: *Homo peccati, & filius perditionis.* In quorum verborum expositione D. Thom. vocari filium peccati, quia sicut in Christo abundauit plenitudo virtutis; ita & in hoc omne genus vitiorum. Et sicut Christus melior est omnibus sanctis, sic hic peior omnibus malis. Sed non sic dicitur homo peccati quin possit esse peior: quia; *Nunquam malum corrumpit totum bonum:* licet quantum ad actum non poterit esse peior,

Christo

Christo autem nullus homo potuit esse melior. Atque idipsum nominis ipsius interpretatio satis manifestat. Nihil enim est aliud Anti Christus quam homo qui contra Iesum Christum est vel agit.

IESVS iterum vocatur Saluator hic autem perditionis filius, ab opere scilicet contrario nomen sortitus. Quibus attétis quis miretur hic cur & ipse Iudas nomen Anti Christi sortitus sit, cum & inter eos qui vnquam ab exorta fide in Saluatorem Christum, maliciam obuijs vlnis sunt amplexati, non fuerit, qui maiorem tyrannidem non in Christi membra sæuiendo, sed in IESV personam ipsam insurgendo exercuerit. Quæ de illo huc vsque diximus & dicturi sumus satis suadebunt ipsum vere fuisse Anti-Christum eius inquam prænuncium Iudam. *Rabanus & Au. to. 9. de Anti Christo*

Secundo nemo dubitat hoc nomen Anti-Christi primis Ecclesiæ Heresiarchis esse tributum. Inter illos vero fuit tanquam antesignanus Iudas vt supra satis deduximus. Hoc satis innuit D. Ioannes cum dicit in Epistola, quam dirigit ad omnes Christi fideles: *Filioli nouissima hora est & sicut audistis, quia Anti-Christus venit: Et nunc Anti-Christi multi facti sunt. Vnde videmus quia nouissima hora est.* Neque videbitur hic vobis alienum ab ipsa veritate si dixero D. Ioannem expressè voluisse loqui de Iuda suo quondam condiscipulo, cuius proditionis & factionis ipse primus à Christo conscius factus fuerat, quia subiungit in sequente versu: *Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* An non Iudas ex illis prodierat? Existens verò inter illos non erat ex illis quia latro & hæreticus erat & Anti Christi præcursor. Prodierat etiam ex discipulis Christi, qui non erat ex illis quidam Nicolaus qui fuit socius S. Stephani aduena Antiochenus constitutus, *1. Ioan. 2. v. 18.* *Act. 6.*

cum

cum illo in ministerium rerum temporalium, qui postmodum illam hęresim introduxit, quę Nicolaitarum vocata est, de quo vide Alphonsum à castro. Erant etiam tunc in Ecclesia aut potius extra Ecclesiam quidam Simon Samarites omnis, vt Cyrillus inquit, hæreseos author & inuentor, Cherintus, Marcion, os impurum vt idem ait, & Hebeon primogeniti hęreticorum & Sathanæ, sicut Polycarpum Marcioni aliquando respondisse testatur Irenæus, qui tenellam Christi vineam deuastare moliebantur. Hos Ioannes aut ad vocabuli significationem alludens, aut ad mysterium iniquitatis respiciens, cuius illi formam nomenque gerebant, Anti-Christos velut Christo contrarios, aut vt Anti-Christi prenuncios appellauit. Videbat illos cōtrariari Christo, peruersa docendo.

Cyr. Hier. cath. 6.

Irenæus l. 3. c. 3.

Aduerte etiam quod idem Ioannes confirmaturus præsentis suæ sententię veritatem, postmodum dicit 4. cap. *Omnis spiritus qui soluit Iesum hic Anti Christus est.* Soluere Iesum est diuidere vel separare humanitatem à diuinitate. Et sic tribuitur Iudæ, qui non credidit Christum Deum esse, vt diximus. Imò & ijs omnibus competit hoc nomen, qui oppugnant aut personam aut doctrinam IESV CHRISTI, vt volunt Patres. Nam etsi secundum apparentiam quandam nomen Christi præ se ferant & fidem, tamen cum eum separant à veritate doctrinæ eius vt ei falsum tribuant, tantum faciunt ac si Christum à Iesu separarent. Et in eorum sunt numero qui Christum faciunt mendacem vel ignorantem futura, & proinde qui credunt hominem non Deum, meministe Iudam Christum mendacem voluisse facere cum dixit: *Nunquid ego sum Rabbi*? quasi hoc interrogatorio responso Christum mendacij, & inscitię argueret, seipsum autem sceleris non esse conscium persuaderet. Rectè igitur hic ob istas causas cum Anti-Christo & eius

1. Ioan. 4. v. 3.

Quid sit soluere Iesum.

eius precursoribus filius perditionis appellatur, & ei comparatur.

Veruntamen si mihi post alios opinionem meã liceat subiungere, alia post istas ratio mihi videtur assignanda, cum Ioannes cum Anti-Christo Iudam vocet perditionis filium.

Inprimis aduertite quod iuxta doctrinam Theologorum verum sit tantam esse, & tam incomprehensibilem Dei prouidentiam in omnibus rebus, vt vnicuiq; ab ortu natiuitatis proprium designet Angelum. Id etiam ex scripturis satis patet, vbi de paruulorum custodia dicitur: *Angeli eorum vident faciem Patris*. Nos autem sumus omnes paruuli quando nascimur, ideoque tutelares ex tunc omnes habemus Angelos. Quinimo dicit D. Thomas vbi supra. Sicut nec præsciti, nec infideles, nec ipse Anti-Christus priuabuntur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non priuantur exteriori auxilio, toti naturæ humanæ diuinitus concesso scilicet custodia Angelorum, per quam etsi non iuuentur, quantum ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur, iuuantur tamen quantum ad hoc quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & sibiipsis & alijs nocere possunt. Nam & ipsi, dæmones arcētur per bonos Angelos, ne tantũ noceant quantum volunt. Hinc præualuisse dicitur Michael Archangelus, in prælio contra draconem, similiter & Anti-Christus, non tantum nocebit quantum volet. Veruntamen iuxta quorundam opinionem iste bonus Angelus Anti-Christi custodiæ deputatus, videns eum eleuari supra id quod dicitur Deus, aut quod colitur, ipsum dimittet vt sui iuris relinquatur.

Tho. 1 p. q. 113. & seq.

Matth. 18

Atque forsitan ea est ratio cur D. Paulus de illo dicat 2. Thess. 2. *Cuius aduentus est secundum operationem Sathanæ.* id est ex instinctu eius, vt interpretatur Thomas vbi Iudam comparat Anti-

Christo: etsi non obstante hoc dicat, non tollendam libertatem arbitrij. Quoniam, inquit, habebit vsum liberi arbitrij in quo est diabolus suggerens, sicuti dicitur de Iuda: *Introiuit in eũ Sathanas,* scilicet instigando. Operatur autem, inquit, Thomas aliquis secundum operationem Sathanæ, sicut arreptitius in quo non solũ instigat voluntatẽ, sed etiam impedit vsum rationis, quod tamẽ nõ imputatur ad culpã eius, quia nõ habet vsum liberi arbitrij: In Anti-Christo per suggestionem.

Ioan 13.

Vide Tho. 1. p. q 113. ar. 6.

Ex quibus omnibus concludo, quod sicut filius peccati & perditionis Anti Christus vbi perdiderit alios tandem ob maliciam ab Angelo proprio deseretur, & relinquetur diabolo, iuxta cuius operationem operabitur, sic etiam filius perditionis sua voluntate peruersa perditus Iudas, etsi nunquã ex toto derelictus fuerit ab Angelo, tamen tandem considerata eius malitia, permissus est ab eo in malum culpæ & pænæ cadere ex lege permissionis diuinę nequitiam eius punientis. Non secus ac si omnino esset derelictus ab illo & iã magistro perditionis traditus, diabolo inquam cuius iam filius erat, etsi non per naturã saltem per culpam: vt *Cuius opera faceret eius esset filius.*

B. August. docet Propheticè hæc verba Psa. *Constitue super eum peccatorem & diabolus stet à dextris eius,* dicta esse de proditore Iuda. Hoc vtique meruit, inquit, vt super se habeat diabolum, qui Christo subditus esse noluit. Stet autem à dextris eius, dictum est, quia opera diaboli præposuit operibus Dei. Hoc enim cuique non immerito dextrum dicitur, quod præponit, sicut sinistræ dextra præponitur. Sicut dicitur alibi: *Prouidebam Dominum in consp. &c. Quoniam à dextris, &c.* Diabolus ergo stetit à dextris eius, quando præposuit auaritiã sapiẽtię & pecuniã saluti suæ vt eũ traderet, à quo debuit possideri, ne ab ipso possideretur cuius opera ipse

Augu. in Psal 108.

Vide plura ibid.

Psal. 15.

ipse Christus soluit à quo noluit possideri. Hæc August. & plura ibidem.

2. Thess. 2. Ita vt in errorē inducantur etiam si fieri potest electi.

Tertia ratio accedit, cùr ei nomen Anti-Christi appropriatum sit. Nimirum quod sicuti sub Anti-Christo diabolus dissoluēdus erat, vt summam potestatem in fideles tanquam Christi membra exerceret, ita etiam tempore Iudę permissum sit diabolo in Christum per ipsum Iudam ita sæuire, vt videretur iam pęnæ à Patre derelictus. De primo dicitur Apoc. 20. *Soluetur Sathanas de carcere suo, & exibit & seducet gentes, &c.* De *secundo* autem, *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum:* cùm intercipere tur à Iuda.

Quod facis fac citius.

Luc. 22.

Quarto, Notandùm quod sicut ipse Anti-Christus cupiens Christi fidem deperdere per operationem Sathanę, ab ipsomet Christo perdetur: Sic & Iudas Christum tradendo, per Christum traditus est in reprobum sensum & in potestatem Sathanę. De primo dicitur: *Interficiet eum spiritus oris sui*, id est mandato suo per Michaëlem Archangelum in monte Oliueti vnde ascendit. Vt vult D. Thomas. De 2. dictum est per Christum: *Væ homini per quem filius, &c. Melius erat, &c.* quia nimirum se suspendet iuxta mōtē Caluariæ, vt volūt quāplurimi vt vbi Christū interimere cupiebat ibi periret suspendio.

Hinc illud væ vbi ponitur finis Iudæ & finis Christi

2. Thess. 2

Thomas.

Atq; in his omnibus miranda est Dei prouidētia, qui ex operatione Sathanæ per suos ministros Iudā & Anti-Christum, tanquam omnis perditionis Antesignanos exercita vel exercenda, etiam Sathanam ipsum destruat & eius opera iuxta illud: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*. At dices, quomodo destruit, qui seipsum per operationem Sathanæ per Iudam filium perditionis Sathanæ permisit tradi? qui in suis membris etiam tradetur in Sathanæ potestatem. Respondetur vt per diabolum ipsum destruat opera diaboli & eodem consequenter quo vsus erat ministro

1. Ioan. 3.

perditionis eodem vteretur ministro nostræ salutis, vt inquam proprio dæmonem iugularet gladio.
2. Thess. 2 Hinc illud: *Et destruet illustratio ne aduentus sui eum cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, &c.*

1. Documentum ad mores. Bonus Angelus. Ex his omnibus pauca hauriamus ad mores documēta: *Primum* sit nos fælices esse qui habeamus Angelum vniuscuiusq; custodiæ deputatum à natiuitate, eiq; nobis ob hanc custodiam maximè teneri, atque ob id vigiles esse debere, ne quid ante oculos eorum perpetremus, quod in causa sit ne quandoq; succenseant ita in nos, vt permittant nos in malum culpæ vel pænæ cadere, quod fecit in Iuda. Ne dicant quod in eorum persona dicitur apud
Hier. 51. Hiere. 51. *Curauimus Babilonem, & non est curata, derelinquamus ergo eam.* Et Isa. 5. *Auferam sepem eius & erit in conculcationem.* id est Angelorum custodiam, vt supra memorato loco interpretatur
Matt. 18. Thomas. Hinc & ipse Christus dicit: *Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis. Angeli enim &c. Quoniam Angelis suis &c.* Hi, dęmones vocantur à Platone, id est docti Latine Genij, intelligētiæ inquam & substantiæ sęparatæ spirituales, quæ omni momento nos ab implacabili, & communi iurato hoste conseruant, intellectum illuminant, ad bene agendum instigant, à periculis præseruant, à peccatis retrahūt, benigni spiritus suis inspirationibus sanctis consilia irritantes. Hi sunt ministratorij spiritus & diuinitatis ipsius nuncij. Hominum Pædagogi. Genij autem vocātur, vel eo quod nostræ generationis curam gerant, vel quia statim nostri custodes à generatione nostra efficiuntur vel saltem à baptismo vt vult Orig.

Genij. Orig. & Hiere. in Matth.

2. Documentum Malus Angelus. *Secundū* est quod sicut habemus omnes custodē Angelū, ita secundū Orig. & Hieron. habemus nobis vnum struentem insidias, ad mala nos instigantem, ad ruinam & perditionem cum Iuda, qui vt ho-

hominis eſt calumniator, & accuſator, ſic & eiuſdem cuius vexationi commiſſus, ſi damnetur, eſt vltor & punitor, quomodo alter bene agenti eſt conregnator, ſic vt ſicut in hoc totum vacet ille vt ad bonum impellat, ita & hic ad malum. Antiqui illi Romani vocabant illos mali deſtructores, liberatores, libertatis aſſertores, pacificatores, conſeruatores. Hi ſunt qui vota preceſq; offerunt; hi ſunt qui accuſant, ob id ab ijs vocati peruerſi, deteſtandi, perditi, tenebroſi, homicidæ, carnifices, ſicarij. Nolim autem dicere, quod hi ex ordinatione diuina dæmones hominibus aſſiſtant. Nam & ipſi hoc innata peruerſitate naturæ moliuntur, vt ſubſannent diuinum honorem, homini ſtruunt continuas ſtrages, in vindictam exilij, vt animas ei ſurripiant, quæ in ruinam ſedium Apoſtatarum creatæ ſunt, vt reparent eas vnde ceciderunt illi, quas in Barathrum æternæ damnationis demergant. Maneat igitur hoc ita eſſe nos quandiu in hoc periculoſo tempeſtuoſoque mari nauigamus, tamen tam fœlices habere nautas, qui nos à ventis ſua induſtria præpediant. Non habuit autem Angelum in ſuam cuſtodiam deputatam Chriſtus, quicquid dicat Magiſter cum eſſet plenus ſapientia, gratia, potentia, cum nihil haberet peccati, cum ab inſtanti conceptionis diuinitas humanitati cõiuncta fuerit, cum ex tunc incæperit merito illo mæreri infinito, quod radix & origo fuit meritorũ totius vniuerſi: Non indigebat cuſtode Angelo ſicut nos qui non immediatè cuſtodimur, & Angelis mediantibus à Deo conſeruamur, Angeli quidem ei ſeruiunt. At quomodo? vt eius poteſtatem hominibus notam faciant. In pueritia & in ipſis incunabulis ab Angelis celebratur, in deſerto ab Angelis miniſtratur, in acerba paſſione confortatur, ab Angelis poſt reſurrectionem manifeſtatur.

2. Cor. 12. Datus eſt mihi ſtimulus carnis Angelus Sathanæ. Sufficit tibi gratia mea.

Suet. in Call.

Rom. 7. Non quod volo bonũ hoc facio, ſed quod nolo malũ

Chriſtus nõ habuit Angelum

Matth. 4.

torqueri vt torqueat. 6. quia interdum pati permittitur homo in corpore, vt torqueatur a Sathana, quo spiritus saluus fiat. 7. ad meritum & præmium. Expellitur autem sacræ scripturæ verbis: *Vade Sathana, &c. Secundo* ieiunio. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi oratione & ieiunio. Tertiò* oratione & lachrymis vt Chananæa. *Quartò* iecoris euaporatione, & castitatis obseruantia, Thobias &c. *Quinto* Domini authoritate & inuocatione: *In nomine meo Dæmonia eijcient, &c.* Iudas autem à se repellere Sathanam potuisset, si ab incepto facinore per conuersionem ad Christum resipuisset.

Matt. 4. Marc. 9. Mar. Vlt.

Hinc apparet Iudam fuisse ex ijs de quibus dicitur: *Quidam ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; ex nobis.* Iam experimẽto discimus. *Nullam conuentionem esse Christi cum Belial, &c.*

1. Ioan. 2. 2. Cor. 6.

Ex hoc loco discant à quo spiritu ducantur hi, qui tam facile tamq; libenter à suis conuentibus, & claustris exeunt, vt per mundum vagentur. Qui fieri potest, vt ei regularis vita dulcescat, quem delectat adhuc conuersatio sęcularis. Cain vt fratrem fallat, foras educit. Esaü dum foris ad venandum vagatur, suis primogenitis frustratur. Petrus Damianus dicit, vir vtique omni virtute conspicuus; Nouerit Monachus quisquis vitio vagationis est addictus, quia nisi à sæculo pedem retrahat, & ad remotiora se ad Deo seruiendum accingat, nec suæ professionis posse munia custodire, nec ad perfectionis culmen pertingere, quia per vagationem vbi animus relaxatur, virtus Religionis in eodem deperditur.

Documẽtum ad Religiosos. Genes. 4. Petrus Damian.

Dina suam pudicitiam semper in paterna seruat domo donec foris dum vagatur, vt alienigenas mulieres specularetur, propriæ honestatis deprauatorem inuenit, irreparabilemq; virginitatis aureolam deperdidit cum suorum pudore.

Dina. Genes. 34.

Vxor

Vxor leuitæ de latere montis Ephrain donec in suis mansit penetralibus, & domesticas curas tractauit, thori coniugalis pudorem non amisit; verũ vbi suos visitatura domo egreditur, a multis corruptoribus inhonestè deprauata est. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ &c. Vidi contradictionem in ciuitate, &c.* *Iudic. xix. 19.* *Psal. 54.* *ibi.*

CONCLVSIO.

Quisquis igitur tutius cupit innocenter viuere, à mundanis curis debet procul abscedere, malè blandientis mundi promissa respuere, & oblata debet contemnere, quisquis se dicit vitam Apostolorum imitari velle. Heliseo enim nemo perfectior qui nec regis consortio voluit famulari, nec Principi Syriç vel ostium voluit aperire, aut ad ipsum saltem ne videretur exire, sed per internuncium mandatum, quod exequeretur edixit, quod quidẽ nõ superbè sed ad instructionẽ nostram fecit, quod & ad nostram doctrinam scriptura contexuit. Pro sola Sunamite ad rediuiuum restituendum filium suæ cellulæ limites egressus dicitur: vt significetur nobis ad ea licere claustrum egredi, quæ nostræ salutis aut alienæ vtilitatem concernunt. Quotquot igitur sunt à monasterijs & claustris Apostatæ, suum Antecessorem habent Iudam, quem nisi resipiscant socium æternç damnationis habebunt, à qua nos liberet Sancta Trinitas Pater &c. Amen. *4. Reg. 4.*

CON-

CONCIO
VIGESIMA-SECVNDA

Deducet causas quibus motus Saluator, Iudam filium perditionis appellarit, quo nomine similem illum facit Anti-Christo, Neminem quamdiu viuit a Deo totaliter derelinqui.

THEMA.

Pater cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo, & nemo ex eis perijt nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. Ioan. 17.

INTER honorum titulos quibus Anti-Christi cumulatissimam peccatorum congeriem, & consummatam vitiorum perniciem describere volunt sacræ literæ, præcipuus ille videtur esse qui a Doctore Gentium illi assignatur: *Homo peccati, & filius perditionis.* In quorum verborum expositione D. Thom. vocari filium peccati, quia sicut in Christo abundauit plenitudo virtutis; ita & in hoc omne genus vitiorum. Et sicut Christus melior est omnibus sanctis, sic hic peior omnibus malis. Sed non sic dicitur homo peccati quin possit esse peior: quia; *Nunquam malum corrumpit totum bonum:* licet quantum ad actum non poterit esse peior,

2. Thess. 2.

Christo

Christo autem nullus homo potuit esse melior. Atque idipsum nominis ipsius interpretatio satis manifestat. Nihil enim est aliud Anti Christus quam homo qui contra Iesum Christum est vel agit.

Iesus iterum vocatur Saluator hic autem perditionis filius, ab opere scilicet contrario nomen sortitus. Quibus attētis quis miretur hic cur & ipse Iudas nomen Anti Christi sortitus sit, cum & inter eos qui vnquam ab exorta fide in Saluatorem Christum, maliciam obuijs vlnis sunt amplexati, non fuerit, qui maiorem tyrannidem non in Christi membra sæuiendo, sed in Iesv personam ipsam insurgendo exercuerit. Quæ de illo huc vsque diximus & dicturi sumus satis suadebunt ipsum vere fuisse Anti-Christum eius inquam prænuncium Iudam. *Rabanus & Au. to. 9. de Anti Christo*

Secundo nemo dubitat hoc nomen Anti-Christi primis Ecclesiæ Heresiarchis esse tributum. Inter illos vero fuit tanquam antesignanus Iudas vt supra satis deduximus. Hoc satis innuit D. Ioannes cum dicit in Epistola, quam dirigit ad omnes Christi fideles: *Filioli nouissima hora est & sicut audistis, quia Anti-Christus venit: Et nunc Anti-Christi multi facti sunt. Vnde videmus quia nouissima hora est.* Neque videbitur hic vobis alienum ab ipsa veritate si dixero D. Ioannem expresse voluisse loqui de Iuda suo quondam condiscipulo, cuius proditionis & factionis ipse primus a Christo conscius factus fuerat, quia subiungit in sequente versu: *Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* An non Iudas ex illis prodierat? Existens verò inter illos non erat ex illis quia latro & hæreticus erat & Anti Christi præcursor. Prodierat etiam ex discipulis Christi, qui non erat ex illis quidam Nicolaus qui fuit socius S. Stephani aduena Antiochenus constitutus, *1. Ioan. 2. v. 18.* *Act. 6.*

cum

cum illo in ministerium rerum temporalium, qui postmodum illam hęresim introduxit, quę Nicolaitarum vocata est, de quo vide Alphonsum à castro. Erant etiam tunc in Ecclesia aut potius extra Ecclesiam quidam Simon Samarites omnis, vt Cyrillus inquit, hæreseos author & inuentor, Cherintus, Marcion, os impurum vt idem ait, & Hebeon primogeniti hęreticorum & Sathanæ, sicut Polycarpum Marcioni aliquando respondisse testatur Irenæus, qui tenellam Christi vineam deuastare moliebantur. Hos Ioannes aut ad vocabuli significationem alludens, aut ad mysterium iniquitatis respiciens, cuius illi formam nomenque gerebant, Anti-Christos velut Christo contrarios, aut vt Anti-Christi prenuncios appellauit. Videbat illos cõtrariari Christo, peruersa docendo.

Cyr. Hier. cath. 6.

Irenæus l. 3. c. 3.

Aduerte etiam quòd idem Ioannes confirmaturus præsentis suæ sententię veritatem, postmodum dicit 4. cap. *Omnis spiritus qui soluit Iesum hic Anti Christus est.* Soluere Iesum est diuidere vel separare humanitatem à diuinitate. Et sic tribuitur Iudæ, qui non credidit Christum Deum esse, vt diximus. Imò & ijs omnibus competit hoc nomen, qui oppugnant aut personam aut doctrinam IESV CHRISTI, vt volunt Patres. Nam etsi secundum apparentiam quandam nomen Christi præ se ferant & fidem, tamen cùm eum separant à veritate doctrinæ eius vt ei falsum tribuant, tantum faciunt ac si Christum à Iesu separarent. Et in eorum sunt numero qui Christum faciunt mendacem vel ignorantem futura, & proinde qui credunt hominem non Deum, meministe Iudam Christum mendacem voluisse facere cum dixit: *Nunquid ego sum Rabbi?* quasi hoc interrogatorio responso Christum mendacij, & inscitię argueret, seipsum autem sceleris non esse conscium persuaderet. Rectè igitur hic ob istas causas cum Anti-Christo &

1. Ioan. 4. v. 3.

Quid sit soluere Iesum.

eius precursoribus filius perditionis appellatur, & ei comparatur.

Veruntamen si mihi post alios opinionem meã liceat subiungere, alia post istas ratio mihi videtur assignanda, cum Ioannes cum Anti-Christo Iudam vocet perditionis filium.

Inprimis aduertite quod iuxta doctrinam Theologorum verum sit tantam esse, & tam incomprehensibilem Dei prouidentiam in omnibus rebus, vt vnicuiq; ab ortu natiuitatis proprium designet Angelum. Id etiam ex scripturis satis patet, vbi de paruulorum custodia dicitur: *Angeli eorum vident faciem Patris*. Nos autem sumus omnes paruuli quando nascimur, ideoque tutelares ex tunc omnes habemus Angelos. Quinimo dicit D. Thomas vbi supra. Sicut nec præsciti, nec infideles, nec ipse Anti-Christus priuabuntur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non priuantur exteriori auxilio, toti naturæ humanæ diuinitus concesso scilicet custodia Angelorum, per quam etsi non iuuentur, quantum ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur, iuuantur tamen quantum ad hoc quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & sibiipsis & alijs nocere possunt. Nam & ipsi, dæmones arcētur per bonos Angelos, ne tantū noceant quantum volunt. Hinc præualuisse dicitur Michael Archangelus, in prælio contra draconem, similiter & Anti-Christus, non tantum nocebit quantum volet. Veruntamen iuxta quorundam opinionem iste bonus Angelus Anti-Christi custodiæ deputatus, videns eum eleuari supra id quod dicitur Deus, aut quod colitur, ipsum dimittet vt sui iuris relinquatur.

Tho. 1 p. q. 113. & seq.

Matth. 18

Atque forsitan ea est ratio cur D. Paulus de illo dicat 2. Thess. 2. *Cuius aduentus est secundum operationem Sathanæ*. id est ex instinctu eius, vt interpretatur Thomas vbi Iudam comparat Anti-

Christo: etsi non obstante hoc dicat, non tollendam libertatem arbitrij. Quoniam, inquit, habebit vsum liberi arbitrij in quo est diabolus suggerens, sicuti dicitur de Iuda: *Introiuit in eũ Sathanas*, scilicet instigando. Operatur autem, inquit, Thomas aliquis secundum operationem Sathanæ, sicut arreptitius in quo non solũ instigat voluntatẽ, sed etiam impedit vsum rationis, quod tamẽ nõ imputatur ad culpã eius, quia nõ habet vsum liberi arbitrij: In Anti-Christo per suggestionem.

Ioan 13.

Vide Tho. 1. p. q 113. ar. 6.

Ex quibus omnibus concludo, quod sicut filius peccati & perditionis Anti Christus vbi perdiderit alios tandem ob maliciam ab Angelo proprio deseretur, & relinquetur diabolo, iuxta cuius operationem operabitur, sic etiam filius perditionis sua voluntate peruersa perditus Iudas, etsi nunquã ex toto derelictus fuerit ab Angelo, tamen tandem considerata eius malitia, permissus est ab eo in malum culpæ & pænæ cadere ex lege permissionis diuinę nequitiam eius punientis. Non secus ac si omnino esset derelictus ab illo & iã magistro perditionis traditus, diabolo inquam cuius iam filius erat, etsi non per naturã saltem per culpam: vt *Cuius opera faceret eius esset filius.*

Augu. in Psal 108.

B. August. docet Propheticè hæc verba Psa. *Constitue super eum peccatorem & diabolus stet à dextris eius*, dicta esse de proditore Iuda. Hoc vtique meruit, inquit, vt super se habeat diabolum, qui Christo subditus esse noluit. Stet autem à dextris eius, dictum est, quia opera diaboli præposuit operibus Dei. Hoc enim cuique non immerito dextrum dicitur, quod præponit, sicut sinistræ dextra præponitur. Sicut dicitur alibi: *Prouidebam Dominum in consp. &c. Quoniam à dextris, &c.* Diabolus ergo stetit à dextris eius, quando præposuit auaritiã sapiẽtię & pecuniã saluti suæ vt eũ traderet, à quo debuit possideri, ne ab ipso possideretur cuius opera

Vide plura ibid.

Psal. 15.

ipse

ipse Christus soluit à quo noluit possideri. Hæc August. & plura ibidem. *2. Thess. 2. Ita vt in errorē inducantur etiam si fieri potest electi.*

Tertia ratio accedit, cur ei nomen Anti-Christi appropriatum sit. Nimirum quod sicuti sub Anti-Christo diabolus dissoluēdus erat, vt summam potestatem in fideles tanquam Christi membra exerceret, ita etiam tempore Iudę permissum sit diabolo in Christum per ipsum Iudam ita sæuire, vt videretur iam pęnæ à Patre derelictus. De primo dicitur Apoc. 20. *Soluetur Sathanas de carcere suo, & exibit & seducet gentes, &c.* De *secundo* autem, *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum:* cùm interciperetur à Iuda. *Quod facis fac citius. Luc. 22.*

Quarto, Notandum quod sicut ipse Anti-Christus cupiens Christi fidem deperdere per operationem Sathanę, ab ipsomet Christo perdetur: Sic & Iudas Christum tradendo, per Christum traditus est in reprobum sensum & in potestatem Sathanę. De primo dicitur: *Interficiet eum spiritus oris sui*, id est mandato suo per Michaëlem Archangelum in monte Oliueti vnde ascendit. Vt vult D. Thomas. De 2. dictum est per Christum: *Væ homini per quem filius, &c. Melius erat, &c.* quia nimirum se suspendet iuxta mōtē Caluariæ, vt volūt quāplurimi vt vbi Christū interimere cupiebat ibi periret suspendio. *Hinc illud Væ vbi ponitur finis Iudæ & finis Christi 2. Thess. 2 Thomas.*

Atq; in his omnibus miranda est Dei prouidētia, qui ex operatione Sathanæ per suos ministros Iudā & Anti-Christum, tanquam omnis perditionis Antesignanos exercita vel exercenda, etiam Sathanam ipsum destruat & eius opera iuxta illud: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*. At dices, quomodo destruit, qui seipsum per operationem Sathanæ per Iudam filium perditionis Sathanæ permisit tradi? qui in suis membris etiam tradetur in Sathanæ potestatem. Respondetur vt per diabolum ipsum destruat opera diaboli & eodem consequenter quo vsus erat ministro *1. Ioan. 3.*

hominis est calumniator, & accusator, sic & eiusdem cuius vexationi commissus, si damnetur, est vltor & punitor, quomodo alter bene agenti est conregnator, sic vt sicut in hoc totum vacet ille vt ad bonum impellat, ita & hic ad malum. Antiqui illi Romani vocabant illos mali destructores, liberatores, libertatis assertores, pacificatores, conseruatores. Hi sunt qui vota precesq; offerunt; hi sunt qui accusant, ob id ab ijs vocati peruersi, detestandi, perditi, tenebrosi, homicidæ, carnifices, sicarij. Nolim autem dicere, quod hi ex ordinatione diuina dæmones hominibus assistant. Nam & ipsi hoc innata peruersitate naturæ moliuntur, vt subsannent diuinum honorem, homini struunt continuas strages, in vindictam exilij, vt animas ei surripiant, quæ in ruinam sedium Apostatarum creatæ sunt, vt reparent eas vnde ceciderunt illi, quas in Barathrum æternæ damnationis demergant. Maneat igitur hoc ita esse nos quandiu in hoc periculoso tempestuosoque mari nauigamus, tamen tam fœlices habere nautas, qui nos à ventis sua industria præpediant. Non habuit autem Angelum in suam custodiam deputatam Christus, quicquid dicat Magister cum esset plenus sapientia, gratia, potentia, cum nihil haberet peccati, cum ab instanti conceptionis diuinitas humanitati cõiuncta fuerit, cum ex tunc incæperit merito illo mæreri infinito, quod radix & origo fuit meritorũ totius vniuersi: Non indigebat custode Angelo sicut nos qui non immediatè custodimur, & Angelis mediantibus à Deo conseruamur, Angeli quidem ei seruiunt. At quomodo? vt eius potestatem hominibus notam faciant. In pueritia & in ipsis incunabulis ab Angelis celebratur, in deserto ab Angelis ministratur, in acerba passione confortatur, ab Angelis post resurrectionem manifestatur.

2. Cor. 12. Datus est mihi stimulus carnis Angelus Sathanæ. Sufficit tibi gratia mea.

Suet. in Call.

Rom. 7. Non quod volo bonũ hoc facio, sed quod nolo malũ

Christus nõ habuit Angelum

Matth. 4.

3. Documentum. 3. Accedit pro tertio documento, quod ſicut in Iuda & Anti Chriſto filijs perditionis, non potuit operari quæcunq; voluit, ſic nec in nobis. Nā & ab ijs arbitrij libertatem nunquam abſtulit, ſic nec à nobis, quo durante poſſumus à perditione reſilire præſertim cum Angelum ei reſiſtentem habeamus, qui nihil aliud niſi ſalutis noſtræ quærit occaſionē. Sicuti enim domeſticus aliquis canis vt Moloſſus, furijs agitatus & ira, ſi catena vinctus ſit quantumuis latret, ſpumet, dentibus fremat, ferrū mordeat, tamen non amplius poteſt ei propinquus ei fieri, quem mordere cupit, quam per catenæ laxationem permittatur: Sic nec etiam dæmon etſi corpora hominum animaſq; ſæpe furijs agat, tamē non amplius poteſt mordere, quam ipſa poteſtas diuina permittit, quę ſemper in homine reſeruat arbitrium, quo mediante liberum eſt illi ad vitam meliorem redire: *Vide Pepini* in hæc verba. *Vim faciebāt qui quærebant animā meam*. Et eundem in hęc verba: *Mulier quā dediſti mihi ſociam &c.* Nihil enim eſt, quod ipſum liberum arbitrium cogere poſſit. Nā etſi in perſona peccatoris in profunditate vitiorum iacentis dicat Propheta: *Domine vim patior reſponde pro me*. Tamen in hoc verbo illud dumtaxat vult innuere, quod etſi videamur à dæmonibus & vitijs vndique circumſtantibus & tentantibus deijci & cogi, tamen non vſque à Deo nos derelinqui, quin pro nobis per Angelum ſuum bonum in cuſtodiam deputatum reſpondere poſſit adiuuando, conuincendo, & dęmones à nobis procul pellendo ſi tamen homo clamet: *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me.* Verū quidem de diabolo dictum ſit: *Si fortitudo eius quæritur, robuſtiſſimus eſt*. Et alibi idem. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret*. Tamen nunquam ita permittitur in Iudam aut Anti-Chriſtum omnis nequitiæ

Pſal. 37.

Vide Th. 1. p. q. 82. & ſeq.

Eſa. 38.

1. Cor. 10. fidelis eſt Deus qui non patie tur &c.

Iob. 9. 45.

capita

capita sæuire, vt pœnitus hominem deserat, ne arbitrio liberè vtatur quamdiu vitam hanc ducit rationis capacem. Ipse enim est qui dixit: *In quacunque hora ingemuerit &c.* Et illud: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, Quiescite male agere & discite bene agere, & Venite arguite me. Reuertere, reuertere Sunamitis reuertere, Vt intueamur te.* Scilicet faciem restituendo, quam prius habebas. *Ezech.18* *Hiere.3.* *Esa.1.* *Cant.6.*

Quod autẽ Dominus non derelinquat pauperes ac miseros peccatores ex omni parte ab eis auxiliũ substrahendo patet exemplo finali. Quidam iuuenis ardebat in amorem cuiusdam puellæ, cui apparens dæmon dixit, quod si vellet abrenunciare Christo, compleret eius desiderium. Cui cum iuuenis dixisset, abrenũcio: Respõdit dęmon. Vos Christiani estis valde perfidi. Nam quando opus habetis venitis ad nos, sed post completa desideria vestra reuertimini ad Christum vestrum, qui vos suscipit benignè. Fac ergo mihi chartam nomine tuo signatã, qualiter tu abrenũcias Christo tuo, & tuo baptismo, & das te mihi & faciam quod petis. Et factum est ita. Moxque diabolus misit in cor virginis spiritum fornicationis, quæ dixit ad patrem, pater ecce morior nisi habuero talem iuuenem sponsum. Quod pater audiens dedit ei illam in sponsam. Non multò post autem puella deprehendit sponsum suũ nõ esse fidelẽ Christianũ eo quod Ecclesiam frequentare nollet. Sicque eum blandè est allocuta, vt ei præteriti facti & pacti veritatem fateretur. Moxque ipsa cucurrit ad B. Basilium narrans ei negotium. Qui cum ad se eum accersiri iussisset, illum sic est allocutus; Vis charissime ad Christum reuerti? ad quem, iuuenis vellem vtique sed non possum, quia diabolo tradidi signaturam meam. Cũ D. Basilius, fili non sit tibi curæ. Deus enim noster beni- *Ant.2.p.t.10.c.4.§1.* *Exemplũ quo patet Deum neminem omnino deserere.*

benignus est, neminemque vult perire sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Iuuenis itaq; confessus est. Qui accepta pœnitentia à B. Basilio in quodam loco secreto reclusus est, & pro eo orauit. Quē post dies aliquos visitans, interrogauit, quomodo se haberet. Cui ille: O vir Dei nō possum certè vltra perferre clamores, & terrores dæmonum in manu sua tenentium chartam meam & dicentium: Tu venisti ad nos, & nos ad te. Ad quē Basilius: Noli timere, sed confide de Dei misericodia. Dās itaq; ei modicam escam, ipsum iterum reclusit facto super eū signo crucis. Iterum quoque post aliquot dies ipsum visitauit, quærens quomodo se haberet. Cui ille: A longè audio clamores & minas dæmonum sed vltra eos non video. Et iterum dans ei modicam escam, reclusit eum vt prius. Quadragesimo igitur die iterum eum visitauit, interrogans de statu illius. Ad quem ille: Bene gratia Dei, vir sancte; Vidi enim te hodie pugnantem pro me, & diabolum vincentem. Ipsum itaque eduxit de loco, & vocata populi multitudine in Ecclesiam duxit. Et ecce in via adhuc mirabilius insultabat dæmon. Quod videns vir Dei Basilius, populum hortabatur, vt pro iuuene orarent, quatenus à diabolo signata charta restitueretur. Quibus orantibus charta cecidit de aëre inter manus B. Basilij, quem legens in conspectu totius populi statim eam fregit, & sic dictus iuuenis pœnitus liberatus est. Ecce quomodo igitur dominus non totaliter relinquit peccatores, quin paratus sit illis facere misericordiam, si parati sint sua fateri miseriam.

Nō vocatur perditus, sed filius perditionis quia non erat totaliter perditus.

At vero vt huic veritati fidem adhibeas, velim tacitus mecum consideres huius sententiæ vim, *filius perditionis* & cur non perditus dicatur? In hoc enim nobis innuitur, quod qui à Christo recedunt, & diabolo spontaneè adhærent, hæreditario quodam iure non partem damnationis, sed totam dānationem

nationem consequantur, quæ parata est diabolo, & Angelis eius. Audi partem hæreditatis & intellige totam hæreditatem. *Pluet* inquit *super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* *Psal. 10.*

Filius igitur perditionis, id est in quo est occasio siue illud, propter quod incurritur perditio, quasi effectus vel mancipium perditionis, vel res ad damnationem pertinens, sicut reus mortis dicitur, qui reus est, filius perditionis id est, super quem perditio ius habet, vt pater in filium, sed non totale.

Nec obstat hic quod dicitur: *Vt scriptura impleatur.* Quasi ex necessitate peccarit, vt scriptura vera esse diceretur. Nam ista verba intelliguntur consecutiuè siue materialiter & non causaliter. Culpa namque Iudæ non est causata ad scripturę impletionem, sed potius scriptura causata est ab ipsa prę-uisione tam enormis peccati. Deus autem qui mala etiam ad bonum ordinat, culpam Iudæ ad scripturę veritatem reducit. Omnem autem scripturam implendam esse Christus protestatus est dicens. *Luc. 21. & Matth. 5.* *Quia vnum iota nec apex preteribunt à lege, &c.* Imo dicit August. In Ps. 68. & Leo ser. 5. de passione, *D. Leo ser. 5. de passione.* Etiam per sanguinem quem vendiderat, post venditionem saluus esse poterat.

CONCLVSIO.

Vt paucis concludam notandum est, quod quicquid de Iuda dicitur id de cæteris etiam reprobis intelligendum relinquitur, vt vnde proueniat nostra perditio, facilè dignoscamus; cum enim qui ad se venit, Christus non eijcere se foras ostendit, nec suæ voluntatis esse mortem impij est protestatus. Igitur non aliunde, quam à nobis nostra perditio, excusat itaque seipsum filius apud Patrem, ne quis causetur de damnatione perditorum, in eum-

que retorqueāt esse cuiusuis damnationis causam, nisi enim quis à seipso exeat, áut retrocedat, nisi quis vltraneus ad peccatum conuertatur, nūquam sua salute frūstrabitur, nunquam exulabit à patria, nunquam priuabitur gratia, maximè autem conquæritur Christus. Quod sine causa faciat, quisquis auertatur ab ipso: *Quid inuenerunt in me Patres vestri, quia recesserunt à me? Derelinquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Potius illum cum mansuetudine nos inuitantem audiamus: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c.*

Hiere. 2.

Matt. 11.

Deponamus omne circunstans pondus peccati, vt leues facti per gratiam curramus in via pœnitentiæ donec perueniamus ad patriam Amen.

CON-



CONCIO

VIGESIMA-TERTIA

Qua rationes allegantur cur Iudas osculo Christum sit adortus, & eo quidem vt signaculo. Cur cautè ducendum voluerit. In hæc verba.

THEMA.

Qui autem tradidit eum dedit eis signum dicens: Iste est tenete eum. Matth. 26. Marcus addit. *Et ducite cautè.* Marc. 14

NON absq; iusta ratione, qui locum illũ Esaiç sunt interpretati: (*telas aranea texuerunt*) pleriq; solẽt impios araneis cõparare. Nã queãdmodũ opus araneæ minimo momẽto dissoluitur, sic & de impijs rectè dicitur: *Ducũt in bonis dies suos & in puncto, &c.* Deinde sicuti solẽt etiã ex suauibus herbis, & bene olentibus floribus etiã venenũ cõficere, sic & hi ex quibusuis etiam bonis malum colligere. Sicut enim ex omnibus malis consueuit diuina bonitas etiam bona sapienter elicere, sic & ex bonis malicia hominum mala insipienter educere. *Esa. 59. v. 5.* *Iob. 21.*

Huius rei testis est iudicum historia vbi narratur, quod deuictis & bello prostratis à Gædeone Madianitis, ne gratiam victoriæ sibi videretur ascribere, sed soli Deo ex spolijs, opere percelebri iussit *Iud. 8.*

iussit baltheum (quod Ephod vocat scriptura) aureum fieri,& illud in victoriæ à Deo partæ signum in templo reponere, vt solent hodie capta ab hostibus vexilla & armorum insignia in Ecclesijs & sacris locis appendi, post aliquam insignem reportatam victoriam.

Quod factum sanè nemo poterat non laudi ducere, & probare vt bonum, veruntamen paulatim hominum malicia succedente & hanc victoriam ex memoria hominum exulante, cępit huiusmodi Ephod adorari ab Israëlitico populo, quæ res toti Gædeonis familiæ versa est in ruinam. Dicitur enim: *Fornicatusque est omnis Israel in eo, & factum est Gadeoni & domui eius in ruinam.*

Idem & de serpente Æneo qui erectus erat in sanitatem eorum, qui à serpentibus morsuram passi fuerant, dicendum est. Nam & vsu temporis cæperunt illum adorare filij Israël, quoad Iosias pius ille Rex longè post mortem Moysis iussit in pulueres, & fauillam redigi, penitusque memoriam obliterari.

Marc. 6. Quod si ad exempla nostræ legis accedimus: Quis non detestabitur, crudele facimus Hærodis? Qui facto celebri Natalitiorum suorum conuiuio, crudele illud patrauit scelus cum in disco sibi portari fecit caput D. Ioannis Baptistæ pellicis suæ pignus? Quis credidisset in conuiuio aliud quam comitatem, pacem, & misericordiam & omnia fausta reperiri? Hinc bene exclamat Ambrosius? Quis non cum à conuiuio ad carcerem cursari videret, putaret prophetam iussum esse dimitti? Quis inquam cum audisset natalem esse Hærodis, solemne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Ioannem, ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum delicijs? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad poenam

Ambros. l. 3. de Vir.

pœnam propheta conuiuali tempore &c. Hęc ille. Nunquid ex bonis mala eliciebat?

Atque vt ad rem veniamus, intueamur Iudam cuius partes referat. Videtisne & auditis hominem sacerdotum & populi turbis dicentem: *Quemcumque osculatus fuero?* Quid suauius osculo, quid amicitia dignius? quid amabilius & sanctius? Interim ad venenum adaptat, quod in charitatis pignus seruire consueuerat.

Cuius rei veritas vt melius elucescat, distinguenda nobis sunt multa osculorum genera, tum ex profanis, tum sacris scriptoribus fide dignis.

Phylo Iudęus in libro cui titulum facit: *Quis rerum diuinarum hæres* tit. 1. 10. Osculum aliud dicit esse officiosum & populare, aliud amoris & hunc ab illo distingui. Nam amoris (inquit) osculum est, animarum coniunctarum per mutuam beneuolentiam, hoc autem nudam salutationem habet superficie tenus in occursu fortuito. Nam multi etiam inimicis, coacti aliqua necessitate, hanc officij speciem exhibent. *De osculis diuersis.*

Plinius refert ideò apud Romanos sancitum vel permissum fuisse propinquos fæminis etiam osculum dare, scilicet eas salutando, vt scilicet scirent an temetum olerent, hoc enim tum nomen vino erat. Idem dicit Arnobius. l. 2. contra gentes, vbi ait: Propinquis fæminas osculari ius est, vt ipsas probent sobrias. Attestatur idem Tertul. in Apol. c. 6. vbi ait: Et oscula propinquis offerre necessitas erat, vt spiritu iudicarentur, vtrum vinum attigissent aut olerent Neque mos hic solum apud Romanos fratres, sorores & amicos sed & inter Hæbreos increbuerat, vt patet Genes. 27. vbi fratres Esau & Iacob se salutant osculo. Item Genes. 29. Exodi. 4. 2. Reg 19. 3. Reg. 19. & alias sępè. Erant quidem eiusmodi oscula pacis & amoris *Plin. l. 14. c. 23.* *Arnobius* *Tertull.* *Gene. 27.* *Baron. t. 1.*

& amoris symbola, quæ non tollenda sed moderanda inter Christianos curarunt Apostoli, dum eos seinuicem salutare debere in osculo sancto sæpe admonuerunt. Paulus namque Epistola ad Rom. cap 16. & 1. Corinth. cap. 16. & 2. Corinth. 13. Timoth. 3. In extrema parte Epistolarum hac forma vtitur dum ait: *Salutate inuicem in osculo sancto*. Illa planè sancta oscula esse reperiuntur, quæ in sacris conuentibus illorum verborum adiuncta salutatione, *Pax tecum* abhiberi consueuerunt.

Oscula sancta.

Iustinus Martyr de his agens sic ait: Precibus finitis mutuo nos inuicem osculo salutamus, & post osculum sequi administrationem Eucharistiæ &c.

Iustinus orat. ad Ant. Imp.

Origenes in Epistol. ad Roman. cap. 16. in hæc verba (salutate vos inuicem) &c. Mos in Ecclesia traditus est, vt post orationes osculo se inuicem suscipiant fratres, hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus, quo nomine illud docet primum vt casta sint oscula quæ in Ecclesijs dantur, deinde pacem in se simplicitatemque habeant in charitate non ficta.

Origen. in ep. Ro. 16.

Tertull.

Tertull. lib. de orat. illud vocat signaculum orationis.

Cat. myst. 5. Cyrill.

Cyrill. Hierosol. discriminans sacrum a profano sic ait: Nec hoc ita accipias quasi osculum illud sit huiuscemodi, quale in foro inter omnes amicos esse consueuit, neq; enim tale est. Hoc enim osculũ animos mutuò conciliat & omnẽ malorum obliuionẽ illis spondet. Signum igitur hoc est recõciliationis animorum, vniuersęq; iniuriarum memoriæ deletæ, ac reiterationis amicitiæ veteris.

Ser. 83. de diuersis.

De adiunctione verò illorum verborum quibus osculando pax impartitur, hæc August. Post orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis dicitur: *Pax vobiscum* & osculātur se inuicem Chri-

Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis si quod ostendunt labia fiat in conscientia, &c. vide locum.

Hoc vero non promiscuè fiebat per viros vt oscula preberent fœminis, quoniam seorsim illas in Ecclesia primitiua locum à viris habuisse certissimum est, nisi forsitam successu temporis abusu irrepente. Quod videtur insinuare Athenagoras Philosophus Christianus his verbis: Tam accuratè temperare osculum seu potius adorationem salutationis oportet; ne si quomodo pauxillum mens polluta fuerit ab æterna vos vita proscribat. *Athenag. oratione ad Christ.*

Ratione huius abusus forsitam osculum in nonnullis Ecclesijs in fabulam versum est laudabiliter, cum non personas, sed imaginem vel tabulam aliquam pacis osculo per sacerdotem benedictam exosculamur. *Oscula imaginũ, tabularũ, crucis reliquiarũ licita.*

At verò quale fuit osculum Iudæ? Non amoris neq; dilectionis, nec beneuolentiæ, nec charitatis aut orationis signũ, sed proditionis, sed odij, maleuolentiæ sed inimicitię symbolũ. Videor equidẽ alterũ eiusdẽ perfidię cõplicem Ioab, qui superficie tenus Amasę se simulans amicũ, eum confodit pugione quem pacis osculo se finxerat salutasse. *2. Reg. 20.*

Assentatorio quidẽ osculo salutabat ad Iudicia venientes Absalon, vt omnium sibi conciliaret amicitiam & regni sedem secluso patre promereretur. At eundem & Patrem & Magistrum, non adulatorio sed & proditorio detestandorum labiorum amplexu suis hostibus tradere, quid aliud est, quam omnes tam leges humanas quam diuinas violare? iura societatis interrumpere? humanitatem omnem exuere? se creaturarum omnium consortio neutiquam dignum propalare? Quę conuentio vero ô Iuda verborũ horũ ad inuicem *Quemcunque osculatus fuero?* & *tenete eum?* & *Ducite cautè? Aue Rabbi?* *2. Reg. 15.*

Videtis

Videtis igitur id planè verũ esse? detestandũ huiusmodi ne dicam hominem sed parricidam non hominem ex rebus quantumuis ex institutione sui sacris & sanis impietatem, insaniam, & omne genus fraudis colligere & exercere? O vere genus aranearum Iuda, qui non maleolentibus herbis mella sed ex melle venena conficis

Aue Rabbi & osculatus est eum. Incredibile est, quanta Pharisæi, & Scribę CHRISTVM contumelia, quantis conuitijs, opprobrijs, & omni blasphemiæ nota dehonestare studuerunt, cum vel trans gressorem Sabbathi, vel hominem, qui a Deo non esset, vel deuoratorem, bibentem vinum, amicum publicanorum, peccatorem, dęmoniacum appellarunt; verum non tantum illi displicuit sermo maledicentis linguæ, quam hęc tua verba & oscula blandientis. Osculo blandiris & ore, sed & non absque nutibus oculorum, compositione, gestibus & totius corporis ostentatione, veruntamen non blanditur illud tuum cor, quod te facit illud verbum eructare: *Tenete eum.* Bene dictum est de te ô Iuda: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.* Non applaudebant Christo, qui dicebant in *Belzebuth principe Dæmon. &c.* Sed tu te blandiri, & pro consuetudine satis alioquin honesta tuo muneri facere, satis te credis, si Magistrum voces illum cuius magisterium renuebas, si congrediaris osculo cum eo quem iam sublatum de medio peroptabas. Hinc & opportunitatem tam importunam quæsieras. Nam quid magis importunum, quam illum fraudibus aggredi quẽ tua non poterat latere consilia? Illũ quẽ iam non, ita pridẽ tuas technas detexisse satis audieras? Tu tibi satis latitare te credebas, sed ei non latebas, cui dies & nox absque discrimine lucem suppeditant. *Et nox illuminatio*

Luc. 7. & 33.

Prou. 27.

Luc. 11.

apud te. Sed audi respondentem Prophetam: *Quia tenebræ non obscurabuntur à te.* &c.

In quatuor potissimum igitur Iudas proditoris partes se non frustra tentare demonstrat.

1. In salutationis exordio *Aue.* 2. In Magisterij confessione dicens: *Rabbi.* 3. In assentationis osculo. *Et osculatus eum.* 4. In instructione de modo capiendi: *Tenete*, &c. Ac vt primò de prima salutationis parte dicam: Dicit D. Ioannes agens de peruersorum, & à fide deficientium, vel incredulorum consortio: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* O Iuda tu te ipsum tuo interficis gladio cum ei benignum aue precaris cuius operibus nō cōmunicas. Si maligna enim eius sunt opera, cur ei tuum *Aue* communicas? si bona sunt, cur insidiaris hoc salutandi genere? Notandum iterum quod qui dicit *Aue*, negat infælicitatem, & omne infortunium quasi dicat. Non est quod metuas ne quid sinistri contingat, aut aduersi, nam & tu sine væ es. O Iuda si hoc ita credis esse, vel si per verba tua tale quid significari posse arbitraris, cur quem sciebas multa passurum tradis in manus Iudæorum se insectantium? ô Iuda tunc tardius pænitebit te facti cum videris illum propter tua scelera turpiter ad mortem condemnari.

Ioannis Episto. 2.

2. Vocans illum Rabbi, contra mentem insigniter loquitur. Nam qui fuerat ei quondam discipulus, factus erat deprauata voluntate proteruus Apostata. Hinc fit quod D. Marcus de ipso loquens, hoc loco dicit: *Iudas vnus è duodecim* super quæ verba doctè admodum Theophilactus dicit: non frustra adiectum est *Vnus è duodecim:* sed in proditoris detestationem, quod cum ex primo ordine esset, ita contra magistrum

Mar. 14.

Theophil.

 insaniuc.

insaniuerit. Vide autem (inquit) stuporem illius, quomodo putarit Dominum posse latere quod pro amico habendus esset propter osculum, nam si amicus erat, quare cum inimicis veniebat?

Beda dicit quod adhuc aliquid verecundiæ retinebat.
Ioan. 8.

3. Cum illum proditoriè osculatus est vt patuit, illo autem vsus est, 1. quia timebat ne si se manifestum hostem ostendisset ipse ei fieret euasionis occasio. Meminisse debuerat Iudas illius beneficẽtiæ Christi qua mulierem in adulterio deprehensam à Pharisæorum manibus eripuerat, & euasionis tam insignem illi viam prepararat, vt ei misericordiam hanc impartiretur. Vt quî potuisset huius meminisse, qui quò pedem sisteret certò non habebat donec prodidisset quem non poterat signo simulatiore manifestare? 2. Quia consuetudo Iudæorum erat ab Apostolis in sacrum hoc collegium admissa, sese inuicem tanquam amicos in egressu, regressu, vel à longinquis aduentu, aut alicuius boni internuncij signo recepto, salutare, vel osculis vel amplexibus hinc inde brachijs expansis, vt & solemnus cum pacifico nos ad aliquem gressu tetendisse testamur 3. Quia moris Christi erat & cum pacis osculo suos ad ea quæ opus erãt dimitere, & eodem regressos signo recipere. Vt testaretur se futurum eum, qui testamenti sui leges in cruce conditurus, expansis in cruce brachijs ad nos amplexandum & sibi reconciliandum moreretur. Hinc illud sponsæ ad sponsum:

Cantic. 8. *Quis te mihi det fratrẽ meũ &c. & iam te deosculer?*

4. Proditorem se testatur cum dicit: *Ducite cautè.* Satis fuerat dixisse: *Tenete.* Quia se tradi-

Luc. 24.

turum illum duntaxat spoponderat. Sed vt crudelioris animi nota signet, dicit: *Ducite cautè.* O fælices illos quondam discipulos, qui dum in Emaus tendunt & in via obuium Dominum habẽtes dulciter cogũt (ne dicam inducũt) in castellum intrare!

intrare! Quis dicat quanta cum animi alacritate cænam illā ibi prętereūt, in qua licebat illū videre, qui mortis imperio ditatus vitam ipsam vitalem & immortalem agebat, quanta fuit dulcedo? quāta suauitas; quę dicam alacritas illius frui consortio in quem Angeli prospicientes noua beatitudine beabantur? cui iam non amplius Angeli assistebant confortaturi, sed confortandi sed nouę lętitiæ medijs infinitis exultādi! At tu quem tenuere poteras & retinere, non inuitas vt apud te maneat, sed vt cautè ducatur hortaris, vt abs te abeat. Coegisses potius ô Iuda si prudenter tecum agi volebas, quem abs te abactum & abductum pro Magistro de cætero tenere non poteras.

Fęlices fuerunt & illi duo, quorū alter Andreas qui dum rogassent: *Rabbi Vbi habitas* dum audissent, *Venite & videte*: Venerunt & viderūt, & mānserunt apud illum illo die. O beatam mansionem. *Ioannis 1.*

O te fælicem Zachæe qui post inuitatum corde tenus Redemptorem, meritus es vt Abrahæ filius in hospitium tuum interius & exterius recipere Saluatorem! *Luc. 19.*

Tenete eum, &c. His verbis igitur Iudas ipse se Christi societate spontaneè priuat, & indignum se iudicat cui cohabitet, gratiam eius respuit, q.d. Ego quantum in me fieri potest fastidio ductus & tædio, huius mores, pręsentiam & monita ferre nequeo, vos videte quid hoc homine agatis, dum mihi liceat de cætero eius consortio non interesse. Ita mihi exosus est, vt illum vel vltra per diem ferre nequeam. Malo illum à vobis abduci quam ab illo me duci. Malim vos illum tenere quam ab illo me retineri. His etenim sum similis qui dicunt: *Scientiam viarum tuarum noluimus.*

Ex his facilè notare possumus quam misero in statu versabatur Iudæ cōditio, & eo infæliciore quo maius erat bonum quo se priuabat,

nempe diuina gratia à se eam reijciendo, & magistri præsentiam refugiendo, & illam per aliorum sacrilegas manus ablegando. Maius enim illud malum alterius respectu dicitur quod maiori nos denudat bono. At quod bonum maius diuina præsentia? quod maius & fælicius auxilium quam diuinæ præsentis assistentiæ? Nescio sanè si melius sit (imò sic est) melius illi non fuisse quam sic esse. O deplorandum hominem!

Simile. Sicut enim membro priuari satius est quam vita, diuitijs quam propria fama sic diuina præsentia quam quibussuis commodis priuari præstaret. O infortunatum infortunium omni bono se exuere!

Exod. 33. Moyses obnixè rogat Deum dicens: *Ostende mihi faciem tuam*, & Respondetur illi: *Ego ostendam tibi omne bonum*, id est meipsum. Illo tu te priuas Iuda? Bene enim dicunt Metaphisici quod cum ipsum bonum sit ipsius entis passio; Nihil est existens quod bonum non sit, ac proinde omni se priuat ente, qui se summo priuat bono. *Psal. 27.* *Ad nihilum deuenient*, inquit Propheta, *tanquam aqua decurrens* quæ cum scilicet in mare venerit; nomen amittit, nihil fit. *Ad nihilum redactus sum & nesciui*, quia scilicet. Omnis qui peccat est ignorans, quia seipsum quo in statu sit, non satis videt.

Quo deuenies igitur, quid te facturum putas, ô Iuda cum illum abs te reieceris, cuius medijs victitabas, cuius mensa fruebaris? cuius vita respirabas?

Ioan. 15. Audierat infidus ille alias procul dubio *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & in ignem mittent & ardet.* *Augu. 18. tract. in in Ioan.* Et illud ibidem: *Omnem palmitem non ferentem fructum tollet eum.* Super quæ verba D. Augustinus: vnum de duobus palmiti congruit,

gruit, aut ignis, aut vitis, si in vite non est, in igne erit, vt ergo in igne non sit, in vite sit. Tu tibi igitur ignẽ præparas ô Iuda, qui in vera vite Christo manere non curas. Et his cognitis nõ resipiscis? *Hieron. in c.26. Mat.*

Ducite cautè. Non defuerunt qui dicerẽt in hæc verba Iudam opinatum quandoque Christum fuisse præstigiatorem & miracula per magiam operatum esse. Sicut olim magi Pharaonis. Metuebat igitur ne si non cautè duceretur, faciliter erũperet ex eorum manibus: Et sic huius proditionis pænas daret. Ex coniecturis rerum prçteritarum, vt ait Chrisostomus, quia alias Christum sepè sepius sciebat ex eorum manibus euasisse, dum vellent, vel lapidare, vel regem facere. *Dum per medium eorum ibat:* Quia nondum venerat hora eius. Forsitan huic opprobrio, vel conuitio fidem faciens: *In Belsebub principe dæmoniorum, eiecit dæmonia.* Hinc nimium crudelis, & immisericors in magistrũ factus & iniquus iudex quasi fortibus vinculis manibus post terga reuinctis, constringi suadebat, priusquam incãtationibus, vel prestigijs astantium oculos excecaret, & pænitus dementaret. Et forte inter cæteras rationes hæc impia suspicio vna ex causis fuit, cur prostratus cum cçteris in horto, per vocem Christi non resipuerit, quod crederet id diabolicis illusionibus factum esse. *Opinatur Christum esse magum* *Chrisosto. hom.84. in Matth.* *Luc. 4.* *Luc. 11.*

Qua in re Gnostici nostri temporis Iudæ sunt similes qui fere omnia Ecclesiæ dogmata, traditiones, sacramenta, miracula diabolo ascribunt, vt benè notauit D. Thomas, vel author catenæ. Miraculorũ inquit quæ Deus per sanctos suos apud eorũ memorias sæpius operatur, diabolũ authorẽ esse publicè asserere suæque factionis hominibus persuadere non veretur. O execrãdã archinebulonũ blasphemiã! Eòne vos impietatis progredi vt quæ præpotẽti sua manu & potestate incõprehensi- *Hæretici magia vel dæmoni nostra miracula tribuunt.* *Author catenæ in c. 11. Luc.*

hensibili Deus operatur, dæmoni vos ascribatis? An forte iuxta vestram confessionem potentior filio Dei est sathan? Plusne apud vos præstigiæ & incantamenta possunt, quam vis & efficacia Euangelij? Ego certè neminem inficias ire posse omnino arbitror quod Christus cũ dilectis suis sanctis plusquam sathan, totumque eius sodalitium possit quia testante id ipsum Psalmista: *Admirabilis Deus in sanctis suis.* Sed & ipsi sancti dum in hac mortali vita detinerentur, triumphum de diabolo reportarunt, quantumuis omni in eos insurgeret impetu; itaque diuina illis assistente gratia vicerunt, vt irritus omnis illius esset labor neque quicquam è contra aduersus eos valeret, adeò vt manifestè testatum reliquerint, quantum ipsorum vis & potentia Dęmonis viribus pręualeret. Illo igitur hæreticorum spectat animus, vt quotiescunque nos Catholici in approbationem & confirmationem nostræ fidei, miraculis sanctorum tanquam testimonijs quibusdam infallibilibus vtimur, illi diabolum nobis obijciant, cuius potentiæ non sanctorum viribus, quicquid est miraculorum tribuunt. Vide Martinum Isengrinum in hęc verba: *In Principe dæmoniorum eijecit dæmonia.* En tibi igitur hæreticos Iudam referentes, eam ob rem solum quod fidei fidem fregerunt, vel Christi potentiam non satis agnoscunt.

Psal. 67.

Martinus Eisengrin. in verba. Luc. 11.

2. Reg. 17.

Ducite cautè. Notanda est iterum hic eius inhumanitas in Achitophele pręfigurata, qui cum se noctu Regem Dauidem cum duodecim militum armata manu dicebat adoriturum, se prius ipsum non inuasurum & percussurum spondet quam lassum & manibus solutum videret: *Irruens super eum inquit (quippe qui lassus est & solutis manibus) percutiam eum; cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum.* Sic igitur intendebat Iudas prius ipsum captum vinculis tradi

iis tradi, vt timore concussi qui cum illo erant in fugam verterentur, & sic osculo Christum iam viribus fractum subdolè adoriretur. O crudelitatem etiam ipsis inferis detestandam!

Maior erat ipsius Dauidis humanitas, qui cum post incendium vrbis Siceleg, dum suos insequitur, quendam reperit Ægyptium cuiusdam armigeri Amalecitæ seruum, qui propter defatigationem ex itineris fastidio turmam exercitus sequi non potuerat, & ex inedia in morbum inciderat, sic vt iam ei vires omnino deficerent, huic misericordia motus mansuetissimus ille rex, cibum iussit afferri & satis opiparum, fragmen massæ, caricarum & duas ligaturas vuę passæ, donec refocillatus & resumptis viribus eius iudicio cuneos hostium detegens, victoriam & spolia reportauit. Si mentem tuam ô Iuda talis benignitas occupasset, non hunc redemptorem tuum cautè crudeliterque duci, sed ab illo te benignè deduci postulasses. Cogitasses illum iam vigilijs fatigatum, & pedum pondere depressum, insolitis istis occursibus animo metentem & attonitum, multis in genua prouolutionibus, quas tecum alias in eodem horto frequentarat, corpore lassatum! *1. Reg. 30.*

Quærit hic Origenes: Cum Christus esset notus secundum faciem omnibus habitantibus in Iudæa, quare tanquam non cognoscentibus effigiem dedit eis signum osculi? cur tot vsus verborũ ambagibus? Respondet quia venit ad nos traditio veterũ, quod non solũ duæ formæ fuerunt in Christo, vna secundum quam eum omnes videbant, altera secundum quam transfiguratus est coram discipulis, sed quod vltra has formas vnicuique apparebat secundum quod dignus erat, sicut de manna scriptum quod habebat saporẽ ad omnem vsum conuenientem. Sicut etiam verbum dei non omnibus similiter sapit. *Origenes.* *Christus plures formas habuit quibus se manifestabat.*

Ad hanc rationem accedit quod Iacobus Alphæi, vt scribit *Ignatius* ad Ioānem, in facie assimilabatur Christo ita vt qui videret eum diceret se Christum videre. In hoc igitur iterum crudelis est quod potius discipulo quam magistro parcere vellet vt palam se in illum sæuire testaretur.


D Igna. epistola ad Ioan.

Tenete eum & ducite cautè: Super hæc etiam obseruamus quod velit nolit lingua proditoris confitetur ipsam Christi veri Dei & hominis potentiam: *Tenete eum*, quia verè potens est: *Et ducite cautè*: quia sapiens est, quia vidi eum tempestatibus & ventis fræna dare &c. Applica,

CONCLVSIO.

Teneamus nos Christum per amorem & ita cautè nos cum ipso conducamus vt à nobis nunquā abeat, inuitemus illum cum his qui dicebant: *Mane nobiscum Domine*. *Tenui eum nec dimittam*. *Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur*. Et iterum: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ*, &c. *Mihi adherere Deo bonum est*. Et vt anima Christum sic tenuerit & apprehenderit, dicet: *Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram*? &c. Sic fiet vt Deo pacificè per gratiam adhereat in terris, & ipso per gloriam fruatur in cęlis, Amen.

Luc. 14.
Cant. 3.
Cantic. 8.



CONCIO.

VIGESIMA QVARTA.

Qua declaratur quid fecerit ab Apostasia, De eius damnabili cautela in electione loci & temporis quo Christum traderet, & de eius famulitio & comitatu.

THEMA.

Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem & à Pontificibus, & Pharisæis Ministros, venit illuc cum laternis, fascibus, & armis. Ioannis 18. *Aue Maria.*

ETsi serijs in rebus non liceat verbi Dei præconi Poetarum authoritatibus inniti, verũtamẽ vbi veritatis est inquisitio nemo prophanus existimãdus est qui veritatẽ profitetur. Nam nemo nisi spiritu sancto suadente verũ dicere potest. Nõ sunt igitur aure surda audiẽdi Poetę qui dixerunt quatuor esse potissimum res, in quibus nulla moderatio, nullaque relucet in agendo considerata mensura. Et hæ sunt: Nox, amor, vinum & mulier. De tribus prioribus dicit Ouid. *Ouid.* *Amor.*

Nox

Ouid. 1. Amor. *Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent,*
Illa pudore caret, liber amorque metu.

Et Plaut. addit mulierē, dic. *Illecebrosius fie i nihil potest quam nox, mulier, vinum homini adolescētulo,* Quodetsi verè de omnib⁹ dicatur, proposito nostro aptius congruit dicere, quod in nocte potissimum nihil homo perditus, quod moderationem aliquam redoleat, facere possit, hinc fit quod quia tenebris obuoluuntur omnia, pudor (qui frenum nostris adhibet actionibus) protinus è mentibus nostris exulat, vt homo inconsiderata animi sententia facilius in horrendum aliquod crimen prolabatur. Hinc illa Deum non reformidantis, & inuerecundi temeritas, qui dicebat in corde suo:
Psal. 138. *Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me,* &c. Non absimilis erat male fidus ille consiliarius Absalonis qui dicebat illi: *Eligam mihi duodecim milia, &*
2. Reg. 18. *consurgens persequar Dauid hac nocte.* Nox illi quippe proditionis ausam conciliarat. Sicut enim fieri solet vt qui amore casto, vel impudico in aliquod feruntur amatum, non facilè vident quid
Iob. 24. *Oculus adulteri obseruat caliginem* agant, Sic nec qui nocte sese præcipites in peccata ruunt. In tenebris enim nulla rerum discretio. Nihil est alteri discolor, sed omnia videntur intueri volenti sibiipsis similia. Et concorditer ad hoc dicit idem Ouid.

Ouid. 1. de art. *Nocte latent menda, vitioque ignoscitur omni,*
Horaque formosam quamlibet illa facit,
Consule de gemmis, de tincta murice lana,
Consule de facie corporibusque diem.

Quasi diceret. Non est quod libidinosus homo nocte metuat quicquam, aut verecundetur in suas sese voluptates immergere. Nam & vitia hominum non est qui videat, nec quicquā est vnde pudor nasci queat. Pronus igitur in quæuis crimina feratur qui noctem sibi voluerit, vt inimicam pudoris in amicam criminis per-

petran-

petrandi adſciſcere.

Inter illas ſanè pręclaras animi, tum corporis dotes quas Salomon aſſignat mulieri forti, dicit: *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Quam quæſo putatis eſſe veram mulieris in nocte lucernam? dicit Dauid: *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* id eſt timor Dei peccatum prohibentis, ac proinde pudor qui ex timore naſcitur. Exularat proculdubio timor ille à ſcelerato Iuda, cum non abſimilis Achitopheli illi poſtquam à cæna ſe ſubduxerat, & ab Apoſtolico cætu apoſtatarat. Nocte nefandas rationes ſecum inibat de loco quo benignum Redemptorem tacitè perderet. *Sciebat locum &c.* & non ſciebat, quia in nocte peccabat, ſeipſum nec perſonam Chriſti diſcernebat: O quam inconſultò Iuda credebas Magiſtrum tuum latere, quid ageres, cui nox illuminatio erat in proditionibus tuis. O quam verè dicit vates regius: *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te &c.* Dixiſſes infelix potius cum ſponſa illud. Cant. 3. *Quæſiui per noctem quem diligit anima &c.* Quantum ſollicita eſt enim anima reprobi ſeipſam perdere, tantum mens pia ſeipſam Deo lucrifacere. Sed nec hoc mirum, quippe noctua factus eras; Erat tibi dies exoſa, quia veritatis oblitus nihil niſi tenebras ignorantiæ & peccati palbabas. Lucerna tuis pedibus in nocte debebat eſſe verbum illud: *Væ homini per quem filius hominis tradetur*: Ne potius illud væ tibi contingeret, quin illud à ceruicibus tuis auertebas per nocturnas cum tuo Redemptore preces ad Patrem æternum pro te fuſas, in nocte pro nocturnis tuis ſceleribus.

Pro. vlt.

Pſal. 118.

Non deſunt authores qui dicant Chriſtum iſta nocte pro Iuda preces ad Patrem fudiſſe, cum dixit: *Tranſeat à me calix iſte*: Veruntamen

Vide Baſilium in Apologe-

tamen quanto auidius in nocte Christus huius saluti inhiabat, eo amplius iste suę proditioni laxabat habenas. Quippe timorem & pudorem, noctis lucernas iam perdiderat. Nec forsitan malè quisquam coniecerit perfidum virum potu semicaptum fuisse, cum constaret hunc vt cæteris voraciorem, sic periculi metu in cena præ cæteris calices epotasse vt eò fieret audacior, quo per excogitatum scelus poterat esse timidior, nisi peregregiè bibendo timorem repulisset. Hic monebis si voles vnumquemque vt lucernas timoris & pudoris in nocte habeant, quia non habuerat hic qui cum matre noctu concubuerat, & cum Magistro, cum se proditorem illius esse demonstrabat.

August. Serm, 28. de ca. Do.

Ex hac proditoris versipellis fraude & versutis dolis patet iterum verum id esse quod dicitur: *Filij huius sæculi prudentiores in generatione sua sunt quam filij lucis.* Considerabat scilicet astutus ille nebulo quantum periculi suo capiti promineret, si palam & in die locum & hominem quæreret. Nam satis audierat quid ad inuicem compromiserant, & quasi manibus adinsimul collatis quod scandalum non essent passuri, quod in mortem cum illo parati forent manifestam prorumpere. Atque inter cæteros Petrum hęc asseuerantem & mordicus iurantem in tutelam sui præceptoris metuebat. Et Christi consanguineos qui dixerant. Roganti an cum illo eundem vellent calicem potare. *Possumus*, quasi dicat, potentes sumus & volentes in arma ruemus, in cruces, in mortem, &c.

Luc. 16.

Timebat turbas.

Matth.

Sciebat locum. Quinimo sciebat tempus & horam qua conuenire solebat in silentio nocturnę quietis. *Segregatus à peccatoribus excelsior calis factus.*

Hebr. 7.

Eadem

Eadem ipsamet loci cognitio hominem à perpetrando scelere debuerat auertere. Magnum enim salutis adminiculum illi misero poterat esse quod huius loci notitiam haberet. Sicut enim vnicuique rei locus assignatur, in quo naturaliter sibi bene est, sic & Christo. In siluis enim licet potius reperire lepores quam pisces in aquis, aues in aere &c. Scitis quam olim solliciti fuerant illi duo Ioannis discipuli, qui mox vbi illum de Christo testimonium perhibentem audierant, inquirunt cum ingenti sollicitudine locum, vbi moraretur, dic. *Rabbi vbi habitas?* &c. vide locum.

Ex cognitione loci, debuit resipiscere.

Ioannis 1.

Zachæus quia statura pusillus erat, vt Christum videret, ascendit in arborem Sycomorum, quia inde erat transiturus. O quam opportuna sollicitudo!

Et sponsa in Cant. *Indica*, inquit, *mihi quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes* &c. Verum in suæ salutis perniciem, hic miser abusus est loci certitudine. Et in hoc serpentis astutias imitatur, qui primum parentem in horto blandicijs aggressus est.

Cant. 1.

Deinde animaduerte quod eo grauius delictum quod eum orantem adoriri voluerit in loco sacro, vbi scilicet mysterium illud ascensionis erat adimplendum. Idem olim contigit D. Lamberto & D. Thomæ qui dum sacrum mysterium de more peragerent, crudeliter à suis ciuibus ad altare sunt interempti. Non est dubium quin sæpe illic mirandas Christi cum Patre collocutiones audierat. Modum orandi didicerat, quod facilè colligitur ex eo quod dicitur: *Quia frequenter conuenerat illuc*. Solitaria enim loca & silentio apta quærebat maximè tunc cum aliquid arduum exequi volebat. Sic in Montem exijt orare cum

Dicitur Moysi. Locus in quo terra sancta est. *Exod. 3.*

cum voluit in Apoſtolos duodecim eligere, Cum docuit beatitudines &c. Erat enim mons Oliueti, mons miſericordiæ, & pacis. Nos ſumus Oleaſtri, ſed inſerti in Chriſtum, bonam Oliuam, Iudas verò ſemper Oleaſter remanſit. Hunc locum pacis & quietis quærebat Chriſtus. Adorauerunt hunc locum vbi ſteterant pedes eius Apoſtoli poſt Aſcenſionem. Locus ille quietus ad orandum, & docendum valde cõmodus erat. Et hoc in exemplum noſtrum non in ſuam vtilitatem. Neque enim locus aliquis illum inquietare poterat qui tempeſtatibus & ventis frenum adhibebat ne quid ſuo tumultu nocerent hominibus. *Cum oraueris, intra cubiculum tuum. In terra ſanctorum iniqua geſsit Iudas.*

Matt. 6.

Religioſi Apoſtata Iudæ ſimiles.

Nota etiam quod illi Iudę in hoc facto perſimiles ſunt Apoſtatę qui dum religioſam veſtem conculcarunt, profanarunt, ſubſannarunt & in publico theatro deteſtati ſunt, tandem ea loca quæ quondam illis in oratoria, in choros, in templa conſtructa erant, vel ſolo euerti vel flamma conſulunt exuri, & ferrò illos interimi, vel amoueri eos qui huiuſmodi loca cum ſumma quõdam pietate coluerant & ſuam fuerant ſalutem cooperati. Hoc fecit in Germania Lutherus, de quo dicit Ioannes Cochlæus in eius actis, anno Domini 1523. quod ille ſibi ius arrogaret edendarum legum tã in Eccleſiaſticis quam in ciuilibus rebus. Hinc inter cęteros ſuos libellos vnum ſeditioſus homo fecerat de communi fiſco. In quem deputabat fundos & bona omnium monaſteriorum, campeſtrium quorumcunque ordinum, de quibus ait melius fuiſſe ſi nullum eorum vnquam fuiſſet ſuper terram. Cum autem iam ſint optimum forcyt interire ſinantur, aut ſi cõmodè

Lutherus Iudæ diſcipulus.

modè fieri queat vt funditus & omnino tollantur. Hinc & eundem dicit ad vim & arma contra Romanam Ecclesiam conclamasse, in qua fidei iecerat olim fundamenta. Non secus atque alter Iudas qui locum in quo sepe sæpius ad orandum conuenerat iam factus armiger ex Apostolo profanabat &c.

Venit illuc cum laternis, facibus & armis. Perdita scilicet pace conscientię, externis armis & multitudine se munit, quod signum timoris est. Nec simplici multitudine sed vtraque potestate, Romanorum scilicet & Pharisæorum, his fultus præsidijs securum se putabat. Verum ô stultum hominem: *Nolite,* inquit, *confidere in Principibus, &c.*

Timent enim malè bonos vt Herodes Ioannem: etiam mortuos vt Cain Abelem.

Psal. 145.

Cæterum quod tam facilè sibi copias vtrimque sibi comparauerit, & sæcularem ac spiritualem potestatem contra Christum, indicium est quod vterque Magistratus impius erat, nec suo debitè fungebantur officio. Videmus, inquit, Ioannes Ferus, quibus armis impij Babilonis ciues impugnent ciues Hierusalem, hoc est pios, nempe non veritate & iustitia sed tantum vi & potestate. Item impij cum arguuntur, vi humana se tueri volunt, quia Deo non confidunt. Multitudine se muniunt, quia minus putant se peccare si cum multis peccent. Denique etiam in hoc speculamur Iudæorum cæcitatem & ipsius Iudę quod lumen mendicent à lucernis cum habere possent solem iustitię quem volunt extinguere, timent ne in foueam incidant aut in lapides impingant: *Sic impij trepidant timore, vbi non erat timor.* Et vbi timere deberent illic securi sunt. Nam quod postmodum fecit, ipsos leui momento poterat a se repellere.

Ferus.

Psal. 13.

Psal. 36.

Veruntamen sicut Iudæi hic gladium iniustè contra Christum euaginarunt, sic iusto Dei iudicio

iudicio factum est, vt gladius eorum intrauerit in corda eorum. Pro vna enim cohorte Romana quam contra Dominum conduxerunt, immensum romanę virtutis exercitum contra eos misit Deus. Et quia cum laternis, facibus & armis exierant ad capiendum Christum, iusto Dei iudicio lucerna legis & prophetarum ex eorum manibus cecidit sicut scriptum est: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.*

Psal. 68.

Cyrillus agens de causis cur Iudas cohortem acceperit, dicit malitia fuisse excecatum nec cogitasse omnia, sed ea quæ proposito consequendo apta erant. Potentiamque Christi multitudine comprehendentium superare sperauit & credidit.

Cyril. l. 11. c. 32.

Chrisost. dicit amplius Iudam cohortem mercede conduxisse. Erant enim viri militares & pecunia omnia audebant & hom. 83. Negat iussu Pilati milites venisse ad comprehendendum, sed pecunia conductos & id probabile est. Non tamen Iudam conduxisse eos, sed principes forsan hortatu Iudæ credibile est id fecisse, quanquam etiam probabilius est Principes à Pilato impetrasse cohortē, persona forsam non proposita, quæ erat comprehendenda, non enim aliter Tribunū cum hac cohorte tota venire ausum esse existimo, nisi Præsidis authoritas interuenisset.

Chrisost. hom. 18. in Ioan.

Hinc nobis desumenda sunt quædam ad mores documenta: In primis ex eo quod *Iudas sciebat locum,* & hac scientia malè vsus est. Aduertendum est duplicem esse scientiam bonam & malam. Hanc scientiam habebant discipuli hanc habebat & Iudas. Illi ad orandum locum sciebant, ille ad capiendum Christum, & vinciendum & tradendum. Attende diuersitatem scientiæ vnius & eiusdem loci. Sciunt hęretici Iudæ locum,

Duplex scientia.

locum, sed, quod isti sciunt hoc malè sciunt, quia peruersè scientiã hanc exponunt & ad perditiones suorum proximorum & suiipsorum sciunt. Prius sciebat Iudas & hæreticus ad obsequium & ad salutem & quod sciebat in Christi & Apostolorum consortio tanquam scholaris & discipulus didicerat, sed diuisus quam didicerat peruertit scientiam cum hæreticis: Quia cum peruersis peruersus erat. Quod prius sciebat ad salutem, expendit ad damnationem: quia sæpe conuenerat cum cæteris: Quamuis si strictè verbum scientiæ sumimus, non erat scientia, sed scientiæ peruersio. Quia *scientia est verorum & bonorum*. Non enim nisi falsò potest ascribi propriæ scientiæ ratio. Hæreticis & incredulis de quibus ait Saluator: *Credentes se esse sapientes stulti facti sunt*. Longè melius igitur fuisset illi nunquam scientiam hanc habuisse & abusum esse hac quam habebat, scientia. Dicit enim Petrus: *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato.* *Arist. 1. de Anima.* *2. Petr. 2.*

Non desunt hodie Iudæ sequaces in eo quod scientijs à Deo sibi concessis ad virtutem conquirendam, ad iustitiam administrandam, ad effugandas voluptates, innocentes protegẽdos, ad rescindendas cauillationes, ad cohibendam insolentium temeritatem, è contrario feruntur in omnem impietatem & iniustiam, & in sui suorumque proximorum ruinam & destructionem.

Hæc omnia sciunt Iudices, & legis periti, sicut Iudas in aliorum & suam perniciem, contra pupillos & viduas & insontes insurgunt, contra iustitiam condemnant Magnatum causas scienter iniustas spe mercedis, fauoris, aut intuitu timoris alicuius, contra fas suscipiunt, susceptas tuentur & mordicus prosequuntur similes Pharisæis, qui sua lege dignum morte Christum vociferabantur: *Nos*

legem habemus, & secundum legem debet mori. Cùm tamen eorum legi nihil magis contradicat quàm insontem condemnare, innoxium sanguinem effundere, virumque iustum è medio tollere.

Capalla. Hic reprehendes ex ordine, Oratores & Poëtas falsa persuadentes, Logicos fallacijs decipientes, Arithmeticos calculis inter mercandum abutentes, Geometras & Astronomos non iam astra contemplantes dumtaxat, vt ex eis futura verisimiliter prænuncient, sed vt doceant ab illis omnia quasi necessitari, vt rectè iam Astrologia soror aut socia Necromantiæ dicatur. Sic & musicos effæminatos, impudentes, inuerecundos, ebriosos & id genus homines scientijs abutentes.

Documentum ad Ecclesiasticos. Insuper *secundo loco* notandum est ex eo quod de loco dicitur, *Sciebat locum* & quod *illuc venit* scilicet inordinatus animo, incompositus mente, ductus auaritia, quod multi etiam ad instar Iudæ concupiscunt locum Christi, sciunt Ecclesiæ dignitates, Episcopatus, Prælaturas, dominia, præbendas, beneficia esse Christi domicilia, & mansiones & loca, & ad ea loca non accedunt, sed concurrunt, & præcurrunt ne quis prior occupet, non vt opus exerceant, sed opes conquirant, non vt pauperibus, sed carni succurrant & sanguinij, suæ sensualitati consultant & seipsos non suas oues pascant moribus, doctrinis & exemplis.

Ad sæculares. Sciunt etiam sæculares ipsi locum Christi esse Ecclesiam, quæ domus Dei est locus orationis & pietatis, sed illam sæpe latronum speluncam faciunt, dum nec Christum, nec cum Christo orãt, sed suis potius ineptijs, scurrilibus ac lubricis cogitationibus, necnon prophanis actionibus & vocibus irritant. Veniunt velut satellites armis stipatæ mulieres, fimbrias suas dilatantes, circumornatæ vt similitudo templi, non vt orent, sed vt vel inspiciant, vel vt inspiciantur, *Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.* Idem de iuueni-

bus

bus & adolescentulis dicendum: Hi sunt igitur Iudæ sectarij, qui locum quem sciunt esse Christi, ad damnationem sciunt, quia quæ Christianorum sunt in eo non faciunt.

Vtinam potius cum indoctis surgeremus cælumq; raperemus, quàm cum prophanatore Iuda præcipites in infernum demergeremur. Nonne scimus nos quod, *In pace factus est locus eius?* & tamen sinistri pacis æmulatores nostris rixis, dissentionibus, controuersijs, quę pacis sunt, subuertimus. Scimus & in humilitatis loco constitutum esse Christum, qui *Exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem &c.* Nos autem superbia nostra & sæculi fastu, omnem humilitatem, modestiam, patientiam, pietatem & mansuetudinem destruimus. Scimus & Christi locum esse continentiam, castitatem, puritatem, & hæc quotidie loca deturpamus nostris lasciuijs. Christi locum sobrietatem & ieiunia esse didicimus, quæ colluuijs & commessationibus nostris labefactamus. Locum Christi conscientiam nostram esse intelligimus, quæ tamen quantis dehonestetur sordibus, inquietudinibus, & erroribus quis facilè dicat? Satius est ergo hunc locum nescire, & cætera si non prosit nos scire, vel si nostrum scire nostra sit perditio. *Philip. 1.*

Tertio loco ex istis verbis: *Cùm accepisset cohortem*, Colliges Iudam obtinuisse à perfidis quicquid expetijt vt perfidiæ suæ munus exequeretur. Cogebât ministros & cohortem Principes inuidia agitati, Iudas ductor belli insania agitabatur. Ductor impiorum ab impietâte ducitur vt verùm sit illud: *Quod si cæcus cæco ducatum præbeat ambo in foueam cadant.* Sæuior omnium efficitur ille qui maiora assecutus fuerat beneficia, *Incrassatus dilectus, impinguatus, dilatatus, recalcitrauit.* Qui enim fieri potest vt talia ac tanta beneficia nisi tali ac tanta ingratitudine dissolui possent? *Luc. 6.* *Deut. 32.*

Animaduerte præterea ex his verbis quantus ignis & quam ingentes flammæ ab vna scintilla succrescant. Iudas Pilatum, Pontifices, Sacerdotes, Phariseos, milites & turbam sua iniquitate succendit, & per hunc pessimum proditorem, tot fiunt & in vnum conflantur eiusdem proditionis cooperatores, Christum conculcantes, & ad nihilum si potuisset fieri redigere, cupientes. Vna infernalis fauilla fuit Arrius, vna Lutherus, vna Caluinus, quę quam copiosum ignem in toto orbe suscitauerit, dicat Ecclesiam hinc inde carbonibus & flammis denigrata. Hæc tamen improborum omnium sors est, & vna conditio, vt cum Patre ac omnium improborum Principe mediam stellarum, id est, bonorum & simplicium hominum partem è cælo in terram præcipitem trahant.

CONCLVSIO.

Qua verò vigilantia arcendi sunt tales improbi, quorum perniciosis moribus integræ contaminantur Respublicæ? Ezechielis vaticinium in illos bene quadrat, de quibus Dominus ait: *Hæc dices ad exasperantem domum Israël: Sufficiant vobis scelera vestra eo quod & ad peccandum alios inducitis.* Ad Hieroboam autem qui peccandi occasionem multis præstiterat. *Ecce ego inducam mala super domum Hieroboam, & percutiam de Hieroboam mingentem ad parietem, & tradit Dominus Israel propter peccata Hieroboam quia peccauit, & peccare fecit Israel.* De Manasse autem, inquit, *Quia fecit Manasses Rex Iuda abominationes istas pessimas, & peccare fecit etiam Iudam in immundicijs suis, propterea ego inducam mala super Hierusalem, & Iudam:* & qui audierit tinniant ambæ aures eius, & delebo Hierusalem sicut deleri solent tabulæ. Ab his malis & exemplo Iudæ nos seruet sancta Trinitas, Amen.

Ezech. 44

3. Reg. 14.

4. Reg. 12

CONCIO VIGESIMA-QVINTA.

De occursu & colloquijs Iudæ & Christi, tempore proditionis. Quod similis fuerit obuiationi Iacob cum Esau: Et de septē vijs quibus Iudam reconciliare Christus conatus est.

THEMATA.

Et qui vocabatur Iudas vnus de duodecim appropinquauit Iesu vt oscularetur eum, Et cùm venisset statim accedēs ad Iesum dixit: Aue Rabbi: Et osculatus est eum. Iesus autē dixit illi: Amice ad quid huc venisti? Iuda osculo filiū hominis tradis. Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioan. 18.



QVam fuerit vehemens odium Esau filij Isaac erga fratrē suum Iacob, nemo potest ignorare qui Genesis historiam legerit, ac præsertim versum illum capitis 27. *Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei Pater, dixitq́; in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & ego occidam Iacob fratrem meum.* Super quæ verba venerabilis Beda testatur, per Esau fuisse figuratos Principes Iudæorum

Gen. 27.

Beda s. Genes. c. 25. & 27.

Iudæorum Christo occurrentium, vt illum interciperent. Quoniam sicut ille inueterato furore & odio agitatus, fratrẽ insecutus est & ei redeunti à Mesopotamia cùm quadringẽtis armatis occurrit, vt sumeret de illo vindictam, sic & isti vt Christum è medio tollerent, illi occurrerunt. Veruntamen quoniam cohortis Iudæorum dux erat Traditor Iudas, melius dicemus Iudam per Esau figuratum; Et Saluatorem nostrum per Iacob sicut dicunt Hieron. & Ambros. quod vt verum esse sciamus, videndum quomodo vterque respondeat vtrique. Sicuti Deo sic prouidente fratrem suum Esau primogenitum Iacob supplantauit, ius primogenituræ commutando, & benedictionem surripiendo. Sic Christus ita permittente diuina prouidentia, ius primogenituræ quod in hæreditate muneris Apostolici Iudas habebat, abstulit & cõmutauit, cùm in eius locũ Matthias assumptus est. Ius benedictionis furatus est cùm dixit illi: *Væ per quem filium hominis tradetur.* Et sicut quanto magis Esau fratrem suum Iacob persequendo seruus eius factus est, & eò magis à Deo Iacob eleuatus, sic quantò magis nocere voluit Christo Iudas tanto sibi amplius nocuit, & eo celebrior Christi fama per passionem facta est. Cùm *Deus exaltauit illum Pater & dedit nomen super omne nomen.* Deinde sicut Esau de fratre suo vindictam sumpturus vadit illi obuiam cum 400. viris armatis, ita & hic Christo fit obuius Iudas, vt vtraque potestate stipatus illum per vindictam Iudæis tradat. Et sicut Esau ratione surrepti iuris in corde suo iurauerat se fratrem interfecturum. Sic & perdita primum occasione trecentorum denariorum, qui ex vnguenti venditione poterant haberi, intrauerat sathanas in cor Iudæ, vt firmiter proponeret se Magistro suo vltra non adhęsurum, sed Iudæis pro recuperando precio venditurum.

Hierõ. ad Damas. q. 3. & Ambros. 2. de Iacob.

Philip. 1.

Iterùm sicuti Iacob mansuetus ac benignus, ac

pacis amans, quibus potuit medijs & remedijs conatus est fratrem suum sibi conciliare & insensum ab ira reuocare, ijsdem etiam remedijs mansuetissimus Saluator erga proteruum vsus est, quatenus nihil deesset quod ad placandum Iudam desiderari posset. In hoc vno figuratum figurę nō respondet, quod Iudas implacabilis remanserit, quod non fecit Esau. Ac *Primo* muneribus ad illum missis studuit eius iram placare dicens: *Placabo eum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.* Sic & Christus multò valentiora, quinimo prorsus inęstimabilia dona præmiserat, quorū remunificētia Iudas placaretur. Potuítne Redemptor mundi dare quicquam preciosius quàm proprium corpus & sanguinem cùm familiariter & liberaliter illa contulit Iudæ sicut & cæteris. Donum (inquam) infiniti valoris sicut & ipse erat, qui seipsum dabat & in corpore, & in anima, & in tota diuinitate. De hoc dono dicebat Sap. *Dabitur illi fidei donum electum & sors in templo Deo acceptissima.* Sors illa est etiam de qua in Act. c. 1. dicitur. *Quod acceperat sortem ministerij huius.* Scilicet administrandi Euangelij & sacramētorum. An poterit homini maius quidpiam conferre nisi hominem faceret Deum? Nam si verum est quod Salomon dicit: *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam:* quanto magis donum hoc quod nec absconditum, sed oculis expositum, nec in sinu, sed in ore, sed in manibus dabatur hominem ab incæpto deterrere debebat? Donum inquam tam patenter ad beneuolentiam hominum conciliandam comparatum, vt plurium discordantes animos, concordes faciat per sui susceptionem, vt & communio dicatur & amoris sacramentum, ad quod nemo prius dignè recipitur, nec ad altare vocatur, nisi Christiano fratri reconcilietur. Per quod munus testabatur se ita dilexisse discipulos,

Genes. 32

Sap. 3.

Prou. 2.

Matth. 5. vt in finem hunc illos diligeret, scilicet vt hoc
Si obtuleris munus ad altare & recordatus &c. vide locum. munere singularis amicitiæ donaret. Nonne sufficiens hoc munus esse debuerat, vt Christo reconciliatus inter armatam cohortem militum viam sterneret, qua sese è manibus hostium eriperet? *Donum n. hominis dilatat viam eius & ante Principes spacium ei facit.* Dauid ille Rex à mansuetudine tantum Deo commendatus, memor donorum quæ receperat à Bersellai octegenario, qui suppe-
Prou. 18. v. 16. ditarat ei alimenta in castris dum fugeret à facie Absalon: Salomonem filium suum hortatus est
2. Reg. 19. v. 31. moriens quatenus eius filios sibi commensales adsciscerет: At quanto magis hoc alimentum,
3. Reg. 2. Panis Angelorum memorem beneficij Iudam fecisse debuerat? Si verum est quod sa-
Prou. 19. piens dicit: *Multa sunt amici dona largientis*: Quomodo sese hic tot tamque præclaris donis ad se reuocatum ex inimico non fecit amicum? Et si valet ad corrumpendos animos munus, quidni valeat ad reconciliandos?

Philip. Macedo. Erasmus in Apopht. Philippus Macedonum quoniam pleraque perfecit dando potius quam bellando, iactatum est in illum, non Philippum, sed Philippi aurum subiecisse Græciam. Erasmo teste in Apophtegh.

Cic. l. 1. offic. Caius Pontius (Cicerone teste) aiebat: Vtinam ad illa tempora fortuna me seruasset: & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cæpissent, Non essem passus diutius eos imperare.

1. Cor. 3. Verumtamen quia teste Paulo, *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Non potuit huius valorem diiudicare, hinc eius memoria non potuit ad mentem Christo reconciliandam in seipsum redire, vt nec Christus infensus esset.

2. Humilitas *Secundo.* Cùm sibi fratrem iratum vellet Iacob sedare, id conatus est animi & corporis submissio-

ne, & ea

ne, & ea qua potuit sincera cordis humilitate. Dicitur enim vbi supra: *Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret Frater eius.* Sed quis facilè dicat quanta deiectione & submissione, Iudam sibi lucrari conatus sit Saluator, cùm ad huius maligni pedes prouolutus est, multò maiore cum honore quam Abraham coram Angelis in humana specie sibi apparentibus? Imò cùm forsitan talem ablutionem ab illo inceperit? sicut opinari diximus Chrisostomum. *Christi cum Iuda. Genes. 33. Chrisost.*

Dicam etiam amplius: in hoc magnam Christi benignitatem & humilitatem eluxisse, eò quod eius pedes curiosè lauarit ne videretur ipse singulariter inter cæteros notari cũ diceretur à Saluatore: *Vos estis mundi, sed non omnes.* Ita enim videtur Origenes sentire. Parúmne erat illum ante sceleratũ genu flectere de quo dicitur: *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum?* Illum de quo scriptum est: *Et cùm introduceret iterum Vnigenitum suum in mundum dixit: Et adorent eum omnes Angeli eius?* Verumtamen peior factus reprobo Esau non potuit genu flexione placari, vtpote qui iam per superbiam animo elatus & obfirmatus erat, & nullius indigens videbatur. *Origenis opinio in hunc locum. Ioan. 13. Philip. 2. Heb. 1.*

Tertiò per amplexum (qui tamen forsan animo satis sinistro fuerat ab Esau exceptus) fratrem suum sibi deuinxit Iacob. Tot enim submissionis signis non poterat nisi contumax & insolens animus non mansuefieri. Dicitur enim ibidem quod cum iam approximasset: *Esau currens obuiam fratri suo Iacob amplexatus est eum & osculatus fleuit.* Appropinquauit & Iudas & amplexatus est, & collum strinxit & osculũ præbuit, sed non fleuit, quia similatoriè, quia proditoriè Christum adortus est. Hinc vt se verè consiliatũ fratri palã faceret Esau, post osculum blandis verbis illũ cõuenit, & fratris nomine compellauit eius munera comiter recusando & dicẽs: *Habeo plurima frater mi.* Rogauit *3. Amplexus Christi & Iudæ.*

de comitatu quis esset. Imo se comitem itineris iterum atque iterum obtulit dicens: *Gradiamur simul eroq; socius itineris tui*. Quod cùm curialiter Iacob excusasset, iterum dixit Esau: *Oro te vt de populo qui mecum est, saltem socij remaneant viæ tuæ.* Videtis quantum effecerint Iacob in fratrem collata beneficia, animi beneuolentia & suaues amplexus? Iudas verò post osculum quem antea fictè Magistrum vel Rabbi nomine insimularat cùm se detectum videret nec Magistrum agnouit, nec itineris illi se locum adiunxit aut complices suos, sed & suos consortes ita Christo effecit aduersarios, vt de illo diceretur, *Stabat & Iudas*, id est in malignitate persistebat & de alijs, *Quærimus Iesum* vt caperent. Donec illi cum Iuda *Abierunt retrorsum.*

Nota iterum quod vt foueret huiusmodi redintegratam amicitiam Iacob, quibus verborum blandicijs fratrem suum deliniuit, nunc orando, nunc excusando, nunc omnia sua illius esse dicendo, & se seruum illius nuncupando, (cùm tamen illi Dominium & primogenitura iure diuino deberetur), nunc ipsum tanquam Dominum interpellando. Hæc & plura erga suum præstabat hostem Saluator vt exemplo nobis esset diligendorum inimicorum.

4. *Amica interpellatio.* *Quarto.* Amicè percunctando & amicum se sincerè confitendo, hinc ille fratri suo dicebat: *Vidi vultum tuum tanquam vultum Dei*, quia in fratre quamuis sibi infenso agnoscebat Dei viuam & expressam imaginem quam diligere debebat, ideo non tanquam hostem, sed vt amicum salutabat, vt sincerè suas partes ageret, vt pro malo non malum, sed iuxta Pauli consilium bonum redderet. *Rom. 12.* Nam malum illud erat quod illum Rabbi vocaret. Ille verò se iam non Rabbi, sed amicum vocat, *Amice ad quid?* &c. Quasi diceret: falsò me dicis Magistrum cuius præcepta non sequeris, cuius

cuius iam instituta deseruisti, à cuius consortio defecisti, sed si me vocares amicum, rectè diceres, sum etenim tam tibi inimico amicus quàm amicis cæteris. Resipisce igitur & experire vtrum liceat amicis & talibus tales insidias struere.

Ad hæc, duo sunt hinc ex amplexu Saluatoris ad reuocandum Iudam consideranda. *Primùm* quod nunquam legitur aliquem Saluator osculo familiariter excepisse, nisi hūc inimicissimum suum Apostatam, atque tunc maximè cum illum ad mortem insectaretur & inimicis occidendum propediem traderet. *Alterum* quod nusquam legimus ipsum amici nomine compellasse, nisi cum totis viribus inimicum se fateretur. O quàm salutare fuisset osculum si Iudas ad instar filij prodigi Patrem vicissim complexaretur, & ei brachia tendens osculum præberet! Sed ô duram duriciem!

Amicum igitur vocabat non quia amicus erat, sed quia postmodum amicus fieri poterat. Non considerabat quod erat Christus, sed quid esse poterat, vel imaginem Dei videbat amicam. Ad hoc adfert insignem similitudinem D. August. cuiusdam fabri, vel Carpentarij, vel sculptoris qui lignum præcisum à sylua adamauit, non quia tale est, sed quia ex hac pulchram imaginem sculpere potest. Sic & Christus vt amicum se faciat qui maximè tunc erat infensus hostis.

Aug. tom. 9. in Epist. Ioan. tract. 8.

Quinto reuocat Iudam ad huiusmodi amicitiā, reductione ad mētem & ad considerationem causæ sui aduentus dicens: *Ad quid huc venisti?* quasi dicat nulla meliore via poteris ad amicitiā de qua loquor venire, quam teipsum in te reuocando & recogitando qua intentione huc veneris, an recta, an sinistra. Vult vt omnes circumstantias sui aduentus examinet. Consideret quis ipse sit & quid sit, quod Apostolus, quod Christi familiaris & hospes. Quid illum mouerit, quæ iniuria, quæ detrimenta, quæ passus sit incommoda; an ipse

5. Reuocatio Iudæ ad mentem.

hanc

hanc cohortem adduxerit, an ipse verò sese vltro ducem præbuerit; Consideret etiam loci dignitatem, solitudinem, montem oliuarum locum orationis consuetum, cogitet quoties in meliorem causam illuc sæpe cum Apostolis & Christo conuenerit. Quarè tam intempesta nocte, quare cum armatis tanquam ad latronem, quare tali tempore, cùm iam à cœna recessisset, tot affectus beneficijs, an animo nocendi, an orandi? Si cogitas te meum esse Apostolum (quod significat missum) tu non es huc à me missus. Si quis te mouerit vt venires in teipso teipsum causam reperies, quia nō vocatus vltro te ingessisti, At verò si quid in me causæ fuerit, quæras, An detrimento fui corpus meum communicando? pedes lauando? &c. Si bona cum intētione nobis in occursum venisti, cur inermem armatus aggrederis? Quid tibi facere debui & non feci? Locum verò si attendis, locus orationis te non vocat vt furijs agitatus ad arma tam hostilia recurras, sed ad preces & spirituale Saluatoris auxilium. Si facis hæc vt me tradas, nonne tute mihi nocendo facis iniuriam, cùm sim innocens? &c. Cogita igitur, *Ad quid huc venisti?* cogita singula, percurre in mente vtrum aliquas rationes reperceris tam iniqui concursus ad arma. Nihil sanè reperies quod te hortetur ad inimicitias. Resipisce igitur & occasiones has malè agendi desere. Amicus eris si hæc facias. Sed hæc in ventum & in damnum potius quàm in vtilitatem Iudæ & obturantis aures suas sicut Aspidis surdæ illi proponebantur. Non poterat Dominum intelligere, quia
Psal. 84. non conuertebatur ad cor, quia dicitur: *Audiam quid loquatur in me Dominus &c. Loquetur pacem,*
Psal. 118. &c. Sed *quibus. Ijs qui conuertuntur ad cor.* Non erat *anima in manibus eius*, Non poterat dicere, *Paratum cor meum, &c.*

{Vbi verò nec huiusmodi rememoratione Iudam proditorem sibi potuit deuincere, adhibuit aliam recon-

reconciliandi rationem quæ mansuedinis plena est.

Sexta via fuit nominis proprij dulcis & amica quædam propositio *Iuda tradis* osculo filium hominis? q. d. *Inuenisti gratiam coram me & teipsum noui ex nomine.* Et si velis reconciliari, quod promisi Moysi, *Ostendam tibi omne bonum.* Etsi iam quasi deletum sit ex numero cæterorum Apostolorum, vide ne culmen malorum omnium te sequatur, & hoc in te quadret: *Deleantur de libro viuentium, & cum impijs non scribantur.* Præmissio nominis ad hanc admonitionem & exhortationem erat mellita quædam verborum circumlocutio & affabilis quædam verbi dulcedo illius, de quo scriptum est. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Solent irritatos lenocinijs quibusdam verborũ & nominis modesta compellatione suos maritos vxores ad mentem tranquilliorem reuocare. Sic Christus *Petre amas me?* &c. Et illud, *Symon habeo tibi aliquid dicere: Zachæe festinans descende. Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* Sic veritatem istius elogij compleuit. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Habet enim nescio quid latentis energiæ proprij nominis appellatio, qua testatur quis in verbis nihil amaritudinis subesse. *O Solon, Solon,* inquiebat ille Cresus Lydorum Rex, memor eorum quę verè prædixerat illi Solon, Neminem ante mortem posse esse beatum, quod experimento sentiebat, dum ad rogum duceretur iussu Cyri Regis qui illum armis subegerat, hac mansuetudine semper vsus fuerat Christus, vt patet cùm diceret: *Mulier noli flere, mulier da mihi aquam. Hodie mecum eris in Paradiso. Mulier ecce filius tuus. Mulier nemo te condemnauit?* &c. Sed nec sic animum proterui hominis potuit emollire. Cùm tamen ad verborum eius mellitam dulcedinem vrbes & oppida sæpe depopularentur, vt audirent eum. Quod & ille testatur

6. Nominis proprij appellatio.
Exod. 33.
Psal. 18.
Ioan. vlt.
Luc. 7.
Prou. 15. v. 1.
Diod. Siculus & Laert. l. 2.
Ioan. 4.
Ioan. 8.

testatur qui dicit. *Nunquam sic homo locutus est.* & Petrus, *Domine ad quem ibimus?* Quapropter sicut bonus parens in corrigendo filio, postremum & efficacissimum adhibuit remedium quod ex verbis sequitur.

Ioan. 6.

Osculo filium hominis tradis? Ex his sequitur *Septima reconciliandi ratio*, ex tacita quadam increpatione, quæ fit insinuatione grauitatis ipsius criminis quod attentabat. Præmiserat equidem antea quandam monitionem, sed nō ad hominem: *Ecce manus tradentis me mecum est*, &c. *Væ homini, &c.* Sed omnia hominem non ita palam & in particulari subiudicabant. Minas adhibuerat, Oracula prophetarum citauerat. *Vadit sicut scriptum est.* Nunc verò in genere, sed os ad os homini loquitur, seditionem latentem aperit, crimen delegit, ex ore proprio hominem iudicat, ex actu discernit, ex operibus reprehendit. Vide quid agas Iuda. Non Apostolum, non prophetam, non triuiarium, aut vulgarem tradis hominem, sed *Filium hominis*, æqualem Patri per omnia, *Qui non rapinam arbitratus est* &c. Imo Deum & hominem, imo Iudicem tuum, Iudicem quia filium hominis; Quid facies igitur cùm ad iudicandum venerit; *Pater* enim *non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est.* Sed quid dicam? Quis cogitaret amicitiæ symbolo me tradi? & à discipulo per tale osculum tradi? In te modo complebitur omnis comminata maledictio, nisi resipueris. Illud væ quod monitorum fuit fiet executorium nisi reuocatus acquieueris. Hęc & similia quę dilatabis Christus subindicabat. Vbi quantum poterat videbatur crimen hoc exaggerare Christus ex collatione suæ personę cum Iuda, & ex conferentia proditionis cum osculo, quod tam alienum esse debuerat à proditione, vt nihil minus quàm quędam amica & familiaris conuentio esse credi debuerat, nisi Christus animum proditoris

7. Increpatio.

Math. 26

Philip. 1.

Hoc solo verbo grauitas peccati describitur, & habet miram emphasim.

Ioan. 5.

toris intueretur. O infatuatam hominis non hominis proteruiam! ô mores efferatos! ô inauditam feritatem! Quid faciat homo contumax, qui nec muneribus ab inimicitijs reducitur? nec humilitate mouetur? nec amplexibus conciliatur; nec amicitia reuocatur? nec suiipsius consideratione status in se reuertitur, nec blanditijs verborum emollitur? nec benignis exhortationibus & criminis enormitate terretur? Abeat retrorsum. Qui malè processit antrorsum, *In laqueum cadat ipsum & incidat in foueam quam fecit*, & in vincula seipsum conijciat, qui vinculis Saluatorem contendit captiuum reddere. *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ sunt inter ligna syluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? Ecce igni datum est in escam.* Ezech.15
Eisdem igitur quibus vinculis captus est Christus, ijsdem & Iudas seipsum alligauit, præsertim cùm Christus vltro sese illi offerens dixit: *Si me quæritis, sinite hos abire*, Item cùm dixit: *Hæc est hora vestra* &c. quasi dicat, ex quo Iudam nullis rationibus ad amicitiæ leges possum reuocare. En ego meipsum sponte illi trado, faciat quod vult. Apponat iniquitatem super iniquitatem, & non intret in iustitiam. Hæc illi hora sit infælix & tenebrarum potestas qua captiuus tenetur. Non videat amplius lumen & in cæcitate peccatorum permaneat. *Et qui sordidus est sordescat adhuc*. Ijsdem passibus quibus ad crucem Christus tradebatur, prorsus & ijsdem properabat ad sui exterminium Iudas.

CONCLVSIO.

Ex parte Christi sunt hic quamplurima documenta, præsertim verò de sibi reconciliandis inimicis, & de beneuolentiæ signis erga sibi infensos ostendendis, & de medijs quibus illos reuocare debemus. Si beneficijs non possumus illos nobis deuincire, vincat illos humilitas, mutua benigni-
ratis

Iudæorum Christo occurrentium, vt illum interciperent. Quoniam sicut ille inueterato furore & odio agitatus, fratrē insecutus est & ei redeunti à Mesopotamia cùm quadringētis armatis occurrit, vt sumeret de illo vindictam, sic & isti vt Christum è medio tollerent, illi occurrerunt. Veruntamen quoniam cohortis Iudæorum dux erat Traditor Iudas, melius dicemus Iudam per Esau figuratum; Et Saluatorem nostrum per Iacob sicut dicunt Hieron. & Ambros. quod vt verum esse sciamus, videndum quomodo vterque respondeat vtrique. Sicuti Deo sic prouidente fratrem suum Esau primogenitum Iacob supplantauit, ius primogenituræ commutando, & benedictionem surripiendo. Sic Christus ita permittente diuina prouidentia, ius primogenituræ quod in hæreditate muneris Apostolici Iudas habebat, abstulit & cōmutauit, cùm in eius locū Matthias assumptus est. Ius benedictionis furatus est cùm dixit illi: *Væ per quem filium hominis tradetur.* Et sicut quanto magis Esau fratrem suum Iacob persequendo seruus eius factus est, & eò magis à Deo Iacob eleuatus, sic quantò magis nocere voluit Christo Iudas tanto sibi amplius nocuit, & eo celebrior Christi fama per passionem facta est. Cùm *Deus exaltauit illum Pater & dedit nomen super omne nomen.* Deinde sicut Esau de fratre suo vindictam sumpturus vadit illi obuiam cum 400. viris armatis, ita & hic Christo fit obuius Iudas, vt vtraque potestate stipatus illum per vindictam Iudæis tradat. Et sicut Esau ratione surrepti iuris in corde suo iurauerat se fratrem interfecturum. Sic & perdita primum occasione trecentorum denariorum, qui ex vnguenti venditione poterant haberi, intrauerat sathanas in cor Iudæ, vt firmiter proponeret se Magistro suo vltra non adhęsurum, sed Iudæis pro recuperando precio venditurum.

Hierō. ad Damas. q. 3. & Ambros. 2. de Iacob.

Philip. 1.

Iterùm sicuti Iacob mansuetus ac benignus, ac

pacis

pacis amans, quibus potuit medijs & remedijs conatus est fratrem suum sibi conciliare & insensum àb ira reuocare, ijsdem etiam remedijs mansuetissimus Saluator erga proteruum vsus est, quatenus nihil deesset quod ad placandum Iudam desiderari posset. In hoc vno figuratum figurę nō respondet, quod Iudas implacabilis remanserit, quod non fecit Esau. Ac *Primo* muneribus ad illum missis studuit eius iram placare dicens: *Placabo eum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi*. Sic & Christus multò valentiora, quinimo prorsus inęstimabilia dona præmiserat, quorū remunificētia Iudas placaretur. Potuítne Redemptor mundi dare quicquam preciosius quàm proprium corpus & sanguinem cùm familiariter & liberaliter illa contulit Iudæ sicut & cæteris. Donum (inquam) infiniti valoris sicut & ipse erat, qui seipsum dabat & in corpore, & in anima, & in tota diuinitate. De hoc dono dicebat Sap. *Dabitur illi fidei donum electum & sors in templo Deo acceptissima*. Sors illa est etiam de qua in Act. c. 1. dicitur. *Quod acceperat sortem ministerij huius*. Scilicet administrandi Euangelij & sacramētorum. An poterit homini maius quidpiam conferre nisi hominem faceret Deum? Nam si verum est quod Salomon dicit: *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam*: quanto magis donum hoc quod nec absconditum, sed oculis expositum, nec in sinu, sed in ore, sed in manibus dabatur hominem ab incæpto deterrere debebat? Donum inquam tam patenter ad beneuolentiam hominum conciliandam comparatum, vt plurium discordantes animos, concordes faciat per sui susceptionem, vt & communio dicatur & amoris sacramentum, ad quod nemo prius dignè recipitur, nec ad altare vocatur, nisi Christiano fratri reconcilietur. Per quod munus testabatur se ita dilexisse discipulos,

Genes. 32

Sap. 3.

Prou. 2.

Matth. 5. *Si obtuleris munus ad altare & recordatus &c. vide locum.* vt in finem hunc illos diligeret, scilicet vt hoc munere singularis amicitiæ donaret. Nonne sufficiens hoc munus esse debuerat, vt Christo reconciliatus inter armatam cohortem militum viam sterneret, qua sese è manibus hostium eriperet? *Donum n. hominis dilatat viam eius & ante Principes spacium ei facit.* Dauid ille Rex à mansuetudine tantum Deo commendatus, memor donorum quæ receperat à Bersellai octegenario, qui suppeditarat ei alimenta in castris dum fugeret à facie Absalon: Salomonem filium suum hortatus est moriens quatenus eius filios sibi commensales adsciscerct: At quanto magis hoc alimentum, Panis Angelorum memorem beneficij Iudam fecisse debuerat? Si verum est quod sapiens dicit: *Multa sunt amici dona largientis*: Quomodo sese hic tot tamque præclaris donis ad se reuocatum ex inimico non fecit amicum? Et si valet ad corrumpendos animos munus, quidni valeat ad reconciliandos?

Prou. 18. *v.* 16. *2. Reg.* 19. *v.* 31. *3. Reg.* 2. *Prou.* 19.

Philip. Macedo. Erasmus in Apophi. Philippus Macedonum quoniam pleraque perfecit dando potius quam bellando, iactatum est in illum, non Philippum, sed Philippi aurum subiecisse Græciam. Erasmo teste in Apophtegh.

Cic. l. 1. *offic.* Caius Pontius (Cicerone teste) aiebat: Vtinam ad illa tempora fortuna me seruasset: & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cæpissent, Non essem passus diutius eos imperare.

1. *Cor.* 3. Verumtamen quia teste Paulo, *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt*. Non potuit huius valorem diiudicare, hinc eius memoria non potuit ad mentem Christo reconciliandam in seipsum redire, vt nec Christus infensus esset.

2. *Humilitas* *Secundo*. Cùm sibi fratrem iratum vellet Iacob sedare, id conatus est animi & corporis submissione, & ea

ne, & ea qua potuit sincera cordis humilitate. Dicitur enim vbi supra: *Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret Frater eius.* Sed quis facilè dicat quanta deiectione & submissione, Iudam sibi lucrari conatus sit Saluator, cùm ad huius maligni pedes prouolutus est, multò maiore cum honore quam Abraham coram Angelis in humana specie sibi apparentibus? Imò cùm forsitan talem ablutionem ab illo incæperit? sicut opinari diximus Chrisostomum. *Christi cum Iuda.* *Genes. 33.* *Chrisost.*

Dicam etiam amplius: in hoc magnam Christi benignitatem & humilitatem eluxisse, eò quod eius pedes curiosè lauarit ne videretur ipse singulàriter inter cæteros notari cú diceretur à Saluatore: *Vos estis mundi, sed non omnes.* Ita enim videtur Origenes sentire. Parúmne erat illum ante sceleratú genu flectere de quo dicitur: *In nomine Iesu omne genu flectatur, calestium, terrestrium & infernorum?* Illum de quo scriptum est: *Et cùm introduceret iterum Vnigenitum suum in mundum dixit: Et adorent eum omnes Angeli eius?* Verumtamen peior factus reprobo Esau non potuit genu flexione placari, vtpote qui iam per superbiam animo elatus & obfirmatus erat, & nullius indigens videbatur. *Origenis opinio in hunc locum.* *Ioan. 13.* *Philip. 1.* *Heb. 1.*

Tertiò per amplexum (qui tamen forsan animo satis sinistro fuerat ab Esau exceptus) fratrem suum sibi deuinxit Iacob. Tot enim submissionis signis non poterat nisi contumax & insolens animus non mansuefieri. Dicitur enim ibidem quod cum iam approximasset: *Esau currens obuiam fratri suo Iacob amplexatus est eum & osculatus fleuit.* Appropinquauit & Iudas & amplexatus est, & collum strinxit & osculú præbuit, sed non fleuit, quia similatoriè, quia proditoriè Christum adortus est. Hinc vt se verè consiliatú fratri palá faceret Esau, post osculum blandis verbis illú cōuenit, & fratris nomine compellauit eius munera comiter recusando & dicés: *Habeo plurima frater mi.* Rogauit *3. Amplexus Christi & Iudæ.*

de comitatu quis esset. Imo se comitem itineris iterum atque iterum obtulit dicens: *Gradiamur simul ero͡q; socius itineris tui*. Quod cùm curialiter Iacob excusasset, iterum dixit Esau: *Oro te vt de populo qui mecum est, saltem socij remaneant viæ tuæ.* Videtis quantum effecerint Iacob in fratrem collata beneficia, animi beneuolentia & suaues amplexus? Iudas verò post osculum quem antea fictè Magistrum vel Rabbi nomine insimularat cùm se detectum videret nec Magistrum agnouit, nec itineris illi se locum adiunxit aut complices suos, sed & suos consortes ita Christo effecit aduersarios, vt de illo diceretur, *Stabat & Iudas*, id est in malignitate persistebat & de alijs, *Quærimus Iesum* vt caperent. Donec illi cum Iuda *Abierunt retrorsum.*

Nota iterum quod vt foueret huiusmodi redintegratam amicitiam Iacob, quibus verborum blandicijs fratrem suum deliniuit, nunc orando, nunc excusando, nunc omnia sua illius esse dicendo, & se seruum illius nuncupando, (cùm tamen illi Dominium & primogenitura iure diuino deberetur), nunc ipsum tanquam Dominum interpellando. Hæc & plura erga suum præstabat hostem Saluator vt exemplo nobis esset diligendorum inimicorum.

4. *Amica interpellatio.* *Quarto.* Amicè percunctando & amicum se sincerè confitendo, hinc ille fratri suo dicebat: *Vidi vultum tuum tanquam vultum Dei*, quia in fratre quamuis sibi infenso agnoscebat Dei viuam & expressam imaginem quam diligere debebat, ideo non tanquam hostem, sed vt amicum salutabat, vt sincerè suas partes ageret, vt pro malo non malum, sed iuxta Pauli consilium bonum redderet.

Rom. 12. Nam malum illud erat quod illum Rabbi vocaret. Ille verò se iam non Rabbi, sed amicum vocat, *Amice ad quid?* &c. Quasi diceret: falsò me dicis Magistrum cuius præcepta non sequeris, cuius

cuius iam instituta deseruisti, à cuius consortio defecisti, sed si me vocares amicum, rectè diceres, sum etenim tam tibi inimico amicus quàm amicis cæteris. Resipisce igitur & experire vtrum liceat amicis & talibus tales insidias struere.

Ad hæc, duo sunt hinc ex amplexu Saluatoris ad reuocandum Iudam consideranda. *Primùm* quod nunquam legitur aliquem Saluator osculo familiariter excepisse, nisi hũc inimicissimum suum Apostatam, atque tunc maximè cum illum ad mortem insectaretur & inimicis occidendum propediem traderet. *Alterum* quod nusquam legimus ipsum amici nomine compellasse, nisi cum totis viribus inimicum se fateretur. O quàm salutare fuisset osculum si Iudas ad instar filij prodigi Patrem vicissim complexaretur, & ei brachia tendens osculum præberet! Sed ô duram duriciem!

Amicum igitur vocabat non quia amicus erat, sed quia postmodum amicus fieri poterat. Non considerabat quod erat Christus, sed quid esse poterat, vel imaginem Dei videbat amicam. Ad hoc adfert insignem similitudinem D. August. cuiusdam fabri, vel Carpentarij, vel sculptoris qui lignum præcisum à sylua adamauit, non quia tale est, sed quia ex hac pulchram imaginem sculpere potest. Sic & Christus vt amicum se faciat qui maximè tunc erat infensus hostis. *Aug. tom. 9. in Epist. Ioan. tract. 8.*

Quinto reuocat Iudam ad huiusmodi amicitiã, reductione ad mẽtem & ad considerationem causæ sui aduentus dicens: *Ad quid huc venisti*? quasi dicat nulla meliore via poteris ad amicitiã de qua loquor venire, quam teipsum in te reuocando & recogitando qua intentione huc veneris, an recta, an sinistra. Vult vt omnes circumstantias sui aduentus examinet. Consideret quis ipse sit & quid sit, quod Apostolus, quod Christi familiaris & hospes. Quid illum mouerit, quæ iniuria, quæ detrimenta, quæ passus sit incommoda; an ipse *5. Reuocatio Iudæ ad mentem.*

hanc

hanc cohortem adduxerit, an ipse verò sese vltro ducem præbuerit; Consideret etiam loci dignitatem, solitudinem, montem oliuarum locum orationis consuetum, cogitet quoties in meliorem causam illuc sæpe cum Apostolis & Christo conuenerit. Quarè tam intempesta nocte, quare cum armatis tanquam ad latronem, quare tali tempore, cùm iam à cœna recessisset, tot affectus beneficijs, an animo nocendi, an orandi? Si cogitas te meum esse Apostolum (quod significat missum) tu non es huc à me missus. Si quis te mouerit vt venires in teipso teipsum causam reperies, quia nō vocatus vltro te ingessisti, At verò si quid in me causę fuerit, quæras, An detrimento fui corpus meum communicando? pedes lauando? &c. Si bona cum intētione nobis in occursum venisti, cur inermem armatus aggrederis? Quid tibi facere debui & non feci? Locum verò si attendis, locus orationis te non vocat vt furijs agitatus ad arma tam hostilia recurras, sed ad preces & spirituale Saluatoris auxilium. Si facis hæc vt me tradas, nonne tute mihi nocendo facis iniuriam, cùm sim innocens? &c. Cogita igitur, *Ad quid huc venisti?* cogita singula, percurre in mente vtrum aliquas rationes reperceris tam iniqui concursus ad arma. Nihil sanè reperies quod te hortetur ad inimicitias. Resipisce igitur & occasiones has malè agendi desere. Amicus eris si hæc facias. Sed hæc in ventum & in damnum potius quàm in vtilitatem Iudæ & obturantis aures suas sicut Aspidis surdæ illi proponebantur. Non poterat Dominum intelligere, quia
Psal. 84. non conuertebatur ad cor, quia dicitur: *Audiam quid loquatur in me Dominus &c. Loquetur pacem,*
Psal. 118. &c. Sed *quibus. Ijs qui conuertuntur ad cor.* Non erat *anima in manibus eius*, Non poterat dicere, *Paratum cor meum, &c.*

[Vbi verò nec huiusmodi rememoratione Iudam proditorem sibi potuit deuincere, adhibuit aliam recon-

reconciliandi rationem quæ mansuedinis plena est.

Sexta via fuit nominis proprij dulcis & amica quædam propositio *Iuda tradis osculo filium hominis?* q. d. *Inuenisti gratiam coram me & teipsum noui ex nomine.* Et si velis reconciliari, quod promisi Moysi, *Ostendam tibi omne bonum.* Etsi iam quasi deletum sit ex numero cæterorum Apostolorum, vide ne culmen malorum omnium te sequatur, & hoc in te quadret: *Deleantur de libro viuentium, & cum impijs non scribantur.* Præmissio nominis ad hanc admonitionem & exhortationem erat mellita quædam verborum circumlocutio & affabilis quædam verbi dulcedo illius, de quo scriptum est. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Solent irritatos lenocinijs quibusdam verborũ & nominis modesta compellatione suos maritos vxores ad mentem tranquilliorem reuocare. Sic Christus *Petre amas me?* &c. Et illud, *Symon habeo tibi aliquid dicere: Zachæe festinans descende. Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* Sic veritatem istius elogij compleuit. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Habet enim nescio quid latentis energiæ proprij nominis appellatio, qua testatur quis in verbis nihil amaritudinis subesse. *O Solon, Solon,* inquiebat ille Cresus Lydorum Rex, memor eorum quę verè prædixerat illi Solon, Neminem ante mortem posse esse beatum, quod experimento sentiebat, dum ad rogum duceretur iussu Cyri Regis qui illum armis subegerat, hac mansuetudine semper vsus fuerat Christus, vt patet cùm diceret: *Mulier noli flere, mulier da mihi aquam. Hodie mecum eris in Paradiso. Mulier ecce filius tuus. Mulier nemo te condemnauit?* &c. Sed nec sic animum proterui hominis potuit emollire. Cùm tamen ad verborum eius mellitam dulcedinem vrbes & oppida sæpe depopularentur, vt audirent eum. Quod & ille testatur

6. Nominis proprij appellatio.
Exod. 33.
Psal. 18.
Ioan. vlt.
Luc. 7.
Prou. 15. v. 1.
Diod. Siculus & Laert. l. 2.
Ioan. 4.
Ioan. 8.

testatur qui dicit. *Nunquam sic homo locutus est.* & Petrus, *Domine ad quem ibimus?* Quapropter sicut bonus parens in corrigendo filio, postremum & efficacissimum adhibuit remedium quod ex verbis sequitur.

Ioan. 6.

Osculo filium hominis tradis? Ex his sequitur *Septima reconciliandi ratio*, ex tacita quadam increpatione, quæ fit insinuatione grauitatis ipsius criminis quod attentabat. Præmiserat equidem antea quandam monitionem, sed nō ad hominem: *Ecce manus tradentis me mecum est*, &c. *Væ homini, &c.* Sed omnia hominem non ita palam & in particulari subiudicabant. Minas adhibuerat, Oracula prophetarum citauerat. *Vadit sicut scriptum est.* Nunc verò in genere, sed os ad os homini loquitur, seditionem latentem aperit, crimen delegit, ex ore proprio hominem iudicat, ex actu discernit, ex operibus reprehendit. Vide quid agas Iuda. Non Apostolum, non prophetam, non triuiarium, aut vulgarem tradis hominem, sed Filium hominis, æqualem Patri per omnia, *Qui non rapinam arbitratus est* &c. Imo Deum & hominem, imo Iudicem tuum, Iudicem quia filium hominis; Quid facies igitur cùm ad iudicandum venerit; *Pater* enim *non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est.* Sed quid dicam? Quis cogitaret amicitiæ symbolo me tradi? & à discipulo per tale osculum tradi? In te modo complebitur omnis comminata maledictio, nisi resipueris. Illud væ quod monitorum fuit fiet executorium nisi reuocatus acquieueris. Hęc & similia quę dilatabis Christus subindicabat. Vbi quantùm poterat videbatur crimen hoc exaggerare Christus ex collatione suæ personę cum Iuda, & ex conferentia proditionis cum osculo, quod tam alienum esse debuerat à proditione, vt nihil minus quàm quędam amica & familiaris conuentio esse credi debuerat, nisi Christus animum proditoris

7. Increpatio.

Math. 26

Philip. 1.

Hoc solo verbo grauitas peccati describitur, & habet miram emphasim.

Ioan. 5.

toris intueretur. O infatuatam hominis non hominis proteruiam! ô mores efferatos! ô inauditam feritatem! Quid faciat homo contumax, qui nec muneribus ab inimicitijs reducitur? nec humilitate mouetur? nec amplexibus conciliatur; nec amicitia reuocatur? nec suiipsius consideratione status in se reuertitur, nec blanditijs verborum emollitur? nec benignis exhortationibus & criminis enormitate terretur? Abeat retrorsum. Qui malè processit antrorsum, *In laqueum cadat ipsum & incidat in foueam quam fecit*, & in vincula seipsum conijciat, qui vinculis Saluatorem contendit captiuum reddere. *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ sunt inter ligna syluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? Ecce igni datum est in escam.* Ezech.15
Eisdem igitur quibus vinculis captus est Christus, ijsdem & Iudas seipsum alligauit, præsertim cùm Christus vltro sese illi offerens dixit: *Si me quæritis, sinite hos abire*, Item cùm dixit: *Hæc est hora vestra* &c. quasi dicat, ex quo Iudam nullis rationibus ad amicitiæ leges possum reuocare. En ego meipsum sponte illi trado, faciat quod vult. Apponat iniquitatem super iniquitatem, & non intret in iustitiam. Hæc illi hora sit infælix & tenebrarum potestas qua captiuus tenetur. Non videat amplius lumen & in cæcitate peccatorum permaneat. *Et qui sordidus est sordescat adhuc*. Ijsdem passibus quibus ad crucem Christus tradebatur, prorsus & ijsdem properabat ad sui exterminium Iudas.

CONCLVSIO.

Ex parte Christi sunt hic quamplurima documenta, præsertim verò de sibi reconciliandis inimicis, & de beneuolentiæ signis erga sibi infensos ostendendis, & de medijs quibus illos reuocare debemus. Si beneficijs non possumus illos nobis deuincire, vincat illos humilitas, mutua benigni-

tatis signa, & super omnia verbum & responsio dulcis, ita vt qui nobis inimicus erat nostra mansuetudine vincatur. Existimemus illum qui modo est, inimicum non semper futurum. *Duodecim enim sunt horæ diei.* Existimemus etiam inimicos nobis esse velut amicos, qui patientiæ nobis documenta relinquunt, & quos possumus aliquando nostra beneuolentia nobis amicos integerrimos facere. Alio enim in loco Christus suos inimicos amicos vocat dicens: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* id est, inimicis quos sibi per mortem fecit amicos. Et illud Zachar. 13. Quid *sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Dicit se plagas accepisse ab amicis, qui tamē inimici erant, & qui poterant esse amici, vel poterant amici fieri per participationem meritorum earundem plagarum. Sic tu amicos tuos existima, quos etsi inimicos potes Christo lucrari, vt illius & tui sint amici.

Ioan. 15.

Ex contumacia Iudæ pro antidoto docemur respōdere voluntati eorum qui nos suis beneficijs post acceptam iniuriam sibi reconciliare volunt. Eorum humilitati nostra submissio obuiam vadat, non spernantur amplexus nec familiaris conuersatio. Nemini asperis verbis noceamus, imo blādis verbis nos conuenientes lubenter audiamus, eorum dictis lubenter auscultemus, nec pigeat obedire bene monenti aut tacitè (sed charitatiuè) nos reprehendenti: Ne simus animo obdurati, contumaces aut proterui. Sed si fieri potest, vt docet Paulus pacem cum omnibus habeamus, vt securè cum Deo & hominibus conuersantes, & Deum nobis & homines amicos habeamus per gratiam in via, & per gloriam in patria. Amen.

Rom. 12.

CONCIO

CONCIO VIGESIMA. SEXTA.

De Iudæ resipiscentia siue remorsu, De eius animi deiectione, & de coacta eius emendatione, & pœnitentia quæ nec virtus fuit, nec sacramentum. Hæc concio erit dirigenda ad scrupulosos & auaros.

THEMA.

Videns Iudas quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos. Matth. 26.



I verum est quod ait Saluator *Iota vnum aut vnus Apex non præteribit à lege donec omnia fiant:* Non absque causa factum esse credere debemus, quod quando cum cæteris Apostolis proditorem Iudam Christus ad Apostolatus dignitatem elegit: *Dies erat*. Sic enim ait Lucas c. 6. Quod postquam pernoctasset in oratione Christus: *Et cum dies factus esset vocauit discipulos suos, & elegit* 12. *ex illis, &c.* Neque item frustra contigit illum ab Apostolorum collegio defecisse: *Cum nox erat.* Et Postmodum à peccato resipuisse cum iterũ: *Dies erat. Tunc videns quia damnatus esset*, Vbi per illud

Matth. 5. De die discipulos vocauit Christus.

Nocte defecit Iudas.

Mane resipiscit.

Erat enim dânatus.

illud Tunc, nemo poteſt negare Euangeliſtam loqui de damnatione non ſequenti, ſed præcedenti, qua ſcilicet dominus à Principibus Sacerdotum damnatus fuit cum eum ad crucifigendum Pilato tradiderunt. Inquiramus igitur cur infælix ille traditor die vocatus, nocte reiectus, mane pænituit. Nec difficilis erit huius reſponſio ſi diem pro gratia, noctem pro culpa, mane pro pænitentia ſumpſerimus. Pro primo & 2. dicitur. *Me oportet operari opera eius qui miſit me donec dies, venit nox quando nemo poteſt operari, quamdiu ſum in mundo lux ſum mundi.* Pro. 3. *Cum occideret eos quærebāt & reuertebantur, & diluculo veniebāt ad eum.* De die vocatus fuit, id eſt, in gratia quia bonus erat, ſicut diximus in electione, & permanſit bonus vſque ad Marſupij regimen. Nocte autem abijt quia qui lux prius fuerat, iam gratia lumen in ſe extinxerat: *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Nocte abierat quia deſierat ex eorum numero eſſe de quibus Apoſtolus Paulus dicit: *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, omnes enim vos filij lucis eſtis & filij diei.* De illo enim dictum erat: *Qui malè agit odit lucem, & non venit ad lumen, vt non manifeſtentur opera eius.* Qui enim totus tenebroſus extitit à iure ſeipſum, à ratione diei excluſit.

Ioan. 9. *Pſal. 77.* *Theſ. 4.*

Cæcus igitur erat iſta nocte quia excecarat illum auaritia. *Ambulabunt vt cæci quia Domino peccauerunt.* Sed poſtera die cum damnatus fuit Chriſtus ad mortem, *Tunc vidit*; qui cæcus factus erat ex peccato. Solet enim diabolus eorum quos ad varia perpetranda flagitia penitus excecauit, tandem oculos aperire vt ſcelerum ſuorum videant atrocitatem, vt ea conſiderata in deſperationem præcipitentur, ac ſic æternæ damnationis fiant obnoxij. Quod vt exemplo fiat clarius: quamdiu ſeſe Rex Salomon in huius ſæculi voluptatibus, honoribus, ac delitijs oblectauit, non potuit percipere quanam in miſeria verſaretur.

Sophon. 1. *Sic vidit Adā poſt peccatum quod nudus eſſet, ſed non deſperauit.* *Salomon.*

Verum-

Veruntamen vbi ad se rediȷt, & omnium vanitatem perspexit tunc ingenuè confessus est se, quantum in se est, dolere quod in huiusmodi tam caducis, & pereuntibus rebus vitam transegerat. Dicit enim *Omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, eis non negaui, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram. Cumq; me conuertissem ad omnia opera quæ fecerant manus meæ, vidi in omnibus vanitatē & afflictionē animi.* Impius ille Rex Baltazar quandiu permissus est sese cū suis magnatibus mille & concubinis oblectare, vasa quæ ex Hierosolymitano tēplo, sacrilega manu Nabuchodonozor sustulerat, sua temulētia prophanare, & Idola sua per cōcentum & Symphoniam miris laudibus efferre, non fuit suæ conditionis & fragilitatis memor. Verum vbi digitos in pariete scribentes, & suam damnationem consignantes vidit: *Tunc facies eius commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad seinuicem collidebantur.* Quamdiu Pharaonem liberum Deus relinquebat, nec aliqua plaga visitabat, magis ac magis in Iudæos exacerbabatur: Dum verò se diuinis iudicijs tangi sentiebat, Moysis auxilium implorabat, frustra tamen in se rediens. Ita etiam quamdiu dęmon Iudæ mentem effascinauit, & eius imaginationem ac fantasiam sic immutauit, vt sibi diues videretur, per acquisitionem triginta denariorum, non potuit sese cognoscere, neque delicti sui tam insolentem enormitatem videre, Ideo ad *Modicum exultabat*, vt in momento corrueret: *Theophilactus* quem postmodum dubiè sequitur *Iansenius* dicit quod Iudas antequam malum hoc perpetraret, malè se facturum satis præuidebat. Veruntamen vt eò minus graue videretur hoc crimen, & facilior illius executio, in aurem illi suggerebat: Quod si negotio huic fęliciter finem faceret Christus eius magister,

Eccles. 2.
Baltazar
Dan. 5.
Pharao.
Theoph. in c. 27. Matth.
Ians. c. 140. concord.

Nec dicunturiæ fauorem Iudæ.

natura misericors, & ipso vsu facilè illius misereretur, sicut illum viderat toties misertum esse maximorum peccatorum, & quod interim non desineret triginta denarijs locupletari, propterea suggerebat audaciam tradendi sui præceptoris, vitæ perdendæ non fore periculum Christo qui toties è manibus illorum effugerat, quo facto poterat cum tot peccatoribus ad genua prouolutus veniam promereri. In hunc finem persuadebat quod Christus venerat peccatores saluos facere. Quod & etiam experientia docuerat se nō sanis, sed vt medicum infirmis venisse, ac proinde locum timori non cedere, sed confidenter agere, nihil esse periculi. His similibusque suggestionibus delibutum non sinebat quiescere donec opere quod persuadere conabatur adimpleuisset. Vbi vero cognouit dæmon eò redactum negotium, vt spes non esset redemptionis ipsius Christi, vtpote qui iam damnatus erat ad mortem, tunc quasi in speculo, Iudæ suorum scelerum faciem delineauit, & quæcunque peccata in societate Christi commiserat, ob oculos illius ad vnum & ad amussim præfigurauit. Et *Tunc videns quia damnatus esset, Christus* quasi à somno surgens, vidit quod proprij sui præceptoris condemnatio, suijpsius propria esset damnatio. Videbat quasi digitos scribentes in pariete cordis sui *Mane Techel Phares*, pondus, inquam, numerum, & mensuram suorum peccatorum quæ nemo alius quam dæmon melius nouit, qui suggessit & cooperatus est. Quæ cum omnia vidisset in propria conscientia relucere, vix seipsum ferre poterat, & similis erat Manasse Regi qui dicebat: *Incuruatæ sunt iniquitates meæ, incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi.* Atque hæc omnia in mente volutabat antequam quicquam loqueretur, & confiteretur quę coram sacerdotibus confessus est. O quot suspiria, quot gemitus, quot dolorosas eru-

2. Paral. 36.

ctationes

ctationes è corde trahebat, iam factus ad instar illius qui dicebat: *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Fit enim ex remorsu sibiipsi grauis peccator, teste Dauid: *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar*, & causam prius addidit dicens: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* quasi dicat. Ome mi serum quid agam? Quanta mea est iniquitas, vt quasi murus sit inter me & Deum meum, vt iam locus non detur, neque aditus ad ipsum: O maledictum me qui propter tam leue precium meum Magistrum venalem dedi, qui non triginta denarios dumtaxat, sed & marsupium, & quæcunque temporalia mihi commiserat. O te miserum, qui tam amabilem societatem deseruisti; te propter rem nullius momenti tot bonis frustratus es. Quid dicam? quid cogitem? quid faciam? quo mihi refugium? En cælos sua claustra, suamque mansionem mihi recusantes. En inferos mihi propter scelera patentes. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi?* Imaginationem quippe, & eius fantasiam sic dæmon immutarat, vt iam vix nihil boni meditaretur, omnia sibi credebat infensa.

Iob. 7. *Psal. 37.* *Esa. 38.*

Pro peccati maiore detestatione, & huius remurmurantis conscientiç statu cognoscendo: Notandum quod verum est, per pœnam mentis oculos aperiri, qui per culpam claudebantur dicente Gregorio. *Oculos quos culpa claudit pœna aperit.* Quod signatur per illud *Videns*, quasi diceretur, quod ista remurmuratio mali, inclinabat ad bonum generaliter sumptum, non autem ad hoc vel illud bonum. Ex huiusmodi remurmuratione dæmon instigabat ad timorem non initialem, sed purè seruilem, vt scilicet in eo nihil charitatis erga Deum & seipsum remaneret per quam foras hunc seruilem emitteret: *Quia perfecta charitas foras mittit*

Greg.

mittit timorem. Deinde conabatur ex huiusmodi timore amicum turbare & omnem quietem & animi tranquillitatem perturbare, vt ex hac perturbatione, diffidentiam eliceret.

Habet autem hoc Deus à dæmone diuersum, quod vbi conscientiam per timorem intus recalcitrantem aliquantulum turbauit, tandem hunc timorem seruilem in initialem (qui charitati coniũctus est) immutet & conscientiam reddat quie-
Psal. 82. tam. Hinc illud Psal. *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, &c. in eos qui conuertuntur ad cor*: Et sequitur, *Veruntamen prope timentes eum*, Scilicet initialiter, *Salutare ipsius*, id est auxilium Dei dum timorem seruilem eijciunt. Dicebat quidem propheta Da-
Psal. 6. uid Ps. 6. *Domine ne in furore* &c. *Quoniam conturbata sunt ossa mea &c.* Ecce timor seruilis, sed audi conuersum in filialem aut initialem: *Sed tu Domine vsquequo?* &c. Item postquam suas interiores miserias enarrauit, quas patiebatur ex enormis
Psal. 37. suæ conscientiæ consideratione: *Quoniam iniquitates meæ supergr. &c* Et illud: *Miser factus sum*, Et illud. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei*, Tandem pellens illum nimis seruilem timorem, dicit: *Domine ante te omne desiderium meum, &c.* Quasi dicat quod iam non tantum timeret ex quo se speraret à Deo
Psal. 118. misericorditer videri, hinc sub finem dicit: *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me. Intende in adiutorium meum Domine, Deus salutis meæ.* Sic etiam quando dixit: *Confige timore tuo carnes meas*; &c. Subiungit: *Feci Iudicium*
Psal. 31. *& Iustitiã.* Sic etiam vbi dixit: *Quoniã die ac nocte grauata est super me manus tua conuersus sum in erumna*, &c. dicit: *Dixi confitebor aduersum me iustitiam*, &c. Dæmon igitur post turbationem conscientiæ, post timorem quæ superuenit peccatori ex remorsu & verme, aufert conscientiæ pacem, & tran-

& tranquillitatem, vt turbatio & timor fiant perturbatio & diffidentia, tum quædam pusillanimitas, qua deiectus homo, nihil aliud cogitat quàm vt præsens malum effugiat quo ligatur, per media quęcunque siue licita siue non licita. Huius animi inquietudinem sæpè sequitur corporis agitatio & quædam flaccibilitas. Tum quædam inordinata tristitia, ac suijpsius tædium, fastidium, & carnificina, & quoddam pistrinium. *Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.* *Psal. 37.*

Notandum quod ista turbatio siue perturbatio mentis vocatur *Timor nocturnus*, teste Bern. in Ps. Qui habitat. Hunc dicit à Deo permitti, ex cõsideratione peccatorum quorum grauitas damnationi nos reddebat obnoxios, & æternis supplicijs addictos; Et hunc ad eum finem permitti, vt ab huiusmodi peccatis per pœnæ tam acerbæ reuolutionem resiliamus, & abhorreamus, dicit ergo Bernardus: Nocturnus, & tenebrosus timor, sed facile hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis, nunc quidem peccata quæ egimus, vt quemadmodum de se propheta ait: *Et nos in flagella parati sumus, annunciantes iniquitatem nostram & pro peccato nostro cogitantes:* Nunc verò æterna supplicia quæ meruimus, vt in comparatione eorum quæ euasimus, vniuersa quę patimur delicias reputemus. Hæc ille. Et huiusmodi timor quidem nobis quam maximè vtilis est, cum illo non abutimur ad nimiam pusillanimitatem. Dicit enim D. Augustinus: Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, & constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.

Timor nocturnus. Psal. 90. Bernardus. *Psal. 37.* *Aug. l. 50. homil homil 50.*

Et D. Bernardus suadere conatur huiusmodi timorem dummodo non adferat animi deordinatam deiectionem. Pensa (inquit) cuius sit formidinis, & horroris tuum atq; omnium contempsisse factorem, offendisse Dominum maiestatis. *Bern. ser. 26. in Cant.*

Maiestatis est timeri, Domini est timeri, & maximè huius maiestatis, huiusq; Domini. Ille timendus est, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in iehennam. Paueo iehennã, paueo Iudicis vultum, ipsis quoq; tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie frigoris eius, & à facie ruentis mundi, à conflagratione elementorum, & à tempestate valida, à voce Archangeli, & verbo aspero. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre Inferi, & à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, funium & vaporem, & sulphur spiritum procellarũ. Horreo tenebras exteriores. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, vt præueniam fletibus cetum? & stridorem dentium? & manuum pedumq; dura vincula? & pondus catenarum præmentium? stringentium, vrentium, nec consumentium? Heu me Mater mea, vt quid me genuisti? filium amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus? natus in combustionem & cibum ignis? Hæc verbo tenus. Bernardus.

Quibus verbis ostendere nititur quousq; sese debet extendere dolor iste, & timor seruilis ac nocturnus. Illo si premimur à dæmone, debemus ad compunctionẽ vti, Imò dicit nos illum debere in nobis excitare vt conuertamur.

Veruntamen huiusmodi timorem comitari debet quædam longanimitas & patientia, quæ mærorem animi leuet, & mentem à sua sede dispersam reuocet. Dicit enim D. Hieron: Longanimitati contraria est pusillanimitas, de qua scribitur: *Pusillanimis vehementer insipiens, qui vero patiens est, & vniuersa sustentat vir sapiens, & cum ectasi*, multum sapiens appellatur, vt in Prouerb. quoque scriptum est: *Longanimus vir multum in Prudentia.* Hæc ille.

Hier. in c. 5. ad Galat.

Prou. 14. *secũdum 70.*

Sciendum

Sciendum est enim quod quicunq; immoderatis huiusmodi terroribus agitantur non minus egere illos fortitudinis ad resistēdum, quam cum carnis stimulis aut quibusuis alijs tentationibus concutimur. Atq; cauendum est sub initium huiusmodi deiectionis, ne res in longū abeat, sed mox opportunum adhibeatur remedium. Quod fiet si timor hic & terror, & dolor, & mæror inordinatus existimetur tolerabilior, vel ab homine prudēte persuadeatur credi esse leuior, quàm is qui posset inde suboriri, si sese pusillanimitati credat, & sese deijciat; ac prosternat amplius. Nam scopus & finis astuti dæmonis, est ex illo mærore desperationis, ac æternæ damnationis inferre dolorem, & mærorem. An non prior tolerabilior est hoc posteriori? Quippe per longanimitatem manet ille tēporalis, per deiectionem nimiam fit hic æternus. Et hoc est certissimum aduersus huiusmodi terrores remedium, quo quendam spiritualem virum vsum esse narrat Petrus Messias in cuiusdam deiecti, & prostrati consolatione.

Scrupulosi egent consilijs fortitudinis

Narrat enim quendam nobilem ex quodā scrupulo, vel ex peccatorū suorum nimis rigida censura olim sibi persuasisse se certo damnandum, nec remedio viam posse parari. Cui rei vt mederetur, quidam vir probatæ religionis & vitæ, super hac re requisitus, vt sanum consilium daret: Annuit persuasioni huiusmodi quasi deperditi hominis. Quod vt verius esse putaret subiungebat. Ego, inquit, certò scio te non frustra tibi persuadere te damnandum. Nam & ego, inquit, per reuelationem diuinam certò certius cognoui, veruntamen (inquit) non necesse est, vt ante tempus tibi vim inferas, aut desperes, aut teipsum interimas (quod facere voluisti.) Nam quę pateris temporalia sunt, quæ patereris æterna, sat cito damnaberis, ex quo te damnari oporteat. Propterea bono esto animo, quandiu viuis, & quantum potes viue.

Petrus Messias in diuersis lectionibus de quodam nobili Germano scrupuloso.

Iocundare, &c. Qua persuasione, & consilio contentus miser credidit, & paulatim succedente tēpore ad se redijt, qui se deiecerat, & diu bene vixit. Vide aliud exemplum eiusdem authoris ibidem.

Bernard. Epistola 32.

Dicit D. Bernardus nos magni & meritorij operis negotium tractare cum personis huiusmodi nostris consilijs prodesse possumus & compati. Non immeritò (inquit) his quos in anxietate positos videmus amicis nostris compatimur, quibus vtiq; dum exitum ignoramus, defectū metuimus, quoniam quidem sicut sanctis, & electis: *Tribulatio operatur patientiam, patientia probationē, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Sic damnandis, & reprobis tribulatio parit è contra pusillanimitatem pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit.

Rom. 15.

Epistola 13. Seneca ad Luciliū. Res digna notatu pro scrupulosis.

Seneca quamuis Gentilis & Paganus Lucilio familiari suo consilium dabat contra huiusmodi timores, nobis quam saluberrimū dicēs: Plura sunt Lucili quæ nos terrent, quā quę premunt, & sępius opinione quam re laboramus. Illud tibi præcipio ne sis miser ante tēpus, cum illa quę velut imminētia expauisti, forsitan nunquam ventura sint, certè nondum venerunt. Quędam enim nos magis torquent quam debeant, Quędā ante torquent quam debent: Quędā autem torquent cum omnino non debeant. Idem epistola 24. Quid necesse est mala accersere, & satis cito patienda cum venerint pręsumere, ac pręsens tēpus futuri metu perdere. Est sine dubio stultum, qui quandoq; sis futurus miser, esse iam miserum. Hæc consultò dicit Seneca.

Seneca Epistola 24.

L. 2. de prouidētia Dei.

Minius Publius dicebat: Quotidie dānatur qui semper timet. D. Ioannes Chrisost. huic sententiæ cōformis est. Pusillanimitatis (inquit) maxime est eorum gratia quæ nondū contigerunt, incertumq; est an euentura sint, mœrore iam nos ac dolore cōficere. Hæc ille.

Iudas igitur videns vitia sua se damnabat ante tempus,

tempus, sese excruciabat, sese torquebat, sibi ipsi, præsens & futurum erat supplicium, ac quotidie damnabatur, qui necdum damnatus erat, etsi sua prauitate damnandus.

2. In hoc errauit Iudas, quod videns Christum propter se damnatũ esse, nõ sumpsit inde remediũ, vnde patiebatur supplicium, vt scilicet, conuerteretur in hac ęrumma dum configeretur cõscientię spina: Tunc enim per desideriũ verę resipiscentiæ ipsa eadẽ quam patiebatur conscientiæ tam grauis ærumna fuisset cõuersionis eius causa, & pœna fuisset eo acceptabilior quò fuerat grauior ad tolerandum. *Diligentibus enim Deum omnia cooperâtur in bonũ.* Sic fecerunt quotquot huiusmodi remorsus in punitionem suijpsius, & suorũ peccatorum assumpserunt. Et vt quod necesse erat pati cum peccato nostro sine merito paterentur. Rom. 8.

Hinc etiã admiranda est Dei sapientia & bonitas Qui nunquam ita peccatorẽ in ignorantię tenebris derelinquit, & in peccatis deserit, vt eum etiã ex suorum peccatorũ quãuis ærumnosa recordatione mouere desinat. Taliter à Deo cõmonitus Dauid dicebat: *Turbatus est à furore oculus meus. Inueteraui inter omnes inimicos meos, Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ, quoniam exaudiuit Dominus vocẽ fletus mei.* Quasi diceret: quod dũ se sentiret in conscientia turbatum, & perturbatum ex visione, & recordatione peccatorũ, quę Deum in furorem adegerunt, & quasi in eisdem peccatis inueteratus mansisset, tandem hic huiusmodi turbatione seipsum castigauit, vt illi esset in pœnitentiam, & meritum. Quia fletũ eius respexit Deus. Psal. 6.

Pœnitẽtia ductus, retulit 30. argenteos. Pœnitẽtia hęc non fuit virtus, sed cruciatus, & nõ fuit sacramẽtum, sed tormentũ, non signaculum vitæ, sed æternæ mortis iudicium, non gratiæ signum, sed inueteratæ malitiæ monstrum. *Textus.* *Pœnitentia Iuda nec virtuosa, nec Sacramẽtalis.*

Notandum venit hic quam exiguo tẽpore Iudas triginta

triginta posséderit argẽteos vno scilicet vel altero die, neq; illis vsus est, inde fit vt antequã eis vtatur cum remorsu & pœnitentia, tũ interiori tormento ductus illos proijciat. Iudæi Christũ quem emerant non retinebant, Iudas argenteos quibus Christũ vendiderat proijciebat. Hinc accipienda sunt duo documenta, vnum pro auaris, alterũ pro quibusuis peccatoribus. Auari enim passim omnes & qui post aurũ abeunt, & qui sperant in pecuniæ thesauris quando moriuntur, suos argenteos quibus vsuros se credebant cum pace, proijciunt cum pœnitentia, id est, cum graui tormento quod illis accidit, ex eo quod sua relinquant antequam eis vtantur, vel vbi per exiguum temporis interuallum vsi fuerint, & his quod illi diuiti dicitur: *Stulte quæ præparasti cuius erunt*? Et illud. *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis.*

Quam parũ possedit argenteos Iudas. Documẽtum pro auaris.

Luc. 12. Ecclesi. 4.

2. pro auaris. Auarus semper præparat & nunquam cõsumit.

2. Pro áuaris nota quod frequenter accidit diuitias illorũ male, & cum labore, & proximorum detrimento quæsitas cogantur in morte relinquere & restituere. Et hoc cogente, & vrgente ad hoc pœnitentia siue remordãte conscientia, ita vt sæpe cogantur pauperes post se hæredes relinquere, & in egestate mori. Sunt enim quidam qui nunquam ablata restituerent, nisi metu mortis aut conscientiæ stimulantis, & tyrannicè remordentis cogerẽtur. De talibus dicit idem Ecclesiastes. *Est & alia infirmitas pessima quam vidi sub sole: Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima, generauit filium qui in summa egestate erit.* Ideo dicitur de filijs Iudæ: *Non sit qui misereatur pupillus eius.*

Ecclesi. 5.

Psal. 108.

2. Machab. 9.

In eadem versabatur miseria Rex Antiochus qui fugatus à Persepoli, cũ Iudæos ad internecionem perdere meditaretur, maximis viscerũ doloribus à Deo percussus cum fætore sibi, & suis intolerabili, scaturientibus è corpore vermibus, tot malis coactus

coactus post suorũ criminum agnitionem & serò promissam emẽdationẽ merita morte occubuit, de quo dicitur quod *Orabat hic scelestus Dominũ à quo non esset misericordiã consecuturus.* Vt quid ita cum vellet omnia restituere; & ciuitatẽ ad quã festinans veniebat vt eam ad solũ deduceret, optaret liberã reddere? & Iudęos quos nec sepultura dignos se habiturum, sed feris ac auibus diripiẽdos traditurum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum se polliceretur? Cur igitur non potest misericordiam consequi nisi quia hoc facit: *Pœnitentia ductus.* i. remorsu & timore seruili coacto non in occasionẽ melius agendi suscepto, Iudę sunt etiã in hoc facto similes multi demoniaci qui cũ se mortis angustijs premi vident, omnia sed sero volunt restituere, sic multi rerũ publicarũ quęstores, exactores publici, tutores iniusti, bonorũ executores, Tyranni, &c.

Antiochus.

Symoniaci.

Conclvsio.

Aliud documentum pro peccatoribus accipe quod exiguo tẽporis spacio voluptates, delicias, honores, & huiusmodi carnis delectabilia mercãtur, vt post modicum tẽpus hæc omnia cum dolore deserant: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Cum dixerunt: pax pax, ecce repẽtinus superuenit interitus.* Caueamus igitur nobis ne natura coacta sit, & proinde nimis sera pœnitentia. Si contingat nos agi remorsibus conscientiæ, illis ad longanimitatem, & patientiam vtamur non ad animi deiectionem. Reuocemus in mentem peccata nostra cum amaritudine, & fletu, & desiderio satisfactionis voluntariæ, quam de nobis ipsis, & ex nobisipsis sumemus, dicamus cum Paulo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Cogitantes quod non patitur vltra quam sustinere possit, hominem tentari, &c. Ampliabis hæc vt voles omnia recolligendo.

Gaudiũ Hypocritæ. ad instar puncti.

Iob. 21.

2. Thes. 5.

Philip. 4.

1. Cor. 10.


CONCIO

CONCIO VIGESIMA-SEPTIMA.

De Iudæ confessione & eius circunstantijs quod fuerit inutilis omni ex parte. De primo inferno quem Iudas passus est.

THEMA.

Tunc videns Iudas &c. Dixit: Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Matth. 27.



Psal. 85. INter cæteras gratiarum actiones quas pro beneficijs à Deo receptis humiliter referebat diuinus ille Dauid ps. 85. Confitetur se totum Deo teneri quod ab inferno inferiore fuisset ereptus: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum* (*Psal.* 85.) *in æternum. Quoniam magna est super me misericordia tua, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Mirum videri poterit quibusdam cur cùm de inferno loquitur inferius vocat; Nisi quod ex loco hoc colligere possimus infernum esse duplicem, (*Infernus superior & inferior.*) vnum huius vitæ qui superior vocari potest, quem patiuntur, qui conscientiam habent multis & grauibus peccatis obnoxiam, ratione cuius assiduam patiuntur amaritudinem & tormentum: Quos ita deiectos diuinæ iustitiæ & rigoris iusti iudicij Dei facit repræsentatio, vt nihil inter eos & infernum damnatorũ intersit nisi prima mors quam sequitur mors secunda, de qua loquitur D. Ioannes in Apoc. (*Mors prima mors secunda.*)

Quot-

Quotquot autem talibus pœnis anxiam habent suam mentem, nisi maturè sibi prouideant ab ipso superiore mox ad infernum inferiorem migrabũt. Neque tamen ob hoc putandum est omnes qui peccatis enormibus grauantur, huiusmodi pœnam pati, sed illos præsertim quos repente diuina iudicia cœlitus arguunt & subitò mentem corripiunt ac hortantur vt resipiscant ex consideratione malorum & infortuniorum, quæ ipsis etiam innocentibus accidunt & huius rei veritas ex ipsis scripturis satis patet, dicit enim Sap. *Quia non cito profertur contra malos Iudicium, ideo absque vllo timore filij hominum perpetrant mala*. Vnde sequitur quod diuina iudicia quæ in peccatores exercentur, sæpe sæpius malorum hominum conscientiam hortantur vt sibi caueant, præsertim cùm criminum fuerunt complices, vnde sæpe salutaris oritur timor, qui nõ patitur hominem in fecibus sordium suarum delitescere. Veruntamen cùm vident illos ex inopinato supplicijs adigi, quibuscum familiariter conuersati sunt & in quibus nullam vnquam vel minimam labem (ne dicam scelus) viderunt: tunc terrentur in interioribus suis visceribus, præsertim si quid admiserint vnde sibi conscios pœnæ talium innocentium arguere possint. Et quia talis terror subitus est, vix pôtest esse causa repentinæ contritionis, aut pœnitentiæ meritoriæ. Vnde si quæ signa doloris interni patefecerint, non facilè credẽdi sũt ex animo resipiscere ratione criminis contra Deũ perpetrati, sed ratione doloris & mæroris intolerabilis quo premũtur. Et quamdiu non habetur respectus ad ipsum Deum cõtra quem delictum est, non potest aliquod opus vel contritionis vel confessionis, aut cuiusuis satisfactionis esse salutis æternæ cooperatorium. Sed Confessio eorum talis est qualis est eorum qui iam in inferno propter sua scelera torquentur, de quibus ait Sap: *Ergo errauimus à via veritatis &c. Quid nobis profuit*

Apoc. 2.

Eccl. 8.

Mali terrentur dum vident iustos puniri.

Sap. 5.

Genes. 4. *profuit superbia?* &c. Talis erat confessio Lamech quam coram suis vxoribus emittebat. *Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum. Occidi virum in vulnus meum adolescentulum in liuorem meum. Vides quod* magis queritur, quia metuit pœnam quam quia commiserat culpam. Talis erat & ipsius Iudæ status, qui propterea superiorem infernum patiebatur, nec quicquam dolendo, quærendo, confitendo, gemendo, satisfaciendo, proficiebat. Confitebatur enim quia angustiabatur, non quia contra Deum suum eleuabatur. 2. Potest huiusmodi pœnitentia vel pœna superior infernus appellari, quia talibus pœnitentibus manet semper aliquid amoris proprij & sensualitatis propriæ blandimentum sicut in damnatis, dicente August. in Psal. 74. Quod ciuitatem Babylonis facit amor sui vsque ad contemptum Dei. Quia enim seipsos quærunt & amant, non Deum suum, hinc quæruntur se pati, quia malè ipsis est, ac proinde aliter vellent esse vt semper sese in Deum per scelera sua erigerent iuxta illud: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Ac proinde sicut hi meritoriè non cruciantur, sic nec Iudas & illi similes. Hinc dicitur de Iuda & eius sequacibus Iudæis: *Quoniam si inimicus meus maledixisset &c. Tu verò homo vnanimis dux meus & notus, Qui simul mecum, &c. Veniat mors super illos & descendant in infernum viuentes.* In priore versu dicitur quod propter peccata Deus illum non sustinuit, in altero dicitur quod viuus in infernum descenderit. Ac proinde dicere poterat: *Circundederũt me dolores mortis & pericula inferni inuenerunt me.* Sed non poterat Iudas dicere quod sequitur (quãuis id fecisse debuerat) *Tribulationẽ & dolorẽ inueni & nomen Domini inuocaui, ô Domine libera animã meã, misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur. Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sũ & liberauit me. Conuertere, &c.*

Amor sui est in dãnatis.

Duplex ciuitas Amor sui & Amor Dei.

August. in Psal. 74.

Psal. 73.

Psal. 54.

Qui descendant Viui ad inferos.

Psal. 114.

Quibus postremis verbis docet Propheta, quia

qua via possint à superioris Inferni tormentis egredi peccatores, antequam totalis superueniat desperatio & infernus inferior. Notat enim his versibus duo remedia veluti vias quasdam oppositas eorum regimini, qui superiorem infernum patiuntur. *Primò* quod homo magis coram Deo culpam agnoscere debeat, quam de pœna conqueri, vel illius causa miserum sese ante tempus reddere. Propterea dicit Dauid: quod vbi inuenit dolorem, nomen Domini innocauit. Nomen Domini est, nomen IESVS, vel Saluatoris: *Quia non est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Nomen Domini est, nomen *Tetragrammaton,* vt supra Ps. 8. dicit Iacobus de Valentia. Cuius quatuor literæ continent, & significant quatuor ineffabilia Dei mysteria essentialia, summam omnipotentiam, summam sapientiam, summam misericordiam, & summam iustitiam. Peccator igitur in profundo suæ desolationis, tanquam in inferno superiore constitutus, & gemitibus circundatus debet ad quatuor hæc recurrere. 1. *Ad omnipotentiam* Dei, cogitando quam infirmæ sint diaboli vires & quod neminem damnare possit nisi volentem vtpote, qui seipsũ eripere nequeat ex inferno. Neque tam potens sit, vt vel in porcos nisi data licentia possit intrare. Et è contrario, quam stabile, quam certum, quam potens, & infalibile Dei sit auxilium sperantibus in se. *Deus noster refugium nostrum, & virtus.* Hoc præsidio munitus dicat: *Dominus illuminatio mea, &c. Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? &c. Si consistat aduersum me prælium, &c.* 2. *Recurrat ad nomen Domini per eius sapientiæ considerationem.* Scilicet eius prouidentiam ponderando, quæ pars est sapientiæ diuinæ, qua credamus illum de rebus disponere & sic suis ordinibus omnia nectere, vt nec capillus de nostro capite decidat sine eius permissione, & quod

Quomodo ab inferno superiore possimus eripi.

1. *Remedium.*

Inuocatio nominis Dei.

Nomen Domini.

Act. 4.

Ia. de Va. in Psal. 8.

Nominis Dei virtus

Matth. 8.

Psal. 45.

Psal. 26.

proinde nos debeamus eius prouidentiæ committere, & recursum habere. 3. *Ad eius suauem misericordiam*, & cogitare quod venerit peccatores saluos facere. Quod neminem velut perire sed *Vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* *Quod quacunque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius non recordabitur*, & similia multa, quæ illius misericordiam extollunt. 4. *Ad iustitiã illius* Et hoc per desiderium bonæ operationis, recogitando quod facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam. Etsi ad quatuor hæc recursum habuerit Dauid in medijs constitutus angustijs, duo pręsertim adfert ad quę confugiendo remedium obtinuit. De duobus primis loquitur dicens: *Domine libera animam meam.* Agnoscendo illum esse Dominum, & rogando vt liberet, recurrit ad omnipotentiam. Animam suam proponendo, sapientiam insinuat Creatoris in cuius sapientia creata est. Iuxta illud: *Omnia in sapientia fecisti.* Sed quod maximè est consolationis, dicit cum certitudine quadam: *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.* q. d. Duo sunt ad quæ mihi sunt oculi mentis dirigendi, Misericordia, & Iustitia Dei. Veruntamen mihi semper misericordia iustitię pręferẽda est. Misericors est (inquit) & iustus sed potius miseretur, quam iudicat, resumit quidem misericordiam, sed non resumit iustitiam. Nam si miser iustitiam solam spectet in profundũ desolationis irremediabilis incidet. Huius exẽplar & figurã habemus ex Ezechielis c. 1. vbi dũ prophetę suo Deus videndũ se præbet in throno quodam supereminẽti, dicit eius speciẽ fuisse, quasi speciẽ electri, vsque ad lumbos, & à lũbis, vidit quasi speciẽ ignis splẽdentis in circuitu. Electrũ quod supereminet, & sẽper festucas & fenũ ad se attrahit, Dei misericordiã figurat. Ignis omnia perurẽs & puniẽs iustitiã Dei sæuientẽ significat, illã potius intueri debemus

1. Tim. 2.
Ezech. 18
Psal. 103.
Non oportet pensare iustitiã Dei sine misericordia.
Figura ex Ezech. 1.

hemus quã hãc. Quia teste D. Iacobo: *Misericordia superexaltat iudiciũ*. Quod ita verum est vt nunquã de misericordia simul, & iustitia in sacris codicibus fiat mẽtio, quin illa iustitiæ præferatur ad peccatorũ & eorũ præsertim qui desolationi proximi sunt consolationem. *Iacob. 2.*

D. Ber. se. 6 in Cãt. dicit Dominũ duplici gressu altero misericordiæ, iustitiæ alio versus animas tendere, quo vel spem ferat vel metum incutiat. Quod colligit ex eo versu Cant. *Cruræ eius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas*. Marmor ratione frigiditatis iustitiæ symbolum videtur posse dici, quia timorẽ generat & reuerentiã. Aurũ verò Hieroglyphum est misericordiæ, quia cor exhilarat. Sicut nec quicquam est quod magis hominum animos sedare & tranquillos & securos reddere debeat, quam diuinæ misericordiæ recordatio. Ad istos pedes accedens D. Magdalena vtrumq; amplectebatur: *Stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare & capillis tersit & deosculabatur*. Perdẽda quippe fuerat si iustitiam sine misericordia fuisset amplexata. Dicit enim idem *Bernardus*: Quod si quis solam misericordiam consideret facile præsumit, si solam iustitiam facilè desperat, præsertim vbi peccatorem criminum premit multitudo. Veruntamen præferenda est misericordia judicio, ne mens nimiũ depressa de diuino desperet auxilio & in abyssum cadat vnde non redeat. Hęc ille. *Ber. ser. 6. in cant.* *Cant. 5.* *Luc. 7.*

Iudas igitur iustitiã vindicẽ solam spectabat neq; mentis oculos ad misericordiam hanc subleuabat, sicut Dauid se fecisse lætatur vt diximus.

2. quod adhibuit *remediũ* Dauid, in medio pœnarũ inferni superioris cõstitutus fuit animi submissio & patiẽtia corã Deo cõtra propriȩ sẽsualitatis amorem qui pœnas pati renuit & dolores. Propterea dicit: *Custodiens paruulos Dominus humiliatus sum & liberauit me. Conuertere anima mea, &c.* quasi diceret. Quid faciam? quò fugiam? Non *2. Remedium.* *Humiliatio.*

possum Dei manum effugere? Tormenta patior sed iustè. Quid mihi murmuranti & reluctanti proderit impatientia? si quid patior, iustè patior. *Hic* Augusti. *vre, hic seca vt in æternum parcas.* Oportet igitur me diuinę correctioni submittere, patiar hos dolores, sed non semper patiar, Deus humiles & paruulos custodit. Ego meipsum humiliabo. *Quoniam ego* Psal. 31. *in flagella paratus sum & dolor meus in conspectu meo semper.*

Sic & idem Dauid, iterum fecisse legitur cum daretur ei ab Angelo post numeratum populum optio de tribus flagellis, vnum vel famem, vel pestem, vel bellum eligendi. *Melius est*, inquit, *vt incidā in manus Dei, multa enim misericordia eius sunt,* 2. Reg. 24. *quam in manus hominum.* Sic fecisse debuerat Iudas, magis cum patientia mortem à Deo præstolari, vt in eius manum potius incideret misericordē, quam in proprias manus tam crudeles; Tolerasset ad tempus vermem rodentem, ne cum eo pateretur ignem æternaliter vrentem.

Nihil igitur bene fecit Iudas cum pœnituit, quia *Iudas martyr diaboli.* non propter Deum sed propter se pœnituit. Martyr quippe fuit diaboli & suiipsius tortor & carnifex. Et quia virtus non fuit eius pœnitentia, ideo pœnitentiæ partes nec bonæ, nec legitimæ fuerunt, fuit enim in ipso contritio non ex detestatione vel odio peccati, sed ex odio miserię ex peccato procedentis. Non fuit legitima satisfactio etsi integra, quia fuit ex dolore coacto cum spe remittendi mœroris & alleuiandi oneris, quod intollerabile videbatur homini suam sensualitatem amanti & sibi nimium blandienti, fuit vt diximus coacta restitutio. Deinde non omnino satisfecit Christi famæ, quia Deum non est confessus sed iustum.

Minus item fuit bona confessio, quamuis superficie tenus satis bene per partes composita, & suis constans circumstantijs. Veruntamen cum sacramen-

cramenta vim non habeant nisi ex fide, quæ iustificationis est origo, non poterat in pœnitétia proficere, quæ non erat fidei coniuncta, de qua dicitur: *Quod fides sit substantia rerum sperandarum*, id est, fundamentum & basis & quædam veluti ianua per quam in Ecclesiam intramus. Huius testis est D. Leo qui serm. 1. de passio. confessionem Iudæ exponens, dicit: quod non credidit se tradidisse Deum sed sanguinem iustum, id est hominem, cum tamen dicitur: *Corde creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quam ob causam D. Petrus confitetur Christum esse filium Dei viui. Deinde vt fidem concederemus habuisse, non fecit confessionem, aut satisfactionem ijs, quibus erat facienda, scilicet ijs quibus dictum erat: *Quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælis, &c.* ac proinde non credebat hanc in Ecclesia potestatem esse datam à Christo, vel posse dari, cuius ipse diuinitatem negabat, & qui cum Capharnaitis quæsierat: *Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum, &c.*

Heb. 11.

Rom. 10.

Matt. 16.

Ioann. 6.

Pro quorum ampliori declaratione sciendum esse duplicem confessionis significationem, vna est confessio laudis, alia peccati; Vna laudantis altera pœnitentis. Confessio laudis vel laudantis potest esse sine confessione peccati: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, &c.* Item: *Confitebuntur mirabilia tua Domine.* id est. Animæ cœlestes: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, &c.* Confessio verò peccati pręsupponit semper confessionem laudis, quia pręsupponit semper agnitionem potestatis, quam irritauimus per peccata diuinę iustitiæ, cuius rigorem incurrere non metuimus, cognitionem etiam diuinæ bonitatis in quam speramus. Hinc illud Pauli Heb. 4. *Habentes igitur Pontificē magnum, qui penetrauit cælos Iesum Filiū Dei, teneamus spei nostræ confessionem.* Hinc & diuus Ioannes: *Filioli*

Duplex confessio.

Aug. hoc loco Mat. 11.

Psal. 88.

Psal. 34.

Heb. 4.

Ioann.2. *scribo vobis ne peccetis sed & si peccaueritis aduocatum habemus apud Patrem Iesum-Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum sed pro totius mundi.* Hanc spei confessionem non habebat Iudas quia triste nimis & amarum illud *Peccaui* quod longis suspirijs ex corde trahebat, gemebunda voce non temperabat diuinę bonitatis contemplatione, ad quam considerãdam erigi potuisset si quibus debuisset (vt inquit
Iansenius Iansenius) confessionem sui fecisset facinoris. Et proinde confitendo peccatum confessione pœnitentis, non confitebatur confessione laudis & honoris, qui Deo debebatur, quia cum impio Cain substrahebat illi potestatem hoc peccatum dimittendi. Ad vtramque confessionem hortabatur sa-
Eccle.17. piens dicens: *A mortuo quasi nihil perit confessio, confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum & gloriaberis in miserationibus illius: Quã magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se.* Sed quid mirum non fieri bonam confessionẽ ab eo qui iã pænè mortuus erat? & qui iam se damnatum & inferno cõsignatum putabat?
Psal.6. cum dictum sit: *Non est in morte qui memor sit tui, in inferno quis confitebitur tibi.*

Sed notemus singula, quæ non minus habent ponderis quam admirationis. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Hic restituit honorem Christo non diuinitatis in quam non credebat sed humanitatis, eius innocentiam palam faciens. Sic solent & malefactores dum trahuntur ad locum supplicij palinodiam canere, & reuocare depositiones si quos iniustè incusarint vt sui criminis cõplices, & eos publicè testari tales non esse quales prius testabatur, sed aut odio, vel iussione, vel precio ad id adductos esse, & quidẽ per mortem quã passuri sunt rei veritatem protestantur. Sic & Iudas recogitans quod in traditione magistri sui famam eius læ-

sisset,

fuisset, confessione publica testatur iam patibulo, mortique proximus, id contra ius æquitatemque fecisse, sine causa famam tam innocentis hominis denigrasse, non aliam quam ob suam maliciam illum in manus Gentium traditum esse, ac subinde causam non subesse cur Christus moreretur.

Ex peccati istius confessione manet irrita hæræsis Cainorum de quibus egimus & quorum mentionem facit Augustinus & Tertullianus & Iræneus, &c. qui credebant illum tradendo Christum non offendisse. Nam & ipse suum confitetur peccatum quod nō erat obsequium præstare Deo, vt credebant illi, sed sacrilegium omnium grauissimum committere. *Vide concionem de eius apostasia ab Apostol.*

Ideo bene dicitur sanguis Christi sanguis Iustus, quia non poterat iniustus esse qui precium nostrę iustitię futurus erat, quia Verbo diuino & infinitæ iustitiæ supposito coniunctus erat, qui infinita virtute poterat animas iustificare, qui ratione sui valoris infiniti, satisfecit diuinæ iustitiæ & quia hominis erat infinitè iusti. Quo iustior igitur sanguis eo iniustior vendentis iniustitia, & in digna magis cui venia concedatur, dicit enim Apostolus: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit? & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo & sanctificatus est?* Sicut igitur qui rem aliquam venalem exponit ea ipsa re sese priuat & expoliat; ita Christum vendendo & eius sanguinem preciosum vendendo, sese sanguinis precio spoliauit quo redimi debuerat. Ideo se condemnat quod iustum dicat hunc sanguinem quia sanguinis valor illi nō est applicatus, quo tam iniustè se spoliarat de quo tamen dicitur: Heb. 9. *Per proprium sanguinem* *Sanguis Christi cur iustus dicitur.* *Heb. 10.* *Simile.*

introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Illo se redemptos testantur 24. seniores in
Apoc. 5. Apocal. 5. *Qui lauerant stolas suas in eius sanguine. Redemisti nos Deus in sanguine tuo, &c.* Sanguis ille qui dat virtutem baptismatis vndis, vt corpus abluendo mundent animas, sanguis inquã, qui suã cõmunicat sacramentis gratiam. Et vt verbo dicam: Sãguis ille est, qui Christum nobis
Rom. 3. facit mediatorem apud patrem æternum. Roma. 3. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in*
Sanguinis Christi efficacia. *sanguine ipsius.* Hic Angelos à casu præseruatos in gratia firmauit, & homines ad gratiam reuocauit, hic destruxit Inferos, Angelum Paradisi portę præfixum, eiusque gladium ancipitem diuertit vt eius portas patefaceret, & aditum reconciliatis præberet.

Mirumnè te damnari ô Iuda perfide, qui sanguinem hunc ad quem tibi patebat recursus effudisti? prodisti? conculcasti? nihili fecisti, cuius indigne sumptionem participasti? In illo te lauare debueras ex quo pro te fundebatur. Non-
Hic est sanguis qui pro vobis tradetur. ne satis intellexeras in illa Cœna postrema: Pro te, quamuis à te tradendum hunc sanguinem? Nam & huic conuiuio cum cęteris intereras, ad te, sicut & ad cæteros verba hæc dirigebantur, ab illius perceptione & participatione non excludebaris. Sed quid dico? quid frustra te compello? Quia sanguinis fore precium non credebas ideo tradebas, ideo contemnebas, ideo iustè damnatum te videbas.

Iustum dicit cui non credit & in quẽ nõ credit. Sed si credebas iustum, cur non credebas veracem, cum dictum sit: *Ex ore tuo te iudico.* Cùm de suo corpore sanguineque precioso, quod tibi cæterisque communicabat, loquebatur: cur fidem non adhibebas? cum diuinitatem suam testabatur, & miraculis confirmabat, cur non acquiescebas illi quem nunc iustum confiteris?

Si mendax erat quomodo iustus? & si iustus quomodo mendax? frustra igitur dicis hunc esse iustum, cuius iustitiæ non adheres, cuius fidei non inniteris, cuius veritati non credis. Iustum igitur dicis sed non cogitas, quid dicis. Iustè igitur per tuum proprium os iudicaris, per proprium laqueum suspenderis, per proprias manus punitis. Non erit igitur iniustus te damnando, qui semper iustus fuit te conseruando, & apud se inter suos quamdiu fieri potuit tolerando.

At illi dixerunt? *Quid ad nos? tu Videris.* Nostri non est hic instituti, de Pharisæis & Sacerdotibus agere, & eorum præsertim imprudentia & impudentia, quæ satis enituit in hac responsione per interrogationem, imò per arrogantiam facta, quasi dicant. Quid nostra refert? Nocentem prodideris an innocentem? Tu tibi prospicias. Veruntamen per parenthesim vnicum verbum adijciam, quod nostro themati satis congruet. Iansenius dicit, quod etsi satis ex præcedentibus Christi miraculis Iudæi probatam habere debuissent eius innocentiam, tamen quod tunc maximè res extra controuersiam esse debuerat, cum accessit tam euidens Iudæ testimonium, ex restitutione, tum tam manifesta confessione. Quod etiam videntur ipsimet tacitè (sed cum quadam contumacia) confiteri, dicentes: *Quid ad nos? Tu Videris.* Habebant enim magnum suæ impietatis prætextum, quod à discipulo intimo Christus esset proditus, qui videri poterat ob certa quædam occulta facinora, sibi magis quam vulgò cognita, à suo magistro defecisse, eumque tanquam noxium prodisse. Inexcusabiles igitur ex eo tempore facti sunt, ex contemptu quem præcedebat excecatio. *Quid ad nos, &c.*

Quam seuera Iudeorũ responsio.

Iansenius

Omnes & omnia in proditorem cõspirant.

O responsum infelix pro te Iuda, sed ô Iudæis infaustum! An nihil eorum intererat, qui eiusdẽ erant facinoris cooperatores imò & authores vt diximus? qui & ob id quod populi erant pastores, rationem Deo reddere debebant omnium quę agebantur? Certè vt Iudæ confessione, ita & hac respõsione cõdẽnati sunt impietatis in Christũ, cũ significant se non curare iurene an iniustè sit proditus à discipulo dum sit proditus & perditus.

Hic videtur cum quadam acerbitate reprehensus Iudas à Sacerdotibus, qui satis indignè videbantur ferre quod argẽteos referret: *Quid ad nos*, quod te peccasse dicas? Peccatũ tuum, quia voluntate tua cõmissum, quia nullius procuratione perpetratum sed tua solius malicia adinuentum, tuum esto, pro te respondeto. *Tu videris.* Quod dicas te tradendo peccasse, *Quid ad nos?* precium enim venditionis curauimus tibi numerari, si restituas in alios non in nostros vsus applicabitur, si dicas te sanguinem tradendo peccasse: *Quid ad nos? Sãguis eius super nos & super filios nostros. Tu videris.* Si fateris hunc iustũ sanguinem iniustè traditũ fuisse, in te maneat culpa, iustitia illius tibi prosit; Hoc prius prępuidere debueras, non enim te accersiri curauimus, tu spõte te nobis obtulisti, tu paratum te præsentasti, vltro citroq; consistorio nostro ingessisti, nobiscũ pepigisti, spopondisti & quod magis est dux noster fuisti, tu primus illum adortus es: Tu tuæ iustitiæ sponsor esto. *Quid ad nos!* Si qua culpa nostra est, tua est. *Tu videris.* Tu motor negotij, tu promotor, tu consummator fuisti. An non hoc est dicere, abi in pistrinum, & in malam crucem.

Qui à Deo est auersus, & est aduersus Deum, Deum & omnia sibi habet aduersa.

Secundo his verbis quasi improperant huic infausto proditori scelus perpetratum non quodcunque sed præsertim proditionis, quasi dicant. Mereris qui ab omnibus contemnaris, qui ma-

Alia expositio.

gistrum

gistrum contempsisti, qui conculceris à nobis qui innocentem conculcasti. Mereris solus esse qui cũ multis noluisti viuere.

Hæc est omnium sceleratorum & præsertim proditorum merces, vt qui proditionis tempore rerum potiti sunt, cum Magnatibus ambularunt, eorum se socios viderunt, postmodum fiant mancipia & vulgi prouerbium. Neque enim vnquam traditori fiditur (etsi videatur) Nam si fiditur in vno, non fiditur in altero, quia qui potuit in vno fidus, in altero potest esse perfidus. Propterea sicut eorum suspecta est fides sic & despecta societas.

Proditorũ merces est ab ijs contẽni quibus chari fuerunt.

Quid ad nos? Quid nobis sacerdotibus tecum? cum tuis æqualibus esto socius. Non est quod vltra tu nostris contubernijs intersis aut consilio. Sanè enim vbi tua nobis opus fuit opera, illam mercede iusta conduximus. Cura quæ tua sunt, argenteos proijce si tibi non placent, argenteis vtere si quibus opus habes. Nos his curis nos eximimus. *Tu videris*, quia negotium à te peractum est.

CONCLVSIO.

Hęc itaque verba valde nos monent vt nobis ipsis præuideamus & prouideamus & sollicitè caueamus ne nostra scelera Deo nos despectos & nobisipsis ac proximis nostris reddant. Si contingat nos multitudine peccatorum premi, ita vt inferni doloribus circundari videamur, sit ita nobis infernus superior siue synderesis ipsa motrix actuum nostrorum, vt semper ad nomen Domini recurramus, in quo nos oportet saluos fieri: Respiciamus aduocatum no-

nostrum, & in eius natura humana respiremus, quæ
Rom. 8. nostra est, & per quam coheredes Christi sumus.
Videamus etiam ne tanti faciamus per peccatum
mundo placere ex quo post peccatum videmus peccatores,
& peccatorum patratores ab ipsissimet
peccatorum complicibus deseri, & cum Paulo dicamus:
Reliquum est, vt qui hoc mundo vtuntur
1. Cor. 7. *sint tanquam non vtantur, præterit enim figura huius
mundi*: In Iuda præterijt citò breuis voluptas,
quæ inermem dereliquit. Beatus erit
qui semper æternum cogitabit, ex quo
tam misera merces accedit homini
mundum sequenti.

DIXI.

CON-



CONCIO
VIGESIMA-OCTAVA

De desperatione Iudę, & de causis eius, de tempore quo sese interemit, & de modo, & causis huius mortis.

THEMATA.

Et proiectis argenteis in templo recessit & abiens laqueo se suspendit. Matthæi. 27.

Et hic possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Act. 1.

INTER cætera maledicta vel infortunia quę reprobis hominibus impendent, vnum illud est & maximum, de quo Rex Salomon loquitur dicens: *Væ soli quia cum ceciderit non habet subleuantem se* & prius dixerat: *Melius est ergo duos esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ, si vnus &c.* Vbi non est credendum condemnari vitam eorum, qui à popularibus turbis remoti, solitariam vitam ducunt, vt minus terrenis ijsque grauibus curis obruantur, aut in frequenti populo distrahantur, quoniam & hæc vita laudabilis est, & salutaris & optabilis: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Eccle. 4. Psal. 54.

cum? *Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine.* Quid facturus? & respondet. *Expectabam ibi eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus* & tempestate. *Oppidum* inquiebat Hieronymus *mihi carcer est & solitudo paradisus.* Oseæ 2. *Ducam eam ad solitudinem & loquar ad cor eius.* Hanc solitudinem sæpe quæsiuit Christus in hortis, in desertis, in montibus, & in abditissimis locorum recessibus; *Et cum feris.* Hanc ab ineuntibus annis adamauit D. Ioannes Baptista, D. Anthonius, Maurus, Paulus, &c. Solus igitur ille verè est, qui derelictus est à Deo, à seipso & à proximis suis, & quod magis est qui Deum, seipsum, ac omnes suos proximos etiam alias sibi familiares habet inimicos sibi.

Hierony. *Osea.2.* *Marc.1.* *Quis solus dicitur.*

1. Regum 22. Magnum quidem fuit infortunium Dauidis cum derelictus à genero suo Saul coactus est in Odollam speluncam sese recipere, veruntamen ibidem dicitur: *Quod ad illum venerunt omnes fratres & amici. Et conuenerunt ad illum omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno & amaro animo, & factus est eorum Princeps fueruntq; cum eo quadringenti viri.* Deinde Moabitarum Regem habuit sibi fautorem; demum Dauid sperabat se post aliquantulum temporis cum pace rediturum in terram Iuda, vt regno potiretur quo pulsus erat, post tot insignes victorias & triumphos celebratos, *Dauid percussit decem millia.* Non minus angustiæ passus est cum per solitudines & montosa loca cogitur vagari cũ in illum coniurasset filius rebellis Absalon. Dum sese audijt in itinere à quodam nefario Semei iniurijs lacessiri, virum sanguinum appellari, lapidibus peti, fugitiuum existimari, veruntamen nec tũc nec alias ab omnibus derelictus est in tãtũm vt pro refugio Deum non haberet. Adamum ex paradiso fugari, à facie Dei minantis abscondi, & ab Angelo

1.Reg. 22. *2.Reg. 15.* *2.Reg. 16.*

ne regrederetur impediri magnum erat periculum & mæroris iudicium. Veruntamen nec ab vxore derelictus est, nec a liberis sed etsi Deum habuerit sibi infensum, illum sua pænitentia sibi reconciliauit. Quid dicam de Caino? quid inquam potuit illi periculosius & infelicius contingere, quam à facie Dei projici? vnde dicit: *Ecce me projicis hodie à facie terræ & à facie tua abscondar & ero vagus &c.* Sed nec is omnino derelictus à Deo, quia posuit in eo signum Deus ne quis illum interimeret. Nec a seipso quia sese non interemit, cũ ipsemet mortem metueret nec ab vxore derelictus est. Solus igitur inter mortales omnes & omnes reprobos solitudinis huius graue periculum & infortunium passus est Iudas. Væ væ iterum tibi soli Iudæ cui væ illud debebatur & dicebatur: *Væ homini per quem &c.* Vbi tuus ille quondam tam mansuetus preceptor Christus? vbi tot millia turbarum & populorum ad illum concurrentium, qui te olim cum cæteris Apostolis venerabantur? Vbi Discipulorum societas quæ tibi nunquam non debuit esse gratiosa? vbi frequens ille Iudæorum Senatus cuius concursu nuper delectabaris, vt eis Christum traderes? vbi sunt qui tecum pactum pepigerunt? Et vt verbo dicam: *Quo abijsti?* Vbi es? quam a te remotus es? Quia Christum tradidisti, Deum & hominem perdisti, quia dereliquisti societatem tuã nunc ab illis derelictus es, Quia precium sanguinis vẽdidisti, nunc ad sanguinem concurrere nequiuisti, væ tibi si nunc ad Apostolos redeas quibus cognitus es, væ tibi qui solus quia neminem amasti, væ tibi quod derelictus es quia omnes dereliquisti. Quid agas nunc Iuda? Talia quidẽ in animo Iudę versabãtur, quod se videret ab omnibus etiã à suis pecunijs derelinqui Inter cætera vero nihil potuit vehemẽtius eius animum conturbare quam ab ipsis quibus Christum

Gen. 14.

Christum tradiderat contemni, subsannari, sarcasmicè derideri, & mordaciter reprehendi: *Quid ad nos?* Erant enim sacerdotes à quibus consiliū & cōsolationem vel auxilium sperare poterat, ad quos hæc verba spectare videbantur. *Confortate manus*
Esai. 35. *dissolutas & genua debilia roborate, dicite pusillanimis confortamini, & nolite timere.* Noui Testamenti sacerdotibus dictum erat à Paulo: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum &c. Vt condolere possit ijs qui ignorant & errant, quia ipse circundatus est infirmi-*
Heb. 5. *tate.* De quibusuis Christianis probis dicitur: *Si præ-*
Galat. 6. *occupatus fuerit quis aliquo delicto, vos qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans ne & tu ipse tenteris.* Nullus igitur eorum quorum intererat, Iudæ miseriæ commiserebatur, nemo flebat cum flente, nemo consulebat, nemo
Psal. 37. solabatur: diceret potius cum Dauide: *Amici mei & proximi aduersum me appropinquauerunt &c. & vim faciebant qui quærebant animam meam.* Si cęlos aspiciebat iratum Deum metuebat, si terram, semper illud væ infernale timere debuerat, si ad dexteram se vertebat, diabolus stabat à dextris eius, si sinistram, omnes sibi infensos persuadebat, si ante se, peccata præterita minabantur, si post se, metus maioris periculi ingruebat, si sese intus contemplabantur; timor, męror, angustiæ, vermis & horror aderant, & vt verbo dicam, intrauerat Sathan in cor eius, & hominem huc illucq; trahebat & distrahebat. Quid agereret à cæco ductus cęcus nisi vt ambo in foueam caderent?

O Iuda aiebat dæmon, desperandum est, quid aliud agas? En cælum, & terram tibi infensos, elige tibi mortem quæ tibi lenimen malorum feret. Respondet ille: Sic est, ita est, imus, obedimus, fiet. Nec enim mors hac vita potest esse amarior, pereundum est. Quid agas vbi solus es? vbi nullus tibi amicus. Dicebat

Dicebat id quod Iob humanæ vitæ suasque vel *Iob. 7.*
potiùs ex persona reproborum calamitates explicans dicebat: *Quamobrem elegit suspendium anima mea & mortem ossa mea. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam.* Et sic Iudas abundantiori tristitia absorptus, & cum Cain in corde suo dicens: Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear: *Abiens laqueo se suspendit* eo *Suspēdiū* quod non ferret tormentum conscientiæ tor- *Iudæ.* quentis vel (vt plerique opinabantur) quia recordans verborum Christi quibus Resurrectionem suam prædixerat, metuebat ne sibi peius accideret post Resurrectionem, quod patet ex figura. Igitur *hic exitus illum forte tulit.*

Simili enim de causa etiam Achitophel (qui in multis Iudæ fuit figura) sibi ipsi vitam simili sup- *Au. in l. 2.* plicio eripuit, nempe quia cum consilium eius non *Reg. c. 17.* reciperetur, credens Dauidē, aliquando in regnum *Hie. Rup.* suum reuersurum, malè sibi ab ipso metuendum putauit.

Fuit autem hic Iudæ typus *Primum* in eo quod *Achytophel Iudæ Typus.* cum filius Dauidis insurgeret in patrem cum prius fuisset patri familiarissimus, deficiens à patre, filio adhæsit, sic enim & Iudas deficiens à Domino verò Dauidis filio, cui prius fuerat intimus, Iudaico adhęsit populo, cum in Christum verum suum Messiā & Patrē insurgeret eiusq; necem meditaretur. Fuit 2. eiusdem typus in eo, quod filio contra Patrem suggessit consilium quo ille opprimeretur, offerens seipsum in ducem exercitus qui persequeretur latentem Dauidē. Sic enim & Iudas Iudæis consultor fuit, cum diceret: *Quemcumque osculatus, &c.* *Dux fuit eorū qui compr. Iesum.* 3. Quia eodem vt dictum est mortis genere perijt. 4. Quia sicut Achitophel suo mortis genere fuit iudicio quo genere mortis moreretur Absalon, sic & Iudas sua morte significabat quo fine Iudæi interituri essent, vt in Act. 1. probat Petrus nem- *Act. 1.*

pe quod malè perituri essent, terra eorum foret desolata, & preæminentia eorum ad alios transferretur.

Exempla eorũ qui se occiderũt vel qui cũ Iuda perierunt.

Notandum verò non omnes quotquot sese interimunt pari causa cum Iuda sibi mortem inferre vel inferri iubere. Sunt enim quidam qui metu cuiusdam infamiæ mori malunt quam viuere. Talis fuit Abimelech de quo Iud. 9. dicitur quod occisis 7. fratribus suis & imperio tyrannicè vsurpato, dũ turrim quandam in Oppido Sichem exurere vellet à muliere quadã fragmine molę fere oppressus est, ita tamen vt dum adhuc aliquid vitę restaret, iuberet sese ab armigero suo interimi ne pateretur infamiã quod à muliere fuisset interemptus. Sic & fecit Saül, ne videretur à Philistæis incirconcisis occisus.

Abimel. Iudic. 9.

1. Reg. vlt. Saul.

Alij sunt qui cuiusdam honoris desiderio (qui nonnihil habet etiam timiditatis de contrario) se duellis exponunt, vitam prodigunt, ita tamen vt dum suo se putant honori consulere, dedecus & infamiam perpetuo patiuntur, cum non patiatur Ecclesia rebelles & refractarios huiusmodi sepultura Christiana potiri. Talis fuit Q. Curtius eques ille Romanus de quo Liuius l. 7. Valer. Augustinus l. 4. de Ciuit. Dei c. 20. quod anno ab vrbe condita 390. sese armatum in apertum quendam abyssum in medio fori coniecit, quia vatibus ita visum erat, vt qui ex equitibus rempublicam saluã esse vellet, id intrepidè faceret, qui tamen damnationem incurrerunt.

Q. Curt. Valerius l. 7. c. 5.

Alij sunt qui tale quid attentant metu molestiarum huius vitę, vt sunt mulieres pusillanimes, quæ cùm pauperie extrema sæpe premantur, & post suspiciones aut præuias quasdã accusationes in equileum aut torturam adiguntur ea fatentur in proprium interitum quę quandoq; nec vera sunt nec cogitata. Sed odio miseræ vitę malunt se tormentis

Sortilegæ pauperes.

tis adigi mox abituris, quam perpetuam vel pati egestatem vel ignominiam, & opprobrium.

Talis fuit C. Manlia ciuis Romana, Caij Manlij filia cuius Epitaphium est apud Gueuaram l. 3. Epistolarum Epist. 7. Est autem tale: Caija Manlia Caij Manlij filia inferno Plutoni tricorpori, charissimæ Proserpinæ, tricipitiq; Cerbero munus mecũ ferens damnatam dedo animam, vitamq;: hoc me condo monimento, ne obrutis domus lapsu filijs sex, quos P. Scipio patrijs Camertibus à Sale ex Lybia incolumes restituerat, in desolata orbitate superstim. Vixi an. 56. mense vno, diebus quinq;, horas scit nemo, vale vita. Iubebat enim illa se taliter viuam sepeliri. *C Manlia Romana desperatio & epitap. Gueuara l. 3. ep. 7. ep*

D. Aug. tra. 51. in Ioan. sub medium in hęc verba: *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternã custodit eã*: dicit hoc nullatenus à Deo probari suiipsius interemptionẽ nec vsquequaq; licitum esse. Vide, inquit, ne tibi subrepat vt teipsum velis interimere, sic intelligẽdo, quod debes in hoc mũdo odisse animam tuam. Hinc enim quidam maligni atq; peruersi homines, & in semetipsos crudeliores & scelerati ores homicidę flammis se donant, aquis se prędfocant, pręcipitio se collidunt & pereunt: Hoc Christus non docuit, Imò etiam diabolo sibi pręcipitium suggerenti dixit: *Vade Sathana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum non tentabis.* Petro autem dixit significans, qua morte clarificatus esset eum: *Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas quò volebas, cum autem senueris alter cinget te, & ducet quò tu non vis.* Satis expressit non à seipso sed ab alio debere occidi qui vestigia sequitur Christi. *Ioan. 12.* *Matt. 4.* *Ioan. 20.*

Præterquã enim quod homo reipublicæ, sibiq; & Ecclesię (cuius membrum est) se occidendo facit iniuriam, Deo plurimum iniurius est, ad quem pertinere videtur, vt creatura immediate illi

subiecta. In cuius potestate mors & vita sunt. *Ipsius enim & genus sumus*, teste Paulo. Hinc dijs iniuriam facere dicebat Plato, qui sibi vitam violenta manu adimebant, quia nos Deorum possessiones esse dicebat: Huic rei consonat quod dicitur: *Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Portio mea sit in terra viuentium*, & illud. *Ero merces tua magna nimis.* Homo enim non suus est, sed Dei quod ad omnia præter peccatum. Hinc August. tract. 29. in Ioannem: *Quid tam tuum quam tu? quid tam non tuum, quam tu si alicuius es id quod es? Nam vt iumentum quicquid est, hominis est, sic & homo & multò magis totus est Dei.* Vide August. lib. 1. de Ciuit. c. 26.

Act. 7. *Plato.* *Psalm. 15.* *Genes. 14.* *Au. tract. 29. in Ioā.*

Maneat igitur ex August. talis conclusio. Asserimus & modis omnibus approbamus neminē spōtaneā mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias tēporales ne incidat in perpetuas, neminē propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimū proprium, quē non polluebat alienū. Neminē propter sua peccata præterita, propter quę magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari, neminem velut desiderio melioris vitæ quæ post mortem speratur, quia reos suę mortis melior post mortem vita non suscipit. Hæc ille.

Au. l. 1. de Ciui. c. 26.

Cauenda igitur nobis est talis mors, qua crudelis est in seipsum homo & omnē naturā exuēs seipsum cōficit, sat cito veniet mors quamuis intēpesta, quæ nunquā homini mille armorū dedit inducias. Potius mille cruciatus, & tormenta omnium quotquot in mundo martyrū fuerunt perferenda sunt, quam huiusmodi pręcipitia attētanda. Aliena manu gloriosius est perire, quam interimendo seipsum in æternum perire; quod talibus accidit.

Tale edictū fecerat Deus in castris Israëlitarū tēporibus ducis Iosue in eum, qui aliquid de Anathemate Ierico furto abstulisset: *Quicunque per sortem*

Iosue 7.

cem in hoc facinora fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua, quoniam præuaricatus est pactum Domini. & fecit nefas in Israel. Et sors cecidit in quendã miserum Achan de tribu Iuda, cui dixit Iosue: *Fili mi da gloriam Domino Deo, & confitere atq; indica mihi, quid feceris ne abscondas: Respondítq; Achan Iosue & dixit ei: Verè ego peccaui Domino: & sic & sic feci. Vidi enim inter spolia pallium coccinneum valde bonum & ducentos ciclos argenti, regulamq; auream 40. siclorum & concupiscens abstuli, &c.* quæ cum omnia essent reperta vbi abscõderat cum eo combusta sunt. Nouerat ille diuinum esse decretum Achan vt moreretur, certò sciebat rem euenturam si confiteretur, interim maluit cõfitendo fæliciter mori; quam tacẽdo sese interimere. O Iuda te sanè præstitisset cum argento tuo mori quam te interimere. Nam & primus ille fuisses qui in agro peregrinorũ (qui precio 30. argenteorũ emptus erat) sepulturæ donaretur, sic precium sanguinis, tuæ precium fuisset redemptionis.

Achã furtum & confessio.

Sed quid: sic tua mens desperabunda volebat.

Quæri posset verò quo tempore se suspenderit, diuersorum diuersæ & probabiles sunt opiniones. Non enim sequitur tunc mox suspendisse se cum retulit argenteos quia cum diuersæ sint actiones potuerunt diuersis temporibus contigisse. Retulit enim vt dictum est argenteos, Cùm vidit damnatum Christum. Nec obstat inquit Iansenius quod eo tempore videantur Principes Sacerdotum non potuisse, inueniri fuisse in templo vbi tamen corã eis Iudas argentum retulit eò quod Principes sacerdotum cum senioribus & scribis coram Pilato astiterunt Christum accusantes, facilè enim intelligitur matutino tempore quosdam ex principibus sacerdotum ex senioribus Christum deduxisse ad Pilatum accusaturos illum: quosdam verò ex eis templum adijsse sacer-

Quando se suspendit?

Iansenij opinio.

dotalia perfuncturos munia & religionem curaturos.

Tẽpus mortis Iudæ nõ satis notatur ex Euãgelijs. Nisi quod videatur ex his verbis colligi: *Quid ad nos? &c.* quod præfatus Iudas per quandam impatiẽtiam moræ & nimium odium propriæ vitę mox abierit se suspensurus, vt finem faceret huic malo, quod in æternum tamen merorem cõmutabat. Et hæc quidem ratio nõ premit vt credamus mox suspẽdisse se cum abijt, sed abijsse vt se suspenderet. Non enim indicat quò abierit, quam longè sit profectus, & vbi se suspenderit.

Au. trac. 99. super nouum testa. q. 94. Theo. in c. 27. Matt. Act. 1. Malim cum D. August. dicere, quod non statim ac retulit 30. argenteos sese suspenderit, sed post mortem saluatoris, addit Theophilactus. Cum pẽderet ab arbore inclinata superuixit, Deo volẽte vel ipsum in pœnitentiam conseruare vel in traductionem & confusionem.

Id videtur etiam probabiliter colligi ex istis verbis Act. 1. *Hic quidem possedit agrum iniquitatis* id est precium agri, possessio autem nõ videtur esse vnius solius diei vel mediæ diei. Quæ opinio (si vera sit) laudanda est diuina bonitas qui volentem etiam vltro citroque perire adhuc aliquantulum respirare permiserit, vt ad se rediret. In hoc etiam eluxit iustitiæ diuinæ seueritas quod vellet hominem hic quendam æternarum pœnarum sentire rigorẽ qui tam enormiter contra suum insurrexerat Creatorem vt verum illud esset: *Duplici contritione contere eos Deus noster.* *Hiere. 17.* sic diu profugum Cain & tremulum voluit in hac vita pati vt semper illi fraterna mors tanquam quidã prior infernus ob oculos versaretur. Idem dicit Oecumenius in Acta.

Non volo hic superfluis impẽdijs Caluinũ terere, & singulorum opiniones recensere de modo quo sibi manus iniecit, satis est nobis quod constet ex Matth. 27. *Quod laqueo se suspenderit,* & ex Act. 1.

Quod

Quod suspensus crepuit medius & effusa sunt omnia viscera illius.

Papias & Magister hist. Ecclesiasticæ teste Lorino dicunt, quod cum crepuisset & effusa fuissent eius viscera, ex toto corpore sanies ac vermes scaturirent & demum ex mortui cadauere adeò tetrum odorem exhalasse vt prædium in quo decessit nec inhabitari nec nisi ab obturantibus manu nares, præteriri potuerit. *Lorinus in acta.*

Talem mortem passum esse Heresiarcham illum insignem Arium scribit Nazianz. oratione in S. Athanas. Ambr. de fide l. 1. c. 9. & quidam Poëta citatus à Baronio sic canens. *Nazian. oratione in S. Ath. Ambr. l. 1. de fide c. 9.*

ruit Arius aluo,
Infelix plus mente cadens, lethumq; peremptus
Cum Iuda commune tulit, &c. vide Baronium. *Baro. tom. 3. annaliũ*

Causas nunc adferamus cur sic perierit.

1. Vt quem terra cælumq; ferre non poterat, ferret aer tenebrosus & hæc ratio est Aratoris car. in acta. & Sedulij l. 2. carm. Pasch. c. 9. sic quippe factus est aërearum collega potestatum, vtpote quem veri Dei pariter & hominis qui de cælo venisset operaturus salutem in medio terræ, huius inquam Proditorem nec cælum nec terra reciperet. *Cur sic periјt. Sedulius Poeta.*

2. Quia vt laqueo respiratio, ita prohiberetur desperatione spiritus. Hæc est August. l. 50. hom. hom. 27. sententia. *August.*

3. Vt guttur per quod vox proditionis exierat laquei nodus necaret. Beda. *Beda.*

4. Vt perfidus & desertor patefaceret ex quanto culmine esset lapsus nuper Discipulus, modo reus; nuper Apostolus, nunc Apostata nominatus.

Effusa sunt autem viscera illius: vt inquit Drogo Cardin. tractat. de Passione quia Iudas sicut vter plenus cupiditate, aut vas contumeliæ minimè probatum in fornace à figulo cre- *Cur effusa viscera. Drogo Car.*

 puit

crepuit. Nempe viscera eius sicut araneæ pecuniæ fuerunt, quas laqueum diaboli vocat Apostolus. *Incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Et visceribus priuatus est, qui proditionem in ijs concipiens viscera pietatis exuerat. Non decuit per os quo fraudulente erat osculatus Christum egredi animam maleuolam, dignaque blasphemo pœna est qualis fuit Arrij. Hęc drogo.

1. Tim. 6.

Iansenius. Eccl. 10.

Iansenius exponens hanc Ecclesiastici sententiã: *Nihil est iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animã suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua:* dicit non ineptè sp. S. ad huius proditoris miseriam respexisse.

Conclusio.

Amb. in 1. Cor. 13. Hier. l. 2. contra Iouinianũ

Pro collectione horum monent Patres, præsertim Ambros. 1. Cor. 13. Hieron. l. 2. contra Iouinianum. Basilius Epist. ad Chilonem, desperationem Iudæ & tam miserandum eius exitum illustre ac horribile documentum & exemplum esse, ne de gradu aut sanctitate efferamur, ne nobisipsis nimium fidamus & tribuamus. Hæc dilatabis pro tuo marte.

Videte autem ex hoc maledicto quomodo peccato pœna respondeat. Ille sibi mortem asciuit, & vitam penitus extinxit, qui vitæ proditor, & insectator mortem, ad tollendã è medio verã & essentialem vitam, dedit operam. Quia scilicet impius contra pientissimum magistrum, & insontem impie insurrexit, & cõtra humilem superbè intumuit, ita se mortis æternæ mancipium exhibuit, vt disruptis visceribus medius crepuerit. Dignumq; erat vt qui sanguinis effusionem sitierat sanguinis & viscerum effusione suffocatus occumberet. Quotquot igitur sumus qui seriò fideliterq; animarum nostrarum immortalitatem credimus caueamus, ne

ne in mentem nobis veniat in hoc barathrum desperationis præcipites dare, ſperantes nos huius vitæ malis eripiendos, ex quo infinities maior ſubinde pœna ſuperimpendebit animæ ab hoc mortali corpore ſeparatæ, quæ mortis incapax eſt, quam duplicata tormentorum menſura ſequetur poſt illam iudicij generalis tremendam diem, cum reſumpto corpore patietur anima, quę ſola pati prius conſueuerat. Exiſtimemus illud ſummũ eſſe diſcrimen, & malum cui nulla poteſt maior ſuperadijci pœnitentia: Conſtanterque fateamur. Quod *momentaneum & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, vt in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras. AMEN. *2. Cor. 4.*



CONCIO VIGESIMA-NONA

De grauitate peccati Iudę ex circūstantijs & conferentia cum peccato Pilati & aliorum.

THEMA.

Non haberes potestatem aduersum me nullam, nisi tibi datum esset desuper, propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Ioan. 19.

VEtus olim fuit Stoycorum paradoxon, omnia peccata inter sese esse paria: Quę quidem sententia vt erronea est, ita & ab hæreticis nōnullis errorum magistris reuocata est, dicentibus quibusdā omne peccatū esse veniale, alijs omne peccatū mortale, alijs dicentibus nullum reperiri peccatū nisi incredulitatem. Veruntamen horum omnium erroneam opinionem explodit hęc Saluatoris sententia, cuius expositio pręsentis est instituti. Pro quo notandū est: Quod ex Leuitici quāplurimis locis facilè colligere licet diuersorū sacrificiorū diuersas fuisse oblationes & hostias, quæ solemni quodam Religionis cultu Deo secundum legis edictum immolabantur. Nam & si sacerdotem ipsum peccare contigisset & suo peccato populum adducere ad idem peccatum, pro peccato suo vitulum immaculatū Domino immolabat. Sic & pro iuramento

Leuit. 9. 10. 12. 15. & 16. 6.

Leuit. 4. & 5.

mento agnam vel par turturum aut duos pullos columbarum offerebant. Aliud animal sacrificabant pro peccato ex ignorantia commisso & aliud pro eo quod ex certa scientia patrabatur, pro immunditia, pro adulterio, & pro ceteris, vt videre est. Quæ diuersitas oblationum arguebat etiam vniuscuiusque peccati qualitatem & grauitatem, secundum quam legitimam fieri expiationem oportebat. Nam etsi peccatum omne præsertim illud quod mortiferum vocatur, contra charitatem ipsam & proinde contra Deum fiat, tamen pœnes quantitatem malitiæ & eius qualitatem peccati consistit enormitas & grauitas. Atque vt de incredibili primum eius enormitate loquamur. Certum est neminem hucusque ausum esse aut figuris aut simulachris effigiare peccatum. Nemo ex peritis pictoribus hanc vnquam dextrè satis prouinciam sibi assumpsit ad eius formandam delineãdamue turpitudinem. *Peccatum non potest figurari.*

Mors quidem visu est odiosa, & formidabilis, ac plena terroribus, Turpis atque horrendus est Sathanas, execrabilis est infernus & chaos confusum in quo vbique clamor atque luctus, ac plurima mortis imago, vbi nullus ordo sed sempiternus horror, tanquam in terra miseriarum & tenebrarum, inhabitat; & tamen plures sunt qui ausi sunt & Luciferum & Sathanam & Infernum tum ipsam terribilem omnium rerum mortem quibusdam iconibus & typis delineare. Nullus autem talia potuit adinuenire lineamenta quibus peccati vel minimam deformitatem adumbraret. Nobis quidem dicitur: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum*. Ipsius enim sola turpitudine, turpis est Lucifer, formidabilis mors, & infernus summè detestabilis. Quicquid habent deformitatis, hoc habent à peccati monstruositate. Tolle peccatum, non erit diabolus, nec mors nec *Mortis effigies. Diabolus. Infernus. Eccles. 21.*

nec infernus. De peccatoribus quidem dicitur: *Denigrata est super carbones facies eorum*. In quo nimia peccatoris ostenditur per peccatum turpitudo, vt dicatur insuper: *Non sunt agniti in plateis*. Sunt inquam peccatores ita deformati vt non solum comparati sint insipientibus & similes illis effecti, verum ab ipso omnium inspectore non sunt agniti. Hinc illæ voces: *Amen dico vobis, nescio vos: Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ite in ignem æternum.* Quibus verbis ostendet Deus se non posse propter peccatum longius ablegare à se hominem, quam in infernum mittendo & æternis illum supplicijs excruciando. Quis igitur ille erit pictor qui nobis istius execrabilis proditoris peccatum dignè depinget? quis eius enormem crudelitatem nobis ob oculos in terrorem reponet? Hic nobis opus foret aliquo vel Zeuxe vel Parthasio solemnibus totius antiquitatis pictoribus, vel aliquo diuo Luca, aut quocunque qui rerum naturas dignoscere possit. Veruntamen quis Iudam melius nobis representet quam is qui peccaturum Iudam cognouit antequam peccarat? qui singula eius facinora in eius fronte, & corde legebat? *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*. Hic dicit esse Synecdochen Iansenius vt plures per vnum intelligantur, nempe vniuersus Iudæorum populus: veruntamen non nocet, imò magis expedit hic Iudam intelligere iuxta propositum nostrum thema. Nam etsi dictum sit de Iudæis quod Christum traderent gentibus, tamen non fuerunt illi primi traditores, sed à Iuda tanquam primo traditore Christum acceperunt, quem Pilato tradiderunt. Hinc ille traditionis & factionis huius est auctor, iuxta illud: *Quicquid est causa causæ ipsum est causa causati.* Hinc vt & alias diximus, ferè semper traditor per Antonomasiam siue quandam

Thren. 4. *Luc. 13.* *Matt. 25.* *Iansenius.* *Axioma.*

excel-

excellentiam peccati nominatur, sicuti *diabolus* ad Christum accedens *Tentator* vocatur, quasi qui nihil vnquam aliud voluerit exercere, qui dies noctesque in hoc institerit opificium. *Matth. 4.*

Tradidit igitur Pilatus Iesum de quo dicitur Marc. 15. *Iesum flagellatum tradidit voluntati eorum.* Tradidit & Iudas: Vterque peccauit & in Christum peccauit, dispar tamen est hinc & inde peccati grauitas. Videamus hanc disparitatem & vtriusque peccatoris & peccati grauitatem. *Marc. 15.*

In quo sit grauitas peccati Iudæ, & aliorum.

Maior itaque censetur offensa: 1. vbi maior reperitur malicia. 2. quando est causatum ex maiori odio. 3. quando diutius est in mente reseruatum. 4. quando intimius est in corde radicatum. 5. quando in multorum perniciem est machinatum. 6. quando maiore ingratitudine est associatum. 7. quod ad peccandum plures inducit & à veritatis limitibus abducit. 8. quod tenaciori obstinatione est patratum. 9. quod manifestius & scandalosius est consummatum. 10. quod ab eo qui legem profitetur & legis præcepta vilipendit est commissum 11. quod ex patente despectu est adinuentum. Omnia hęc peccatum Iudæ peccato Pilati grauius reddebant.

Capalla in Arca salutis. Primò.

1. Pilatus quidem potestate cælitus sibi data multum abutebatur, quia timore percullus humano illam exercebat: Verum Iudas maius habebat peccatum, quia Iudas (in cuius cor intrauerat diabolus vt Christum traderet) diuino obcæcatus iudicio, pro qualitate sceleris; diabolo vltro citroque consenserat. Pilatus quia intus conscientiam remordētem habebat, occasionem quęrebat sese à tanto facinore subtrahendi. Ille omnē occasionem sceleris, opportunitatem loci & temporis & personarum nullis remorsibus retractus quæsiuit & inuenit.

2. Ille

Secundo. 2. Ille ad iustitiæ limites aliquando pertingere nitebatur, ille ab omni æquitatis tramite recedere procul cogitauit, & per maiorem iniustitiam aduersus, animarum nostrarum Redemptorem, aduersus Dominum & aduersus Christum eius, & benefactorem insolētissimè recalcitrauit: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.*

Tertio. 3. Pilatus innocentem Christum tueri & absoluere nonnunquam aspirando postulabat, & ea parte qua ipsi Iudæi ad mortem Christum destinabāt, eum à morte eripere cogitabat, protestans se nullam in eo causam reperire: Iudas verò peccatum maius commisit, qui locum in corde dedit Sathanæ & suggestioni adytum aperuit, & peccatum ex mente nunquam repulit, sed operi nefario consensit, imò Christum ad veniam se reuocantem audire neglexit, qui coadiutores operis secum adduxit & ad peccandum multos concitauit. En tibi maius peccatum.

Quarto. 4. Deinde cū Pilatus Christo loqueretur & Christus Pilato, restabat à scelere resipiscendi facultas, ante solis occasum, mentis oculos ad resiliendum à suo facinore poterat aperire, alter vero iam vel desperabundus se suspenderat, vel id cogitarat facere & æternis supplicijs destinare. Ideo peccatum Iudæ diabolicū erat, cuius mens omnino in malo erat obdurata & intellectus obcæcatus.

Quinto. 5. Iterum peccatum Iudæ maius erat quia in Spiritum sanctum peccauit, quia de peccatorum remissione quod est opus Spiritus sancti nedum dubitauit sed desperauit. An non iniuriam illi facimus cum de bonitate eius diffidimus? cum tamen & omnipotens sit & infinita? Quamobrem peccatum hoc irremissibile dicitur, quia de tali peccato non doletur, neque ad Deum per veniæ deprecationem sit conuersio. Ac proinde remanet hac diffidentia maius peccatum in eundem

eundem Spiritum sanctum nempe finalis impœnitentia.

Atque ideo peccat cum Iuda in Spiritum sanctum is de quo dicitur: *Cor durum malè habebit in nouissimo*. Quisquis non ignorantia vel infirmitate, vel alia passione peccat, sed sola malicia vbi est expressus contemptus bonorum peccato se opponêtium, fitq; electio mali finis cum auersione à bono fine, quæ omnia in Iuda perfido locum habere cernuntur. *Eccle. 3.*

6. Præterea grauiter peccabat Pilatus qui sine lege peccabat, grauius peccabat Iudas, qui in lege existens contra legem peccabat. *Qui enim sine lege peccant sine lege peribunt*. Qui vero in lege peccant per legem iudicabuntur. De quibus Propheta Psalm. 118. *Vidi prauaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Nam seruus sciens voluntatem Domini sui & non faciens plagis vapulabit multis*, quare multis? quia maius peccatum habet, quam qui voluntatem Domini ignorat. *Sexto.* *Rom. 2.* *Psa. 118.* *Luc. 12.*

Atque vt in genere per incidens, de peccati grauitate loquamur: Grauitas peccati in eo manifestatur, quod ad illud leuandum nulla potentia nisi sit infinita reperitur. Vnde de IESV turbę mirabantur, quod peccata dimitteret: *Quis potest peccata dimittere nisi sit Deus? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine nisi tu qui solus es*. Et hoc etiam occurrit hic obseruandum, non aliquam aut partem potentiæ Dei ad remittendum seu leuandum peccatum sed totam ac prorsus infinitam eius requiri omnipotentiam: cum enim aliquid leue auferre quis voluerit hoc solo digito leuat, quod autem aliquanto grauius hoc vna manu & vnius brachij potestate leuabit. Si autem *Matth. 2.* *Iob. 10.*

Si autem grauissimum sit pondus hoc manuum, pedum, ac totius corporis conatu nonnisi subleuare poterit. Christus tantæ virtutis erat vt Dei virtus & sapientia diceretur & esset, vt solo digito dæmonia eijceret, maximum opus erat omnes infirmitates & languores ab oppressis repellere sanitatemque restituere, quæ omnia sola manuum impositione perficiebat, dum singu-
Luc. 6. lis manus imponens, *curabat omnes quia virtus de illo exibat*. Videmus insuper & cælos opera digitorum suorum, videmus & totius creaturæ machinam, quam Dei potentissima manus construxit, qui solo verbo omnia cum dixit, & facta sunt inconstanter produxit: veruntamen cum peccatum subleuare voluit Deus fatigatus desudauit, & fessus sedendo super puteum quieuit. Esai. 7. *Parum vobis est molestos esse hominibus quia molesti estis & Deo meo?* O grauissimum
Grauitas peccati. inquam peccati pondus! quod ex suo pondere mox ad aliud trahit, & velut plumbum nos in aquis vehementibus demergit. Ad quod sustollendum non digito tantum, non tantum manu sed toto conatu, totius humanitatis & diuinitatis virtus concurrit in cruce, sic vt præ peccati pondere quod in humeris Christus pro nobis portabat, clamare cogeretur ex persona membrorum:
Matt. 27. *Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Et ideo
Psal. 128. dicitur: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, & dum quis nititur quod est grauissimi ponderis subleuare, statuit se in aliquantulum eminentiori loco quasi fortiori conatu sit illud subleuaturus, quod Christus in ara crucis fecisse credendus est vbi peccatum leuauit, leuatum destruxit, & quantum in se est authorem peccati dæmonem suppeditauit cum dixit: *Nunc Prin-*
Ioan. 12. *ceps mundi eijcietur foras*. Ideo nos quotidie conuertimur ad illum gratias agentes & deprecantes:

Agnus

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c. Hunc pręcursor mundo prius patefecerat digito demonstrans, & dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et cum Iobo dicimus: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Ipse solus igitur, aut per se, aut per sacramentorum suorum ministros peccata dimittit, & peccantes ad se subleuat, quia contra illum committitur peccatum de quo dicitur: *Tibi soli peccaui.* Est enim peccatum auersio à Deo, ad quod reducitur quod in proximum delinquitur, quia pendet ex Dei mandato. *Ioan. 1.* *Iob. 10.* *Psal. 50.*

Si autem dicat reprobus, & contumax aliquis aut insensatus se nullum peccati sentire grauamen in quo libenter oblectatur, & velut in cæno fouetur. Tales sciant se similes ijs esse, qui cùm halitum infectum habeant alios eodem defectu laborantes non sentiunt, Illi ranarum ad instar in volutabro cæni nutriuntur, proinde nullum sentiunt cæni fætorem. Verum si quis cum cæno ranas extrahat, protinus sentiet pondus & spurcitiem. *An sit in peccato grauam[en].* *Simile.*

Sic & qui natat in mari cum piscibus pondus aquarum non sentit, cum tamen grauissimæ in extrahendo experiantur: & qui situlam in puteo immersam facilè vsque ad superficiem, tanquam leuem pertrahit, cum autem situlam ab aquis educit, non nisi magnis adhibitis viribus illam extrahit: Sic dum quis volutatur in aquis peccatorum nihil adhuc sibi difficile, aut arduum videtur, si autem vbi aliquantulum ibi substiterit, inde se subducere voluerit, maximi esse ponderis peccatum videbit, à quo nisi maximo suo conamine, multorumque iuuamine, necnon diuino numine roboratus foras educitur. *Perditio tua, ex te Israël, tantummodo ex me auxilium tuum.* Audi igitur peccatorem peccati mole depressum: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, &* *Simile.* *Ose. 13.*

ſicut onus graue grauata ſunt ſuper me. Ibi enim ſola eſt ſpes ſalutis, vbi ſub onere angit animus peccatoris.

Pſal. 37 Grauitatem peccati Iudæ ſatis ſuperq; videtur expreſſiſſe D. Ioannes cùm deſcribit eorum hiſtoriam quæ in Chriſti proditione contigerunt, cùm dicit: *Stabat ergo Iudas qui tradebat eum cum ipſis.* Quæ verba cum non expoſuerimus hactenus incidenter nunc declarabimus: 1. Igitur propterea *ſtabat Iudas cum ipſis* quia ſimilis ad ſimilē fertur. lupus cum lupis, & impius cum impijs. *Stabat* qui obduratus animo in ſua malitia, & prauitate perſeuerando perſiſtebat. *Stabat* hic cum impijs, qui quando ſtabat cum iuſtis noluit videre ne caderet. *Stabat* qui prius cum Ieſu ambulabat, cuius oleum ceſſando ſtetit cum ad impietatem diuertit.

Stabat Iudas.

Dan. 2. Hæc eſt beſtia quam ſtantem vidit Daniel ſuper pedes ſuos altero auaritiæ, altero inuidiæ, quibus contra Ieſum inceſſerat. Impiorum eſt ſtare, aut retrogredi, qui dum vnum pedem aliquando mouent ad bonum, alio mox conuertuntur ad malum.

Pſal. 83. *Rom.* 8. *Pſal.* 1. Semper ſpiritu Dei aguntur qui inter filios Dei ſunt. Et dicitur: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.* Cum impijs tales computantur. Viam mandatorum decurrunt, qui à ſegnitie, & ab otio ad omne opus bonum peragendum in Dei vineam adducuntur. Oportet enim ſemper ire eos, & nunquam alibi ſtare qui aliò cupiunt ſe transferre. Grandis quippe nobis reſtat via, ſemper igitur eamus, neceſſe eſt, vt qui ſemper vincula fugimus, & poſt Chriſtum, *In odorem vnguentorum ſuorum currimus*, qui vix pedes in terra figimus, & nunquam in terra firmamus, quos mox ea ſolum ad ſuſtentandum tacta ſubinde releuamus.

Stabat iterum quia Dei amorem extinxerat. Neſcit enim amor Dei eſſe ocioſus. Operatur enim magna ſi eſt, aut amor non eſt, ſua dextera enim

enim manu excellentiora opera sua homines perficiunt, sinistra nihil operantur. Rectè Iudas ad sinistrum collocatus stare describitur, scribimus enim dextera, panem & potum ori porrigimus, eleemosynas elargimur, fidemque exhibendo damus dexteras, &c. & omnia quæ existentibus ad sinistram operantur, qui ad dexteram sumus perficimus, ad dexteram Iudæ diabolus stabat, de quo propheta ait: *Et diabolus stet à dextris eius.* *Psal. 108.* Sibi solus sinistræ locus est relictus, in quo teste Euangelista *stabat* nunquam ab eo loco recessurus, nunquam in meliorem sortem commigraturus, *stabat* in sua perfidia, qui in Dei veritate non stetit. Stabat vnde nulla benignitate diuelli poterat. Viro autem impio nihil obstinatione immobilius, quem nec diuina virtus, & omnipotentia nisi eo cedente à proposito reuocare potest, Augustino asserente maius fore miraculum peccatorem à peccato reuocare quam sit cœlum & terram creare, persistente ipso in sua prauitate ad multas Dei voces, & præcepta, vocationes & beneficia, cum tamē solo verbo dixerit: *Et facta sunt omnia.* Ecce Iudæ impietatem à qua nec piæ voces, nec sedule admonitiones, nec graues comminationes, nec oscula ipsa, nec tot præstita beneficia eum reuocare potuerunt.

Obstinatio Iudæ stantis & persistentis in peccato.

CONCLVSIO.

Hinc igitur satis perspicitis Auditores quantum erat peccatum Iudæ, ex quo maius erat peccato impij Iudicis Pilati iniustè, & contra propriam conscientiam Christum condemnantis, sed culpam in Iudæos referentis, ob quam causam visus est illum Christus excusare, vel eius peccatum imminuere velle. Propterea non fuit eadem & Iudæ & Pilati confessio: dicebat ille, *Peccaui* cum desperatione, alter verò cum confidentia quadam

Christus Pilatum quodammodo excusauit.

dicebat: *Innocens sum à sanguine &c.* ac proinde venia dignus.

Animaduertite proinde quod peccatorum diuersitas nõ in auersione consistit, cum vna sit omnium peccatorũ communis auersio à summo bono, à bono incommutabili, & ipso Deo ad bonũ temporale, ad bonum commutabile, & ad creaturam. Consistit autem 1. in auersionis disparitate. Quo enim animus ad inferiora ardẽtius conuertitur, eò magis à cælestibus diuellitur, 2. & obiecti seu finis ad quæ conuertitur disparitate. Ideo peccatum peccato grauius efficitur, quo ad peius malum se conuertendo coniungitur, maiorique bono se opponendo contrariatur. Videte igitur vt attenta peccati grauitate, nec paritas, nec disparitas peccati reperiatur in vobis, qua vel maius, vel minus in vobis esse dicatur quam in alijs: *Peccatum non dominetur in mortali vestro corpore*, id est, ne permittite corpus quod mortale est animæ dominari, quæ immortalis cum sit, dominari debet non ancillari. *Deponite omne pondus & circumstans vos peccatum.* vt leues tanquam nubes voletis, & ex eorum numero sitis de quibus dicitur: *Qui sperant in Domino mutabũt fortitudinem, assument pennas vt Aquilæ volabunt & non deficient.* Donec tandem perueniant ad locum vbi tanquam passeres inueniant sibi domum, & turtur nidum vbi reponant pullos suos, suas (inquam) bonas operationes quas ex corde bono parturierunt. Sitis (inquam) vos tales vt expediti ab omnibus peccatorũ sarcinis singulariter cum Abacuc propheta dicere possitis: *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi Ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Illuc nos perducat Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Rom. 6. *Heb. 12.* *Esa. 40.* *Psal. 83.* *Abacuc 3.*

CONCIO VLTIMA SEV TRIGESIMA.


De damnatione æterna ipsius Iudæ, quæ colligitur ex grauitate lapsus, quanta qualisúe fuerit. Quis sit locus in quem abijt Iudas.

THEMA.

Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, Vnum accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Act. 1.

Hic etiam exponitur quod de Iuda dicitur. Ioan. 13.

Qui manducat panem mecum leuabit contra me calcaneum.



Nter eos qui sincera conscientia sua peccata coram Deo & hominibus per confessionem detexerunt; Primus est doctor Gentium, & vas electionis D. Paulus, qui post gratias acceptas de ministerio, quod à Deo sibi tãquam indigno collatum esse fatebatur, tandem dicit: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus Christus Iesus venit hunc in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Antea dixerat: *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus,* & post pauca: *Sed ideo misericordiam sum consecutus, vt in me primo ostẽderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Hoc vnico confitetur quantas illi causas suggerere poterant, non aliena, sed propria peccata, timoris

Magnanimitas Pauli opponitur desperationi Iudæ. 1. *Tim.* 1.

iusti Iudicij, & vindictæ diuinæ, nisi perpetuam & infinitam illius misericordiam ante oculos mẽtis proposuisset, quem totis conatibus persecutus fuerat. Quod vt faceret, actum fortitudinis animi, & robur aduersus propositas passiones sibi prouidere debuit. Qua fortitudine se munitum fuisse te-
Philip. 4. statur dicens ibidem: *Gratias ei ago qui me confortauit Christo*, &c. quasi dicit, ille in quem insurrexeram, me humiliauit, humiliando me prostrauit, prosternendo iacentem subleuauit, & in omnibus
2. Cor. 12 aduersis fortificauit. Ita vt diceret postmodũ: *Cum infirmor tunc fortior sum*. Statim vbi Damascum
Act. 9. venit de illo dictũ est Ananiæ: *Ostendam illi quanta oporteat in nomine meo pati*, &c. Vnde idem dum certò certius imminere sibi sciret pericula, dicebat
Act. 20. insultans morti; *Scio quia vincula & tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pratiosiorem quam me*, &c. Ipse præuidebat certam mortẽ, sed maxima peccatorum recordatione, lubenter se pænis offerebat, cũ diuinę bonitatis attentione, ne se deijceret. Illum igitur actum fortitudinis, & animum ad omnia patienda paratum habebat dummodo cursum consummaret. Vnico peccatum Pauli à Iudæ peccato aberat, quod ille ignorãs in infidelitate Christum persequebatur, hic in incredulitate, Christum magistrum suum quem innocentem sciebat, iniustè tradebat.

Veruntamen non minus quam Paulus misericordiam fuisset consecutus, si fortitudinẽ quę Dei donum est, ad futuris malis resistendũ postulasset à Deo, ne sibi proprijs manibus laqueum inijceret: si inquam eius auxilium rogasset. *Qui saluum potest facere à pusillanimitate spiritus & tempestate.*

Aug. l. 1. de ciuitate Dei c. 33. Ratione considerationis huius quęrit D. August. An seipsum interimere sit actus fortitudinis potius quam ab alio mortẽ pati? Et tandẽ respondet magis in patiẽdo vim ab altero fortitudinẽ, & animi

constantiam

constantiam probari, quam violentis sibi manibus mortem consciscendo, cum posterior hic actus ex pusillanimitate proueniat. Diffidunt enim quasi nõ sint satis fortes futuri ad resistendũ malis ingruentibus. Propterea nõ male dixerunt Theologi qui filiam Acediæ, pusillanimitatẽ dixerunt. Hinc regulus quidã apud eundem D. Aug. laudatur quod sese indubiè moriturũ in manus Carthaginensium daret, non metuens mortẽ fortiter pro patria pati. Catonẽ vero Vticensem dicit malè audisse, quod abhorrens manus Cæsaris, cui contrarius semper fuerat, seipsum è medio sustulisset. Propterea non inique dixisse Ciceronem: *Vetat in nobis dominans Deus iniussu nos hinc suo demigrare.* *Thom. 2. 2. q. 35. a. 4.* *Cato Vticensis.* C. 1. *Tuscul. quæstionum.*

Magnanimitatis enim est aduersis se viriliter opponere, etiamsi certa sint. Propterea si quærenda sit quantitas pęnarũ quas in inferno patitur tortor ille, & suijpsius Carnifex Iudas, ex grauitate lapsus, & sũmi huius peccati cognoscetur. De quo dicit D. Hieronymus quod magis ostenderit Deũ se suspendendo quam Christũ tradendo. Propterea dicitur: *Abijt in locum suum*, quasi dicat in Infernũ particulariter tali peccatori reseruatum, quod alijs locis horribilior, & tenebrosior, quia peccatorum omnium peccatum maximum perpetrauit. Non enim solum desperauit Iudas, sed desperando in infidelitate, & incredulitate se occidit. Non enim credebat teste Leone, quem allegauimus in serm. pręcedente, Christum esse Deum sed hominẽ iustum. Huiusmodi vero desperationẽ maximũ esse omnium scelerũ docet D. Thomas, quia maior est à Deo auersio, per infidelitatem enim auertitur homo à veritate Dei quod est obiectum fidei, per desperationem auertitur à bonitate Dei, quę est ipsius spei primarium obiectum. Tertio accedit quod non solum fuerit auersus à Deo Iudas, sed quod fuerit Deo contrarius, propterea fuit in illo quoddam interpretatiuum Dei odium, ne dicam *Hier. in ps. 108.* *Thom. 2. 2. q. 20. a. 3.* *Desperatio maximũ peccatum.*

deliberata malicia formatum. Fuit odium suijpsius omnium denique rerum quarum intuitu diuinam bonitatem debuisset agnouisse.

Obiectio quod voluntas nonnisi in vanum fertur.

Dices autem voluntatem Iudę nō potuisse ferri nisi in bonum quid, dum se suspendit, nec mortem potuisse talem appetere nisi bonum, quam sibi futuram existimabat solamen omnium malorum, & mæroris, ac intolerabilis tristitiæ finē. Propterea dicimus ex hoc conijci posse Iudam immortalitatem animæ non credidisse, quod speraret omnia cum morte sopiri, & hinc erat incrementum pœnarum accrescere.

Abijt igitur in locum suum. Abijt ab ipsa Dei æternitate, ab ipsa bonitate, ab ipsa veritate, ab ipsis Angelis, à creaturis, à vita, à seipso, & (per opinionē) ab omni existētia. Sed cur abijt? *Quia præuaricatus est.* Aug. *Excessit*, id est, per præuaricationem excidit. Dicit Lorinus pręuaricari esse verbum Forense, significationem causæ per collusionem. Cōuenit in Iudam qui veluti prodita causa sua, siue Christi, aduersariorū causam iuuit. Sed quæso? grauior ne fuit hæc præuaricatio Iudę quā alterius? Fuit, nec dubitandum est: quia vt dicitur ibidem, *quia acceperat locū ministerij & Apostolatus Christi.* An parum est locum ipsius Dei in terris tenuisse? vices eius subisse? in corpus eius mysticū potestatem habuisse? sciuisse bonum & malum, & vix vnquam virtuti, sed vitijs semper adhesisse? nū vnum aut duo, sed quinq; talenta habuisse, nec in eis quicquam profecisse? notandum igitur quantò quis ex altiore fastigio decidit, casum esse eò periculosiorem. At quod potuit maius esse quā Apostolatus fastigium? Propterea dicit D. Gregor. in illa verba: *Homo quidam peregrè proficiscens vocauit*, &c. Lectio, inquit, hæc nos admonet ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi grauius inde iudicemur. Cum enim augentur dona, rationes crescunt

Præuaricatus est. *est verbū Forense.*

Matt. 25. Gerg. hō. 9. in Euang.

donorum

donorum, &c. Non fuerat dumtaxat credens Iudas, sed discipulus, nec discipulus dumtaxat, sed Apostolus, sed Sacerdos, sed Prædicator. Præter illa enim quæ diximus ex Patribus de Iudæ statu, dicit D. Ambros. quod *sortitus est sortem ministerij huius*, &c. Scilicet in signis & prodigijs faciendis. Quod vero prędicarit, baptizarit, & dęmonia eiecerit, alia miracula fecerit, probatur ex alijs coapostolis cum quibus à Christo parem potestatẽ accepit, & cum ijs est gloriatus dicens: *Domine in nomine tuo dæmonia subijciuntur nobis.* Cyrill. Hieros. & Nazianzenus dicunt controuersos ab eo nonnullos, & quod doctrinæ suæ verbis multos genuit filios. Et interim *Præuaricatus est*.

Serm. 5. D. Amb. in c. 9. ad Rom.

Luc. 10. v. 17.

Cyrill. Hieros. cathec. 7. Naziãz. l. 3. epistola. 44.

Dictum erat de cæteris Apostolis & de Iuda. Ioan. 13. post humilitatis exemplum quod prębuerat in abluendis pedibus. *Si hæc scitis beati eritis si feceritis ea.* Tunc de Iuda subnectens, inquit, *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim, sed vt adimpleatur scriptura. Qui manducat mecum panem*, &c. Hisce verbis nihil aliud subindicat Christus quam grauitatem damnationis Iudæ, & hoc propter duas causas.

Ioan. 13.

Prima est ex eo quod dicitur *Beati*, &c. quasi dicat. Si beatus est ille qui facit exẽplo Christi, quęcumq; facit, quia notitiam habet, ergo damnatus est, qui non facit quod scit esse faciendum. Sic etiã verum est illud: *Qui ad iustitiam erudierint multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* ergô. Qui ad malitiã instigarint plurimos erunt sicut tenebrę in perpetuas ęternitates. Vlterius sequitur. Qui sciuit Iudas bonum, & bonum agere docuit, quia quod docuit non fecit, grauiter damnabitur, & eo amplius quo pluribus occasio perditionis, & damni fuerit.

Dan. 14.

Et hęc etiam vna est ex causis cur filius perditionis est appellatus, non quia solum se perdidit, sed quia quantum in se est totum mundum perdidit tradendo

Alia ratio cur sit filius perditionis vocatus.

tradendo Christũ pro seductore quẽ debuerat agnoscere pro Saluatore. Propterea dictũ est. *Non de omnibus vobis dico*, quasi dicat, Iudas ideo grauius dãnabitur, quia facere bonum noluit, quod sciuit esse faciendum, imò malum docuit quod sciuit nõ esse faciendum. Ex quo sequitur quod Iudas non solum damnabitur propter propriũ peccatum, sed etiam propter omnium Iudęorum peccata qui noluerunt resipiscere, & Christum restituere post eius innocẽtiam à Iuda publicè, & in templo proclamatam. Pœnam enim propter eorum peccata portabit, & accidentale suum quotidie tormẽtum augebit vsque ad vltimi iudicij diem. Dicit enim *Thom. 3. p. q. 59. a. 5.* D. Thomas & verum est. Quod iudiciũ de aliqua re mutabili dari non potest perfectè, ante eius cõsummationẽ in se, & in suis effectibus. Licet igitur quantum ad aliquid Iudæ vita per mortem videatur terminari, & finem accipere, tamen secundum aliquid in rebus futuris remanet, in quibus tanquã in effectibus censetur viuere. Viuit enim & viuet in effectibus suorum malorum operum Iudas quãdiu sua prauitate, & doctrina, Iudæi peruertentur. Sicut Apostolorum doctrina, & mores in ijs qui vitam & doctrinam Apostolicam sequũtur viuere censetur, & ideo illis semper aliquod accidentale gaudium accrescit. Deinde Iudas ob id etiã grauius in Inferno torquetur, quia eius memoria viuit in honore apud Cainos de quibus egimus in alio sermone. Sicut Arij cæterorumq; Hieresiarcharum pœna viuet quamdiu viuet error.

Secunda causa quæ grauitatem damnationis Iudæ subindicat ex his verbis: *Psal. 40.* Quod ipse qui manducabat cum Christo panem magnificauit super eum supplantationem, id est, quod supra diximus in initio, fuit contrarius Deo & eius potentię cui non credidit, eius bonitati in quam non sperauit. Et contrarius Christo atque eius supplantator dum tam parui fecit vt traderet.

In hoc

In hoc eius pęna damnabilior & intolerabilior videtur, pœnis cęterorum qui damnati sunt. Imo grauior pœna tormentoque superexcellentis illius quondam spiritus Luciferi de quo dicitur: *Super astra ponam solium meum.* Iudas enim non tantũ se supra se sicut sathanas, sed supra Dominũ calcaneũ eleuauit. Non tantum sicut ille super astra & altitudinem nubium solium extollere cogitauit, vt similis esset altissimo, sed ille super altissimũ vt ipsum pessundaret, & conculcaret. Et ideo censetur sathana peior, & punitione dignior, quia magnificauit super Christum supplantationẽ, quia ad tollendum è medio Christum, non tantum labia, manus, mentẽ, sed & pedem leuauit. Christus pedes eius abluendo sese vsque ad pedes humiliarat, ille Christũ indignè sumendo, & proditoriè vendendo vsq; ad calcem & pedes humiliarat. Sicut igitur de Christo dicitur: Quod factus obediẽs vsq; ad crucem summa gloria meruit exaltari. Sic & Iudas Christum vsq; ad calcem pedum humiliando, meruit summa pœna condemnari. Proinde quasi piè conijciendo credendũ est, primas in Inferno partes Iudam tenere, ita vt & in pœnis Lucifero nihil debeat, nec cęteris dãnatis spiritibus. Quod igitur lamentatoriè de Lucifero dicitur: de Iuda dici potest: *Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? O Iuda!*

Esa. 12. *Collatio Iuda cum Lucifero.* *Esa. 14.*

2. Possumus hãc sententiam sic exponere vt intelligatur Iudas calcaneum super Christum leuasse, quia totum se impendit, & omnibus viribus sese accommodauit, vt Christo contrarius esset. Animus illius dolos meditabatur, labijs mercatus erat, manibus sanguinis precium susceperat, pedibus *Dux fuit eorum qui comprehenderunt Iesum.* Omnibus suis actionibus sese super Christum erexit. Et ideo: *Abijt in locum suum.*

2 Capalla expositio. *Act. 1.*

3. Licet hic expositionem aliam elicere ex cõsideratione calcanęi, quę inferior & vltima est pars totius hominis. Per calcaneũ Hieron. Lauretus ex *3. expositio.*

Philonis

Sylua Alleg. Hier. Lauretus. Philonis 2. Alleg. intelligit finem operis. Sic igitur leuabit Iudas calcaneum super Christum: Quia in fine suorum operum tunc maxime cum Christo debuisset recōciliari maximè Christo fuit iniurius & molestus, & sibi ipsi calcaneum boni operis nō confecit, cui pro cōsummatione totius operis sese damnabiliter interfecit. Propterea possumus de Iuda dicere contrarium eius quod de sancta muliere dicebatur: *Damnent, prolaudent eum in portis opera eius.*

Aug. 1. l. de cant. c. 17. Leo serm. 16. de passione. August. dicit Iudam non potuisse peiore manu perire quam sua, & quamuis sceleratum occiderit non debuit tamen. Idem dicit Leo ser. 16. de passione. Merito, inquit, tibi tua pœna est commissa, quia in supplicium tuum nemo te sęuior potuit inueniri.

Euseb. in expos. primæ sententiæ. Hier. c. 17 Eubseb. Cæsar. accommodans c. 17. Hierem. v. 1. Dicit peccatum Iudę adeo fuisse graue vt scriptum sit stylo ferreo in vngue adamantino.

Chrisost. hom. 3. in acta. Hinc teste Chrisost. dicitur: P*ossedisse agrum de mercede iniquitatis.* Nō tantum quia iniquè & iniustè comparata erat illa merces, ac proinde non vera merces quæ interdum iustè datur, & accipitur licet non honesta de causa, verum etiam quoniam multæ sunt iniquitates, sed hac nihil vnquam factum est iniquius. vide Naz. in traged. de Christo patiente, & Chrisost. ibidem.

Ioan. 14. *Abijt in locū suum*, id est, peculiariter tam enormibus peccatis Iudæ deputatum. Nam si verum est. *Quod in domo Dei multæ sunt mansiones*, pro

1. Cor. 15. cuiusq; merito, sic & in Inferno pro cuiusq; demerito. Et sicut teste Paulo, *Alia est claritas lunæ, alia stellarum*, ita est diuersitas beatorum, sic & damnatorum est diuersa tenebrositas, dolor, cruciatus. Sicut verò in Iudam omnia concurrerunt scelera, sic & omnia tormenta. Et sicut Iudas filius Iacob maior fuit natu inter filios Iacob qui prędestinatos figurabant, sic & inter reprobos maior natu

videtur

videtur Iudas Apoſtata dignus, qui Primatum in Inferno teneat, qui dum in terris fuit, caput fuit totius iniquitatis, filius perditionis, &c.

In locum ſuum quia non habebat in terra locum, fuit enim in aëre ſuſpenſus. Vnde D. Petrus (cuius magnanimitatẽ poſt culpam opponit deſperationi Iudæ Antioch. monachus teſte Lorino) in act. c. 1. Interpretatus locum pſ. 68. *Fiat commoratio eorum deſerta, & nõ ſit qui inhabitet in ea*, & illud pſ. 108. *Epiſcopatum eius accipiat alter*: videtur non ineptè duas rationes adducere quibus probetur Iudã non habuiſſe alium locum quam eum qui ſibi in Inferno deputatus erat cum Angelis & Spiritibus Apoſtaticis. *Prima* eſt Quia habitatio Iudæ facta eſt deſerta. 2. Quia Epiſcopatum eius ſiue Apoſtolatum alter accepit. Quod ad primùm, etſi illud D. Paulus interpretetur de vaſtatione Iudæorum, tamen de Iuda & Petrus exponit, quia eiuſdem fuit ſceleris cum Iudæis. D. Chriſoſt. per habitationẽ hanc intelligit agrum pretio proditionis comparatum. Quid enim deſertius ſepulchro? itaq; merito debuit vocari ager deſertus, etenim qui pretium numerauit: etiamſi fuerant alij qui emerant, tamẽ is meritò habebatur pro dominio magnæ deſolationis quæ etiam præmium fuit Iudaicæ: cum & ipſi Iudæi ſeipſos famæ peremerunt, & ciuitas verſa ſit in ſepulchrum.

Locus Iudæ nõ fuit in terra.

Antioch. monach. hom. 27.

Rom. 11. v. 10.

Chriſoſt. in Act.

Commoratio Iudæ quomodo deſerta.

Deinde terra fuit deſerta quia nõ habuit Dominum alium quam peregrinos quia Dominus precij ſeſe fruſtrarat ſua mercede per ſuſpendium. Deſertus fuit locus Iudæ, etiam propter intolerabilem fetorem, vt opinantur aliqui ſicut diximus.

Pro ſecundo: Fuit toto tempore Apoſtolatus Iudę, deſertus eius locus, ſuperuacaneus quia ſucceſſoris locum occupabat, cui æterna prędeſtinatione locus talis debebatur. Hinc eius Epiſcopatum accepit alter. Erat igitur locum Matthię tenens Iudas, ſicut in vineis ſolet vmbraculum alicuius

Simile.

hominis

hominis ad fugandas aues locum viuentis alicuius tenere.

Tantum valebat apud Apostolos locus eius quãtum valet *H* apud Grammaticos, quę non litera, sed aspirationis nota est. Idem quod character O. apud Arithmeticos. Idem quod chimæræ apud Poëtas, Secundæ intentiones apud Logicos, priuationes apud Physicos, entia rationis apud Metaphysicos. Erat cymbalum tinniens; & velut æs sonans. Et quia charitatem non habebat nihil erat. An non igitur meritò locum eius desertum, & Episcopatum accipiat alter? Ex quo præclarum sumere licet documentum.

1. Cor. 13.

Documẽtum notabile.

Diuina prouidentia ita de rebus disponit, vt vno cadente surgat alter. Id apparuit in Angelis rebellibus, in quorum locum saluandorum animæ substituuntur. In locum Hæreticorũ & Scismaticorum infælicis nostri temporis, nationes Indicę, & noui orbis Christiani. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, vt dicit Ioannes Baptista. *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam.* Vbi Ruperius affert exemplum Iudæ.

Math. 3. Apoc. 3.

Iob. 34. Iob. c. 34. v. 34. *Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis,* quem locum egregiè tractat Greg. 26. moral. c. 9.

Bonau. in eius vita c. 8. D. Bonauentura de B. P. nostro Francisco narrat, quod cum regiminis mole se premi quæreretur, & turbaretur malis suorum exemplis, & anxio spiritu patrem suum misericordem, pro filijs deprecaretur. Responsum huiusmodi reportauit à Domino. Alijs recedentibus alios subrogabo, ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci.

D. Basil. in oratione de 40. Martyribus, dicit quod cum ex quadraginta vnus defecisset, illico, alius subrogatus est. Sap. 12. v. 12. *Quis tibi imputabit si perierint nationes quas tu fecisti?*

Sap. 12.

CONCLVSIO.

Pro Conclusione igitur. Vtar verbis ad Sacerdotes,

ne Sacer-

ne Sacerdotium suum perdant, ne sint vt Iudas, vt superuacaneum, & vt vmbraculum in vinea, ne eorum quis locum alter prædestinandus accipiat. Basilius nobis hanc admonitionem suppeditabit. Qui dicit Epistola ad Chilonem cõstituens Anachoretã. Iudæ (inquit) vnius execranda prolapsio, nempe à melioris vitæ rudimentis ad exitum sortis deterrimæ, satis superq; esse debuerat ad communiendos tuendosque Dei famulos in via institutæ rectitudinis. Hæc Basilius. *Basilius epistola ad Chilonem.*

Videamus itaque nos qui stamus in sublimi, ne peccatorum nostrorũ qualitas, & grauitas ex nostri status ratione de die in diem augeatur, & ne pondus illud nos ita premat, vt cæteris grauius à Domino condemnemur, qui non vulgarem vitam vixisse debuissemus, sed (vltra) populi peccata nostris exemplis coërcere tenebamur. Dicit enim Greg. adferens causam cur sal terræ nos Saluator appellarit. Nullum puto fratres (inquit) ab alijs maius præiudicium quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. *Matth. 5. Greg. hõ. 17. in Euang.*

Si non amore nos in Deum erigimus, saltem huius infælicis damnati pœnæ timore erigamur, vt resumptis viribus in gratia viuamus, & in gloria. Amen.

Si voles poteris antencta omnia transcursim repetere, quod tamen tædiosum esset.

Laus Deo, Virginique ac B. P. N. Francisco ac omnibus Sanctis.

Deus docuisti me à iuuente mea vsque ad senectam & senium ne derelinquas me. Psal. 70.



